



**Actorum apostolorum liber doctissimus & utilissimus  
Scholiis illustratus, ut Commentaria fusissima possint esse, in  
quibus Ecclesiae nascentis crepundia cum mirabili  
accessione fidelium depraehendere licet**

<https://hdl.handle.net/1874/428997>





**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**


- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

E. SARCERIUS  
IN  
ACTA APOST.

Kant 109

N. N. N° 13

M. 22. E.



47

e

N. 22. C.







mel' z' m' b' q' p' p' f' f'  
 p' p' m' m' m' m' m' m' m'  
 o' d' e' m' m' m' m' m' m'

Non vni libro dicitur vni q' p'

224

BIBLIA ET INTERPRETES  
 K109 Nr. 13  
 OCTAVO n<sup>o</sup> 224.

*[Faint, mostly illegible text in a Gothic script, possibly a gloss or commentary on the adjacent page. Phrases are difficult to decipher but appear to discuss biblical or grammatical topics.]*

fora + qued' dicitur  
 ut sic libro vni  
 quis sic libri  
 res duo s' vni  
 pau' opo'nu' co'  
 spem uilior'  
 hoc p' spem  
 y. tuncap' i' unio'  
 i' uill' p' lac'io'  
 adent' q'p'o'i'at'  
 singlaru' m'  
 totu' i' m' e' p' co'

**E**t tunc  
 ut m...

*[Small handwritten notes or corrections in the right margin.]*

ora  
no  
18  
no  
Pug  
null  
ur  
null  
18  
18  
sub  
colo  
18  
leg  
18  
18

18

18

18

18



N. 38. c.

ACTORVM APOS=

TOLICORVM LIBER DOCTIS=

simus & utilissimus Scholijs illustra=

tus, ut Commentaria fusissima possint

esse, in quibus Ecclesiæ nascentis cre=

pundia cum mirabili accessione fi=

delium deprehendere licet, per

D. Erasmi Sarcerium An=

namontanum theo=

logum,

*Ex domo Buzolii*

Iam primum in lucem editus.

B A S I L E A E

M. D. XL. MENSE AVGVSTO.



ACTORVM ATQVE

TOTIUS M. L. A. SOCIUM

IN THEATRIS

ET IN OPERIBUS

SCENICIS

ET IN

ALIIIS REBUS

SCENICIS

ET

ALIIIS REBUS

SCENICIS

ET

ALIIIS REBUS

SCENICIS

ET

ALIIIS REBUS

SCENICIS

ET

ALIIIS REBUS

SCENICIS

ARTIVM VERE LIBERAM

lium, & rei medices cognitione, eximio

uiro Cornelio Fauio Confluenti-

no, domino & amico suo

insigniter charo, Eras-

mus Sarcerius An-

nemontanus.

S. D.

**V**etus prouerbum est, Corneli medicorum opti-  
me, si manus manum lauerit, ambæ fiunt puræ:  
quo prouerbio olim in eum sensum usi sunt homines, &  
adhuc hodie utuntur: quod officium officio, & benefici-  
um beneficio prouocetur. Tua itaq; beneficia, cum in  
me insignia extent, uel ex pudore intermittere non po-  
tui, quin tuis in me insignibus collatis beneficijs respon-  
derem. An non insignia sunt hæc tua in me beneficia,  
quibus corporis mei sanitatem hæctenus contra pericu-  
losissimos morbos tutatus es, quos medici asma & pty-  
sin appellitant: ne quid de certo illorum morborum esse-  
tu dicam, qui est suffocatio. Et reuera nisi deus ipse,  
per saluberrima tua medicamina, mihi opem tulisset,  
non dubitarem me iam diu, Deo naturæq; concessisse,  
hoc est, in ipsis fecibus stigmatum perijisse. Sed licet tua  
in me collata & beneficia & medicamina insignia  
4 2 sint



sint, tamen non inferiora illis, recompensationis loco, ego adfero: nimirum beneficia & medicamina animæ quæ tanto sunt beneficijs & medicaminibus, ad corporis conseruationem, conducentibus præstantiora, quanto anima res est corpore excellentior. Quare etiam nõ dubito, uel præstantiæ & excellentiæ nomine, mea beneficia & medicamina tibi grata atq; accepta fore. Verum quæras, quæ sint illa beneficia & medicamina? Sunt parua & succincta quedam Scholia in Acta Apostolorum, quæ ideò placuit sub tuo nomine & patrocini in publicum euulgare, quia scio te ex animo Apostolicæ doctrinæ fauere, & illi bene consultum uelle: imò & uotis & precibus optare, quò deus dignetur suã ecclesiam ad cognitionem sinceræ doctrinæ reparare, & illi pacem & concordiam salutarem largiri. Quæ res unde commodius petendæ sint, quàm ex Apostolorum Actis, non uideo: in quibus ceu in uiuo speculo cernere licet, quæ olim fuerit uera ecclesia, quæ sinceræ doctrinæ cognitionem habuit, quam habuerit uera ecclesia originem, quomodo sensim ac sensim excreuerit, quibus medijs tam in sinceram doctrinam, quàm in pacem & concordiam salutari, conseruata fuerit: & sic qualem hodie ueram ecclesiam esse oporteat. Sicubi ergo audiueris mentionem fieri de reparatione aut ueræ ecclesiæ,

N V N C V P A T O R I A .

5

aut syncerae doctrinae, aut pacis et concordiae ipsius ecclesiae, quibus rebus postremis ecclesia uera, & sincera doctrina seruetur. unice te rogo, ut omnibus bonis uiris Apostolorum Acta proponas, & ad illa reuoces eos, tanquam ad scaturientem fontem, e quo uera ecclesia, una cum doctrina sincera, & pace atq; concordia ecclesiae (modo ipsi uoluerimus) deriuari potest. Quod si tu hoc ipsum quod ego a te unice rogo diligenter praestiteris, & simul alij uiri boni omnes idem praestare studuerint, sine omni difficultate, uera ecclesia cum sincera doctrina redibit, quam postea sequetur pax & concordia. Id faxit Deus optimus Maximus, qui

te seruet cum tota tua domo diu incolu-

mem. Va'e Sigene Tengrorum Co-

mitatus Nassouiensis. Anno.

1540. Die Ianuarij

sexto.

4 3

**Q**VIS Lucas Actorum Apostolicorū scriptor fuerit, & quae eius inter Canonicos scriptores rerū sacrarum laus sit, satis multis uerbis indicarunt, Patres & praeceptores nostri uenerandi, qui ante haec tempora, cum Euangeliū, tū Acta apostolica à Luca cōscripta, suis Scholijs et cōmentarijs illustrarunt. Et ego eadem indicavi, in praefatione euangelio Lucae praefixa quare superuacaneum esse duco, sepe ab alijs & à me dicta, nouo catalogo retexere. Sed tamen haec in genere serio meditari refert, quod Lucas scripserit Apostolica Acta: quomodo, quibus, quo loco, quo tempore, & qua occasione scripserit. Lucas ergo assiduus apostoli Pauli sectator, & omnis peregrinationis eius comes, cuius magna laus est in euangelio, Acta Apostolorū cōscripsit, quod scire ad hoc conducit, ut uel scriptoris dignitas, hūc de Apostolorū gestis librū, nobis cōmendet. Scripsit autē Apostolorū Acta, id est, res ab Apostolis, tam in doctrina, quam in uita morib. gestas. nimirū quomodo Euangeliū per totum terrarū orbem plantauerint, miraculis & uita euangelio digna confirmauerint. Item qui euentus Apostolos euangelij plantatores fuerint secuti. Graecè scripsit Apostolorū Acta Lucas, cuius ser-

monis admodū peritus fuit. Phrasis pura, grauis & elegans est. Orationis series & fluida est & perpetua coherentia sibi ubiq; similis. Librum dedicauit Theophilo, & sic in genere omnibus, qui amant Deum.

Romæ scripta sunt Apostolorū Acta, quia attingūt & historiam Pauli Romæ ad biennium commorantis. Quo certo tempore cōscripserit Lucas Acta Apostolica, non satis constat: quanquā hoc certissimū sit, quod sub Nerone & alijs subsequentibus Cæsaribus uixerit: peruenit enim usq; ad Cleti Pont. tempora, teste Platina.

Occasionem ad Apostolorum Acta componenda, hanc uidetur habuisse Lucas: qui postquam conscripserat suū Euangeliū de doctrina & uitæ moribus Christi præceptoris, ex decoro statuit & discipulorum doctrinam atq; uitæ mores subijcere. Vnde sic orditur.

Superiore quidem uolumine diximus Theophile, de omnibus quæ cœpit Iesus, tum facere, tum docere, ad eū usq; diem, &c.

Porro quia Acta Apostolica historica sunt narrationes, igitur utile est, in huius libri explicatione, diligentem omnium circumstantiarū curam in Apostolis habere, quales ipsi personæ fuerint: quid, quomodo, apud quos quibus locis, quo tempore, & qua occasione quæq; dixerint.



Apostoli à quibus hic liber nomen habet, fuerunt singulares personæ, ad munus Apostolatus peculiariter à Christo uocate, & à spiritus sancto in certa ac uera doctrina confirmatæ. Scopus uerò omnis doctrinæ, quam in hoc libro tractant Apostoli, hic præcipuus est ut ostendant nos sola fide in Christum, idq; gratiâ iustificari & seruari. Quem scopum non angelica uoce, sed uocali & audibili uerbo eloquuntur. Verum ut scopus ille certus sit apud omnes, subinde diuinæ potentie miraculis illum confirmant.

In genere autem quicquid agunt uel loquuntur Apostoli in hoc libro, ad omnes homines pertinet, hoc est, ad Iudeos & Gentes simul. Faciunt enim Apostoli gratiâ Euangelij uniuersalem. Quare etiam nullum locorum respectû habent, sed promiscuè tam in Iudeorû quàm Gentium & regionibus & urbibus prædicant. Posthabita quoq; temporis ratione quod similiter propter uniuersalem gratiam, faciunt Apostoli uniuersale. Sed omnia ista præstant ex officio: quia erant testes gratuite & uniuersalis iusticie designati.

#### DE ARGUMENTO

huius Libri.

Titulus libri argumenti uice est. Siquidem Apostolorum Acta hæc nobis sonant: quomodo Apostoli à spiritus sancto

ritu sancto in doctrina confirmati fuerint, & ut coeperint, festinarint, & finierint commissum suum officium. Et est hic liber uua quaedam imago Apostolicae & primitiuae ecclesiae, in qua cernere licet originem ecclesiae publico & aperto testimonio per Apostolos collectae: item quomodo sensim ac sensim excreuerit ecclesia, & quibus periculis fuerit exposita. Quae scire, est usum uerae ecclesiae intelligere, quae non uno impetu excreuit, sed successiue fit auctior, et à die in diem corroboratur magis atq; magis.

Primas partes in hoc libro agunt Apostoli, qui omnium ministrorum uerbi typos gerunt. Secundas agit ecclesia, quae primitiua perpetuae durantis ecclesiae in hac terra faciem representat. Tertias agit impius mundus, qui in Apostolis & primitiua ecclesia ostendit, quomodo porrò semper ministros uerbi & uerae ecclesiae membra tractare uelit.

## DE CERTITVDINE HISTORIAE

de Apostolorum Actis.

Historiam de Apostolorum Actis oportet esse certissimam, quia in hac texenda, non audita, sicut in Euangelica historia, sed uisa secutus est Lucas.

10  
 PRÆFATIO LVCAE IN ACTA

Apostolorum.

**P**Ræmittit Lucas suo more præfationem, antequã narrat, aut aufpicatur hunc librum Acta Apostolorum prænotatum: sic etiam suo Euangelio præfationem præmisit. Constat autem præfatio huius libri transitione: qua monet Theophilum, ad quem scribit Lucas de quibus rebus dixerit in Euangelij uolumine, & de quibus porro in præfenti libro dicere uelit. Summa ergo propositio fuit scripti Euangelij: quid Christus fecerit & docuerit usq; ad diem, qua assumptus est in cœlum. Præfentis libri propositio est summa: Lucam conscripturum ea, quæ post ascensionem Christi contigerunt cum Apostolis, atq; sic ad eò cum primitiua ecclesia, quam prædicatione Euangelij collegerunt Apostoli. Et quanquam hæc posterior propositio non ita satis aperta cernitur in præfatione, tamen ex sensu Lucae potius metienda est, quàm ex uerbis. Ratio autem obscuræ propositionis fortassis hæc dari potest: quia dum Lucas præter suã naturam breuis esse uult, incidit in obscuritatem, quæ tamen nihil incommodi hic adfert, postquàm titulus libri clarissimam propositionẽ ponit ob oculos.

Primum

Primum quidem sermonem feci.



**E**XORDIUM præfationis à transitione  
Primum : abusus superlatiui pro com-  
paratiuo, Græcis familiaris. Primum  
sermonem intelligit Euangelium. Ser-  
monem facere ponit Lucas, pro facere  
uerba aut scribere. De omnibus.

Scilicet ad salutem scitu necessarijs. Nam aliàs ex-  
tra dubium Christus multa alia & fecit & docuit, quæ  
tamen neq; à Luca, neq; ab alijs Euangelistis sunt scrip-  
ta. Ioannis. 20. Multa quidem & alia signa fecit Iesus  
in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scrip-  
ta in libro hoc : hæc autẽ scripta sunt, ut credatis &c.  
Idem. 21. cap. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus  
quæ si scribantur per singula, nec ipse opinor, mundus  
caperet eos, qui scriberentur libros.

O Theophile.

Captat beneuolentiam à persona Theophili, & sic  
ab omnibus pijs lectoribus, qui amant Deum. Siquidem  
sub persona Theophili, omnibus reliquis amantibus  
Deum loquitur Lucas.

Quæ cœpit Iesus facere

& docere.

Propositio seu summa Euangelij à Luca cõscripti. Et  
hæc

hæc propositio in genere tribus reliquis Euangelij partibus, à Matthæo, Marco, & Ioanne scriptis, sine aliquo periculo tribui potest In his enim duabus rebus frè consumuntur Euangelica scripta : hoc est, in doctrina & factis Christi.

Facere operum uitæ est, & miraculorum. Docere doctrinæ tantum. Rectè coniungit Lucas facere & docere, ut ostendat in ministris uerbi, & alijs pijs confitentibus uerbum, uitam debere respondere uerbo seu doctrinæ. In summa Christus uixit uitam doctrinæ sua digna: ergo & nos dignam Euangelio uitam uiuere debemus. Et id propterea : nam uita sepe non minus cõducit ad inuitandum hominum animos ad suscipiendum Euangelium, quàm ipsa doctrina. Matthæi 5. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, glorificentq; patrem uestrum, qui in cœlis est. 1. Petri. 2. Habete conuersationem uestram honestã inter gentes, &c. Quæ cœpit : postquã uenit in hunc mundum & assumpsit humanitatem. Facere præmittit Lucas. Siquidem Christus prius fecit, quàm docuit.

Vsq; in diem.

Circumstantia temporis testatur Lucas de suo Euangelio ut de perfecto opere, in quo nihil necessarij uel de factis, uel de doctrina Christi in hac terra agentis, omisit

Qua



Qua. Constructio est obscurior que sic fit aper-  
 tior Qua assumptus est, postquam per spiritum sanctum  
 mandata dedit Apostolis, quos elegerat.

Postquam per spiritum sanctum.

Torquent hic se interpretes. Alij enim in hunc mo-  
 dum exponunt hæc uerba. Postquam per spiritum san-  
 ctum mandata dedit Apostolis &c: id est, dato Aposto-  
 lis mandato de spiritu sancto Hierosolymis iuxta pro-  
 missionem expectando. Et hi putant uoces per spiritum  
 sanctum, positas esse pro uocibus de spiritu sancto, respi-  
 cientes ad sequentia. Et congregans eos præcepit &c.  
 que uerba priorum expositoria esse uolunt.

Alij sic exponunt: postquam per spiritum sanctum  
 mandata dedit Apostolis: id est, impartito Apostolis  
 spiritu sancto, iuxta illud Ioannis. 20. Accipite spiritum  
 sanctum &c: mandata dedit Apostolis de remittendis  
 & reseruandis peccatis: item alia mandata.

Et nos duplicem sensum adferimus. Priori ad hunc  
 modum interpretamur Lucæ uerba. Per spiritum san-  
 ctum mandata dedit Apostolis: id est, cooperante spiri-  
 tu sancto & aptos faciente Apostolorum animos ad ue-  
 re intelligenda mandata Christi. Posteriori ad hunc  
 modum. Per spiritum sanctum mandata dedit Apostolis  
 id est, talia mandato dedit Apostolis, que non nisi spi-  
 ritum sanctum

42 ERASMI SARCERII SCHOL.  
ritus sancti praesidio essent executuri Apostoli.

### Mandata dedit.

De remittendis & reseruandis peccatis, Ioannis. 20. De docendis & baptizandis omnibus Gentibus, Matthaei. 28. de praedicando Euangelio omni creaturae Marci. 16. de praedicatione poenitentiae & remissionis peccatorum sub nomine Christi, Lucae. 24. &c. Vel etiam de expectando spiritu sancto Hierosolymis iuxta promissionem. Quae omnia mandata contigerunt post resurrectionem Christi, antequam assumptus est in caelum.

Alludit hic obscure Lucas ad propositionem huius libri. Nam facta mentione mandatorum, simul uult intelligere & eorundem executionem, de qua meminit totus hic liber praesens. Quos elegerat

Commendatur gratia & excluditur meritum. Eligentis enim est, non currentis participes nos fieri gratiae Elegerat. Apostolatus singulare munus fuit, quod non ex aequo omnibus ministris uerbi aut Christianis competit

### Assumptus est.

Parasceue alludit ad sequentem Christi ascensionem Assumptus est: ad priorem gloriam, quam habuit ab aeterno cum patre aequalem.

Epicurea & Lucianica est opinio, Christum nunc assumptum in caelum supra nubes ociosum rerum mortalium

talium

talium spectatorē sedere, nec amplius curare nos. Quā opinionem uitabimus, quando ad finales assumptionis causas respiciemus. Assumptus enim est Christus in cœlū ut agat pro nobis æternum, saluatorē, sacerdotem, regem, ductorem, defensorem, aduocatum, interpellatorē mediatorē &c. ad Rom. 8. Quis ille, qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram dei, qui & intercedit pro nobis. Prima Ioannus. 2. Filioli mei, hæc scribo uobis, ne peccetis, & si quis peccauerit aduocatū habemus apud patrem, Iesum Christum iustum &c.

Methodum assumptionis Christi, & quomodo assumptionis Christi, uerè meditanda sit, quere Lector, in secundo Tomo meorum Locorum communium.

### Quibus & præbuerat seipsum.

Confirmatio à possibili per circumstantiam temporis, quod Christus potuerit suis Apostolis post resurrectionem dare mandato: quia præbuit seipsum eis uiuum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis &c. Item seruiunt hæc ad commendationem Apostolorum quorum acta conscribitur est Lucas. Finale causam cur Christus præbuerit seipsum post passionē suam Apostolis per quadraginta dies, uide in nostris Scholijs in 20. cap. Ioannis

Præbuit

Præbuit enim Christus seipsum Apostolis post passionem suam, ut eos de resurrectione sua confirmaret, atque certos redderet. Quid namque difficilius creditu, quam Christum diaboli tyrannide, peccati, mortis & inferni potentia oppressum, cum gloria & parata uictoria resurrexisse? Et ut nunc resurrectio Christi creditu est difficilis, sic & resurrectio nostra, de qua nihil certi potest statuere ratio. Seipsum uiuum: non phantasticum aut fictum: uerè ergo resurrexit Christus, sicut & uerè natus, passus, & mortuus est. Seipsum: ergo Christi substantia non est in spiritum transmutata: sed resurrexit manente corporis & carnis substantia. Vide Tertullianum de resurrectione carnis. Viuum: uita resurrectionis comes est. Resurrectio Christi nostræ resurrectionis causa est. 1. ad Corinth. 15. Quod si Christus prædicatur à mortuis resurrexisse, quomodo dicunt quidam inter uos, non esse resurrectionem mortuorum? Priore ad Theß cap. 4. Nam si credimus, quod Christus mortuus est, & resurrexit, sic & deus eos, qui obdormierunt &c. Post passionem suam.

Hæc signanter addit Lucas, ut exaggeret difficultatem resurrectionis Christi, qui accerbissima passione adfectus, tamen resurgere potuit.

Passionis uoce non tantum intelligit Lucas persecutiones



tiones Iudeorum, sed etiam oppressiones diaboli, peccata, mortis, inferni &c. In summa exaggerantur hic hostes & aduersitates, ut magis resurrectionis potentia illucescat. In multis argumentis.

Id est, multis modis & formis, quantum ad homines attinet: sic Mariæ uisus est Christus hortulanus, Ioan. 20. sic discipulis abeuntibus in Emaus uisus est peregrinus. Vel in multis argumentis: id est, signis multis seipsum uiuum præbuit Apostolis: qualia signa fuerunt, demonstratio manuum et pedum, fixura clauorum contactus lateris &c. Ioannis. 20. Horum signorum usus fuit, ut Christus infirmos et incredulos Apostolos, illis ad credendum resurrectionem inuitaret. Vnde hic uides signorum aliquem usum, qui est ad fidem inuitare. Et sane non admodum aliter, atq; uerbum incurrit in aures, & mouet cor ad credendum.

### Per dies quadraginta.

Circumstantia temporis certam reddit resurrectionem Christi, & simul exaggerat difficultatem credendi resurrectionem Christi: quæ enim si creditu res esset, facilis, non opus habuisset Christus, ita diu post resurrectionem apud discipulos commorari? Difficultas credendi resurrectionem Christi ex rationis iudicio profilit.

### Apparens ei.



Viuum seipsum exhibens eis & ostendens se uere resurrexisse.

### Et loquens de regno dei.

Hoc est, de ipso regno dei, & rebus uarijs ad regnum illud pertinentibus. *Lucæ 24.* Et exorsus à Moise & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. *Ibidem.* Hæc sunt uerba, quæ locutus sum ad uos, cū adhuc essem uobiscū, quod necesse foret impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & psalmis de me. Tunc aperuit illorū mentem &c. Per regnum Dei, ut uoce generali intelligit res omnes ad regnum dei pertinentes, quales sunt: remissio peccatorum, iustitia, uita æterna, passio, resurrectio Christi, promissio spiritus, &c.

Regnum Dei uocat à causa, quæ Deus est. Dei ponit ad discrimen mundani regni. Loquens: uocali & audibili uerbo, contra Anabaptistas.

### Et congregans eos præcepit.

Apertior est lectio. Et congregatis eis præcepit, Nā cum Christus præciperet Apostolis, ne ab Hierosolymis discederēt, sed expectarent promissum patris de spiritu sancto, erant congregati. Præceptum hoc Christi extat, *Lucæ. 24.* Et ecce ego mitto promissum patris mei super uos. Vos autem sedete in ciuitate Hierosolyma, quoadusq;

quo ad usq; induamini uirtute ex alto. Christus precipit Apostolis ut expectent spiritum sanctum: Ergo rerum sacrarum uerus intellectus, non nisi per spiritum sanctum contingit. Ne ab Hierosolymis discederent

Ergo Christus alligauit spiritum sanctum ad certum locum? Respondeo. Non. Sed Christus ideo uoluit Apostolos Hierosolymis expectare: quia Hierosolymis auspicianda erat predicatio Euangelij, Lucae. 24. Initio facta Hierosolymis.

Sed expectarent promissionem patris.

Sub spe certa. Nam quod fides credit, spes expectat uerum utramq; oportet certam esse atq; indubiam. Nota & promissionem ferè obiectum esse spei. Promissionem patris, quam pater in prophetis promisit, & in me & per me uobis apparuit. Et sequitur: quam audistis ex me. Pater respectum promissionis spiritus sancti causa est. Ioannis. 15. respectu processio- nis. Et Christus causa est, respectu missionis, Ioan. 15. Quem ego mittam uobis &c. Promissionem patris duo uocat: spiritum sanctum, ut ductorem in omnem ueritatem: confirmatorem, & obsecratorem: & dona eius. Siquidem dupliciter datur spiritus sanctus: ipse ut rector & gubernator noster: & dona eius. In sua substantia nemi- ni datur spiritus sanctus.

Quam audistis, inquit ex me

Singulari & peculiari reuelatione. Pertinent huc loci in Euangelistis, in quibus promittit Christus Apostolis spiritum sanctum, ut Ioannis. 14. 15. 16 & 17.

Christus non docet diuersa à patre, sed à patre promissa annunciat & reficit.

Quia Ioannes quidem baptizauit  
aqua.

Aetiologia à necessario, ut expectent promissionem patris: quia sine spiritu sancto confirmatore & obsignatore non possunt Apostoli fieri uiui, aut uerum rerum spiritualium intellectum habere. Alij hanc aetiologiam uolunt esse confirmatoriam à specie generalis promissionis patris de spiritu sancto: quasi hæc aetiologia contineat unam promissionis speciem & quod nunc speciatim dicat, prius in genere dixerit. Et hac ratione continet hæc aetiologia testimonium unius promissionis ab autoritate Ioannis. Enthymema prioris sententiæ.

Sine spiritu sancto confirmatore & obsignatore non potestis esse uiui: Ergo expectandum est, donec eum accipiatis. Enthymema posterioris.

Per Ioannem promisit pater spiritum sanctum:

Ergo promissio spiritus sancti certa est.

Quia Ioannes quidem baptizauit aqua: id est, &  
pater

pater Deus per Ioannem promissionem fecit spiritus sancti. Habes hic collationem personæ Ioannis, doctrine, baptismatis, officij, uitæ morum, & effectuum istarum rerum omnium, cum persona, doctrina, baptismate, officio uitæ moribus, & effectibus harum rerum in Christo. Et quanquam Ioannis persona doctrina, baptismus officium & uitæ mores, occasiones quædam sunt ad uitam & gratiam, tamen uitam et gratiã non conferunt.

Vides quoq; hic, quid simus ante spiritum sanctum obsecratorem & confirmatorem nostrum: nimirum litera tantum. Aqua representat personã Ioannis doctrinam, baptismata, officia, uitæ mores, & effectus istarum rerum: qui sunt madidas & frigiditas reddere conscientias, frigore enecare &c. Et hi sane sunt effectus alterius partis in pœnitentia, cui potissimum incubuit Ioannes. Interim certa manet sententia, etiam Ioannem fidem in Christum alteram pœnitentiæ partem docuisse homines ad salutem: quanquam iuxta suum officium mortificationem magis festinãrit, & ab hac parte pœnitentiæ potius æstimanda ueniat persona Ioannis unã cum doctrina, baptismate, officio, uitæ moribus, & rerum istarum effectibus. Vnde marc tale discrimen inter personam Ioannis & Christi, & inter utriusq; doctrinam, baptismata, officium, uitæ mores, & effectus il-



larum rerum, colligitur. Persona Ioannis non est persona Christi: doctrina Ioannis rigidior est, & magis declinat ad mortificationem, quam doctrina Christi: baptisma Ioannis rigidioris doctrinae signum est. baptisma uero Christi signum est doctrinae mansuetioris & magis consolatoriae. Officium Ioannis est testari de gratia officium Christi est, conferre gratiam: uitae mores in Ioanne sunt, non edere, nec bibere, uitae mores in Christo sunt edere & bibere. Effectus, qui sequuntur personam, doctrinam, baptisma, officium, & uitae mores Ioannis potius respiciunt ad mortificationem, & sunt maledidas & frigidas reddere conscientias, frigore enecare mortificare &c: effectus, qui sequuntur personam doctrinam, baptisma officium, & uitae mores Christi, potius respiciunt ad uiuificationem & consolationem.

Sunt qui prorsus nullum discrimen faciunt inter doctrinam & baptisma Ioannis, & inter doctrinam & baptisma Christi, & sunt contenti discrimine solo inter personas & officia utriusque, ita quod Ioannis persona non sit persona Christi, nec officium Ioannis, officium Christi. Aliud enim est praecursorē esse: aliud quoque dominum esse: aliud est testari de gratia, aliud est, conferre gratia. Et hoc discrimen Ioannes ipse de se & Christo profert, Ioan. i. ubi primū discernit inter personam & perso



et personā, postea inter officiū et officiū. Siquidē ait, nō  
 sum ego Christus. Et addit: Ego uox clamantis in deser-  
 to &c. Hi presentem locum in Actis: quia Ioannes  
 quidem baptizauit &c. simpliciter intelligunt de discrimi-  
 ne personæ & officij, & tribuunt Ioanni & Christo  
 eandem doctrinam & baptisma idem: à quorum iudi-  
 cio etsi non admodum discedo, tamen propter oppositi-  
 onē aque & spiritus & propter alias causas permitto  
 mihi prædictū meum discrimen, qualecunq; etiam place-  
 re. Nec clam est Ioannis doctrinam, & baptisma unā  
 cum officio, magis respicere ad mortificationem: Chri-  
 sti uerò doctrinam & baptisma unā cum officio ma-  
 gis ad uiuificationem seu gratiam. Verum quid attinet  
 de his rebus hic multum disputare cum simplex sit hu-  
 ius loci sententia, etiam per Ioannem Baptistam factam  
 esse promissionem de spiritu sancto confirmatore & ob-  
 signatore, quo carere non possunt, qui debent uerè uiuere  
 esse & rerum spiritualium uerum habere intellectum.  
 Nam & prædicatio Ioannis de pœnitentia litera tantū  
 est & manet, sine spiritu sancto confirmatore & ob-  
 signatore. Et Nicodemi exemplo etiam adhuc extra regnū  
 cœlorū sunt, qui consentunt Christū à deo uenisse ma-  
 gistratū, sine spiritu sancto cōfirmatione et obsignatore.

Vos autem baptizabimini &c

ERASMI SACERII SCHOL.

Id est, omnia illa quæ in uobis cœpta sunt per prædicationem, seu uocalem & audibile uerbum, spiritus sanctus reddet uiuaciam, & de illis confirmabit uos.

Monemur hic omnem in nobis cognitionem rerum spiritualium, ante spiritum sanctum confirmatorem & obsecratorem literam esse. Baptizari spiritus sancto, est intus per spiritum sanctum doceri, uiuificari, confirmari, obsecrari &c. Item monemur hic etiam uerbi ministerium parum prodesse, sine spiritus sancto dante incrementum. Paulus & Apollos rigant atq; plantant, sed Deus dat incrementum. 1. ad Corinth. 3.

Item monemur contritionem sine fide, mortificationem sine uiuificatione, legem sine Euangelio parum conferre ad salutem. Quanquam contritio, mortificatio, et lex occasiones quædam sunt ad salutem, quam tamen conferre non possunt. Spiritus sanctus hic accipitur pro confirmatore & obsecratore, & pro donis eius.

**OBIECTIO.** Cur ait baptizabimini spiritu sancto cum prius spiritum sanctum habuerint Apostoli. Nam cognoscere Euangelium, suscipere &c. sine spiritu sancto non contigerunt Apostolis?

**RESPONSIO.** Habuerunt spiritum sanctum ut illuminatorem, sed nondum ut confirmatorem et obsecratorem. Quod enim Apostoli in die Pentecostes spiritum sanctum

tum sanctum acceperunt, id factum est pro Apostolorum confirmatione & ob signatione. Aliud autem est ad Euangelium per spiritum sanctum illuminatum esse, aliud est de Euangelio per spiritum sanctum confirmari et ob signare. Sic unum est de officijs spiritus sancti, illuminare ad Euangelium, & unum est de illis, de Euangelio confirmare & ob signare illuminatos.

Vos: scilicet qui habetis iam aliquam uerbi seu rerum spiritualium cognitionem. Baptizabimini spiritu sancto: id est, in confirmationem & ob signationem.

Non post multos hos dies.

Christus futura scit: Ergo deus est.

Igitur qui conuenerant.

Exemplum infirmitatis & ignorantie in Apostolis qui cum audiunt de baptismo spiritus sancti, & sic de spirituali regno, ipsi carnale intelligunt. Typum gerunt Apostoli omnium nostrorum, qui ante confirmationem & ob signationem spiritus sancti, etiam habentes aliquam uerbi cognitionem, de regno dei & rebus ad hoc pertinentibus carnaliter sentimus. Et manet hoc iudicium de regno dei & rebus ad hoc spectantibus, in nobis perpetuum, nec prius aufertur nisi accesserit spiritus sanctus doctor, confirmator, & ob signator. Oritur uero hoc iudicium ex ratione, quae regnum dei & res ad hoc per

tinentes non capit, sed æstimat e rebus huius uitæ.

Consolatorium est pro nobis infirmis & ignorantibus, Apostolos infirmos & ignorantes fuisse. Ast quia Christus reprehendit infirmitatem & ignorantiam in Apostolis, ostendit infirmitatem & ignorantiam nostram sibi displicere. Igitur coherentia est ex circumstantia temporis: quia enim audiunt Apostoli de tempore: igitur interrogant, dicentes &c. Quia conuenerant: hæc confirmant superiorem lectionem. Et congregatis eis præcepit &c. **Domine.**

Captatio beneuolentiæ à personæ dignitate.

**Num in tempore hoc restitues regnū  
Israël?**

Questio est de certo tempore, ut de articulo, momento, et puncto baptismi spiritus sancti, et restitutionis regni Israël. Videntur & apostoli sua questione præscribere Christo tempus.

Quemadmodum adfecti sunt Apostoli in animis sic foris loquuntur. Animis appetūt carnale regnum, illud foris requirunt uerbis. Nota quid plerumq; sub Euangelio queramus: nimirum carnalia & libertatē carnis. **Dixit autem eis.**

Summa est responsi Christi, regnum suum non esse carnale regnum, sed spirituale, prædicatione uerbi inchoandum



choandum & perficiendum, non carnali potentia & carnalibus armis. Præterea quia curiositatis erat in Apostolis de articulo & puncto restitutionis quærere: igitur suo responso reuocat eos Christus à curiositate & hortatur eos, ut sua curent, nec immisceant se rebus solius Dei notitiæ apertis. Docemur hic ne altiora nobis indagemus, neque simus curiosi circa res, quæ Deus sibi reseruauit, & nobis uerbo aperto non aperuit. Item, ne præscribamus Deo suarum actionum tempus. Simile responsum accipiunt Apostoli & alibi de hora nouissimi diei. Et hoc responsum omnibus interrogationibus de oportunitate temporum circa res spirituales opponi debet. Sic quando ipsi præscribimus Deo tempus exauditionis seu liberationis, possumus nobis ipsis respondere: Non est nostrum nosse &c. Sic quando audimus alios præscribere Deo tempus, respondere debemus. Non est uestrum nosse, &c. Psal. 9. Adiutor in oportunitatibus in tribulatione: id est. Deus nouit oportunitates, tempora, & momenta, quibus iuuare debet.

Enthymema.

Non est uestrum nosse tempora uel momenta:

Ergo patris solius est nosse.

Tempora uel momenta. in Græco est, χρόνος ἢ καὶ πόνος. Alterum genus, alterum species est.

Quæ



Quæ pater posuit in sua  
potestate.

Id est, quæ solus pater scit. Causa, quæ solus pater nouerit tempora & momenta, et ea sibi reseruauit, hæc est, ut à securitate nos reseruaret. In sua potestate: uidelicet, qua tamen deus potens est aperire tempora & momenta cui uult, & quando uult.

Sed accipietis uirtutem superuenientis spiritus sancti.

Exemplum philanthropiæ in Christo, qui adeò non reijcit infirmos & ignorantes Apostolos, ut etiam promittat illis futura media, per quæ infirmitas & ignorantia illorum tollantur. Vides hic quis sit spiritus sanctus: nimirum ab actor infirmitatis, & ignorantia de regno dei, & rebus ad hoc pertinentibus. Officium ergo est spūs sancti abigere infirmitatem et ignorantia, et rursus confortari, & scientes facere. Locus hic promissio est: igitur spiritus sanctus non contingit ex opere operato.

Item nota ante spiritus sancti confirmationem et oblationem, nos regnum dei, & res ad hoc pertinentes non rectè intelligere. Sed hac aduersatiua particula, quasi ex improviso territos Apostolos, rursus erigit et consolatur Christus. Virtutem opponit infirmitati & ignorantia: & est sensus. Vos iam infirmi estis, sed ueniet

ueniet spiritus sanctus, & reddet uos robustos: uos iam ignorantis estis, nec intelligitis meum regnum, sed ueniet spiritus sanctus, & faciet uos scientes, ut uere intelligere possitis, quale regnum meum sit. Superuenientis: hæc uox commendat gratiam & excludit meritum.

Superuenit nos spiritus sanctus: Ergo non est in nobis.

Spiritus sancti: doctoris uestri, confirmatoris, & obsecratoris. In uos: obserua nos esse templa spiritus sancti. 1. ad Corinth. 3.

### Et eritis mihi testes.

Institutio ministerij uerbi in Apostolis, quod nihil est aliud, quam testimonium de Christo uniuersale pro omnibus hominibus: unde sequitur: in Hierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & usque ad extremum terræ Recte nunc sequitur promissionem spiritus sancti, officium Apostolorum, quod accepto spiritu sancto, primum bene expedire potuerunt. Item recte hic coniunguntur spiritus sanctus et ministerium uerbi: hoc enim sine illo non est fructiferum. Priore ad Corinth. 3. Ego plantavi, Apollos rigauit, sed Deus dedit incrementum.

Item recte monet hic Christus de officio Apostolorum. Nam Apostoli regno carnali inhiantes, expetebant officia carnalia, à quibus eos abducit, ut uel ex officio suo ad quod dispositi erant, cognoscant, quale regnum  
dei

Dei sit: uidelicet spirituale, in quo non regitur mundal-  
 norum regum more, sed seruitur. Refert hic expende-  
 re, quales fuerint Apostoli, & quales sint omnes prædi-  
 catores uerbi: nimirum testes Christi regis seu uniuers-  
 salis gratiæ. Discernit etiã hic Christus, inter suam per-  
 sonam, & uerbi ministros. Christus rex est in regno spi-  
 rituali. Ministri tantum testes sunt Christi in regno spi-  
 rituali, regis. Testes autem uocantur Apostoli, & sic re-  
 liqui ministri, quia in auribus testantur de rege Christo  
 Spiritus sanctus uerò intus testatur in cordibus de eo-  
 dem, Ioannis. 15. Et ille cū uenerit, testimonium perhibebit  
 de me. Videlicet in cordibus. Et uos estis mihi testes:  
 uidelicet in auribus hominum.

In Hierusalem, & in omni Iudæa.

Christus est uniuersalis rex omnibus, sic & testimo-  
 nium de Christo uniuersale est. Psal. 2. Postula à me, &  
 dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem  
 tuam terminos terræ. Esa. 49. Dabo te in lucem genti-  
 um, ut sis salus usq; ad extrema terræ.

Porrò ut nunc Christus uniuersalis rex est, & testi-  
 monium de Christo rege est uniuersale: ita regnū Chri-  
 sti uniuersale est, iusticia, remissio peccatorum, & alia  
 in regno Christi &c. Et usq; ad extremum terræ: uin-  
 dicatur his uerbis regnum dei à circumstantijs perso-  
 narum

narum & locorum. Pertinet huc locus. Luc. 17. ubi ait Christus. Regnum meum non uenit cum obseruatione ad est, non est ligatum ad ulla circumstantias.

Et cum hæc dixisset.

Institutio & commissio ministerij uerbi ultimum uale fuit, quod Christus abiturus ad patrem, suis Apostolis reliquit. Sicut etiam referunt omnes Euangelistæ unanimiter. Post quod uale, in cælum abiit. Recte ergo nunc subiicit Lucas, postquam ultimi uale mentionem fecit, discessum ad patrem. Item facta mentione regni Christi, pulchrè nunc sequitur ascensio, per quam Christus regnum suum incepit.

Vsum ascensionis Christi quære in secundo Tomo methodi nostrorum Locorum communium. Nostra causa ut conceptus est Christus: nostra causa natus, passus, & mortuus: ita & nostra causa resurrexit, & ascendit. Et cum hæc dixisset: de acceptione spiritus sancti & officio Apostolorum.

Dixisset: scilicet loco ualedictionis. Luc. 24. Et factum est cum benediceret illis, recessit ab eis, Benedicere hic nihil aliud sonat, quàm ualedicere.

Videntibus.

Regnum Christi ut est apertum, Euangelium aperta doctrina, & Christus rex apertus: sic decuit & ascensionem Christi apertam esse.



Necessarium quoque fuit uidere Apostolos ascendentem Christum quò confirmarentur de omnibus. Nam hic quidam ascensionis Christi usus est.

**Eleuatus est, & nubes suscepit eum.**

Hypotyposis ascensionis Christi cuius usus est, ut certo scianus, Christum ascendisse in coelum. Et nubes suscepit: decorum est creaturas seruire creatori. Habes & hic usum quendam, ad quem create sunt creaturae, de quo uide Psalmum antepenultimum. Suscepit eum liberius interpretantur quidam uerbum suscepit, pro euauit: liberrimè autem & prauissimè interpretantur hæc omnia: & nubes suscepit eum ab oculis eorum: pro eo, quod est, Christus corpus & carnem exiit, & in spiritum mutatus est. Cõtra quos uide Tertull. de resurrectione carnis. Ab oculis eorum scilicet à corporali aspectu tantum. Firma enim stat sententia. Et ecce ego uobiscum sum, omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Epicureorum argumentum est.

Christus à nostris oculis sublatus est: Ergo Christus amplius non curat nos. Lucianicum est argumentum.

Christus à nostris oculis sublatus est: Ergo Christus nunc sedet supra nubes ociosus rerum mortalium spectator. Sic enim finxit Lucianus Iouem supra nubes sedere ociosum rerum mortalium spectatorem.



Papisticum est argumentum. Christus à nostris oculis sublatus est: Ergo Christus non est ulterius pastor noster, sed Papa.

Cumq̄ intuerentur.

Exemplum infirmitatis in Apostolis, qui sine dubio ad ascensionem Christi sic cogitarunt. Nunc abiit Christus: ergo actum est de restitutione regni Israël: actum est de nobis: frustra secuti sumus Christum, &c. De his cogitationibus et similibus facit nos certos Ioannes cap. 14. & 16. ubi scribit Apostolos ad uerba de abitione Christi ad patrem corde turbatos fuisse: quanto ergo magis corde turbati fuerunt, quando presentes eum abire uiderunt? Turbari corde intelligit ibi Ioannes, uerbo offendi, tam de persona, quam de doctrina Christi. Et huius turbationis ex corde, effectus est hic intuitus Apostolorum, quo ostenderunt se & de persona et de doctrina Christi addubitare. Declarant autem Apostoli suo exemplo, quam difficile sit posse ascensionem acquirere, & statuere eam nostrae salutis causa factam esse. Sed ratio parit illam difficultatem, quae sic argumentatur in cordibus Apostolorum.

Christus abiit: Ergo de Christo actum est. Item.

Christus abiit: Ergo Christus non restituet regnum Israël. Item. Christus abiit: Ergo Chris-

stus ulterius non agat nostri curam. Apostoli eorum ~~et~~  
 pum gerunt, qui ex iudicio rationis & sensu carnis me-  
 tituntur res Dei, et qui nolunt acquiescere rebus dei, nisi  
 ratione & sensu carnis eas apprehendat. Verum oportet  
 hic stultificare sensum carnis unà cum iudicio ratio-  
 nis in obsequium Christi. Infirmitas quæ hic in Aposto-  
 lis semel contigit circa ascensionem Christi, ea in nobis  
 circa omnes res Dei perpetua est, nec tollitur in nobis  
 nisi diuinitus instituamur & erudiamur, sicut Apostoli  
 instituti et eruditi per angelos fuerunt, & postea per spi-  
 ritum sanctum? **OBIECTIO.**

Quid ergo decuisset Apostolos. **RESPONSIO**

Decuisset eos sic argumentis contra rationis iudici-  
 um agere. Christus abiit: Ergo Christus nouū suum  
 regnum cœpit, & potentissimus illius regni ad dexterā  
 Dei patris pro nobis rex factus est, nec est de illo actum.  
 Item. Christus abiit: Ergo Christus restituet regnum  
 Israël. Item. Christus abiit: Ergo Christus ulterius  
 nostri curam uehementissimam aget.

Et ad hæc argumenta instigari debuissent Apostoli  
 ex prædictis uerbis de utilitatibus abitionis Christi ad  
 patrem. Ioannis. 14. Ne turbetur cor uestrum. Creditis  
 in Deum, & in me credite. In domo patris mei multe  
 mansiones sunt. Quod si secus esset, dixissem uobis;

Uado paraturus uobis locum &c. Item. 16. cap. Sed ego ueritatem dico uobis, expedit uobis, ut ego uadam. Si enim non abiero, consolator ille non ueniet. Sin autem abiero, mittam eum ad uos. Intuitus Apostolorum effectus est infirmitatis & scandali in Apostolis, ex quo tam de persona, quam de doctrina Christi dubitarunt.

Intueri est hic cum stupore quodam admirari, ita ut turberis de Christo, quasi de illo iam actum fiet.

Ecce duo uiri astiterunt

Philanthropie exemplum in Christo, qui turbatis & offensis Apostolis, consolatione statim medetur, ut sciant Apostoli, non esse actum de Christo, etiamsi abierit, nec in hoc abiisse, quò amplius nullam suorum curam habeat, sed ut uehementiorem habeat: nec in hoc abiisse ut de regno promisso suos defraudet: uerum in hoc, ut promissum regnum instituat &c. Hæc & similia ueniunt nobis per consolationem angelorum intelligenda.

Porro quia angeli mittuntur ad consolandum Apostolos contra scandala ascensionis: igitur ascensione Christi non offendi, sed credere illam nostra causa factam esse, sicut alia Christi omnia, donum e supernis est.

Summa est consolationis angelorum, Christum in hac terra non amplius fore expositum oculis, neq; hic

regnaturum in carnali regno, neq; hic carnalem regem futurum, sed abiisse in cœlum, incœpisse regnum spirituale pro conscientijs tantum, in quo & regnabit per suum uerbum, & aget pro credentibus regem, interpellatorem, mediatorem, intercessorem, propiciatorem, aduocatum, patronum, rectorem, gubernatorem, pastorem, defensorem, & tutorem ad Dei patris dextram, donec ponantur sibi omnes inimici scabellum pedum suorum, et donec tradat regnum Deo patri, & aboleat omnem principatum, potestatem, ac uirtutem. 1. Corinth. 15. Si quidē hoc tempus duraturi regni Christi, his uerbis exprimentur angeli. Hic Iesus qui assumptus est à uobis in cœlum, sic ueniet: scilicet in nouissimo die, subactis omnibus inimicis regni sui quemadmodum uidistis eum euntem in cœlum. Tria ergo potissimum angelorum responso seu consolatione aguntur. Significatur non esse actum de Christo, etsi abierit: deinde Christum abiisse ut pro nobis regnum instituat, & apud patrem pro nobis regem agat: tertio, quandiu regnum Christi duraturū sit, et quandiu regē acturū in illo regno: nimirū usq; ad nouissimū diem. Adumbratur etiā nobis hic officium angelorum, quod est ministrare nobis, & seruire, & consolari nos. Recte igitur autor epistolę ad Hebręos cap. 1. uocatos ministratorios spiritus.



Ecce: inopinantis seu attentionis particula, qua exprimitur uehemens & ardens Christi cura pro infirmis & offensis Apostolis. Et decorum & necessarium simul fuit, sic statim atq; ex improviso consolari Apostolos, qui ex abitione Christi putabant se nunc omni cura & praesidio Christi priuatos esse.

Ecce particula commendat Christi curam pro nobis uehementissimam & ardentissimam, quia non prouocatur consolatiōem sed statim ex improviso mittit.

Duo uiri: angelos putat, qui assumpserant uiri corpora ad tempus, non quorum spiritualis substantia mutata erat in uiros. Vide Tertullianum de carne Christi.

Asiterunt: notat hoc uerbum studium angelorum erga nos, & amorem. Idem notat & particula iuxta.

### In uestibus albis.

Decuit uestes albos habere angelos, quia uenerant grata et amœna annunciaturi: quemadmodum albus color est gratus & amœnus. Nec scio, quid gratius & amœnius contingere potuerit Apostolis, quàm audire Christum regnum suum coepisse, & in eo usq; ad finem mundi pro omnibus credentibus, regē regnaturū?

Enthymema. Angeli uenerant grata annunciaturi: Ergo decuit eos habere uestitū coloris grati. Item albi equi in triumphis parta uictoria, adhibebantur:



ergo decuit angelos in albis uestibus incedere, qui ueniant triumphum partæ uictoriæ per Christū denuntianturi, & eū regē super diabolū, peccatū, mortē, infernū, & damnationē proclamaturi. Qui & dixerūt.

Angeli suum nuntium non insinuant in pectora Apostolorum, sed dicunt in aures eorū ad cōmendandū uocale & audibile uerbum, contra furiosos Anabaptistas.

**Viri Galilæi.** A loco appellant angeli Apostolos, quasi dicant: qui in Galilæa multum uersati estis cū Christo, & uidistis iuxta promissionē, & audiuistis in Galilæa, Christū à mortuis surrexisse, in hoc ut abiiret ad patrē, & nouū regnū auspicaretur: & quia uidistis eum & talia ex eo audiuistis: igitur nunc robustiores esse deberetis, nec sic facile abitione Christi offendi, quasi de illo actum sit, et quasi uestri iam nō amplius curā agat. Vel simpliciter erigunt Apostolos à loco, quasi dicant: Galilæi estis. Igitur non debetis infirmari, turbari, & offendi abitione Christi. Sic & nos plerūq; argumentamur. Germani estis: Igitur nō deceat uos esse effœminatōs.

**Quid statis aspicientes in cœli: m?**

Scilicet, quasi iam actum fiet de Christo, quasi Christus nequeat restituere regnum Isrælis, et quasi amplius uestri curam non uelit habere, quia abiit ad patrē?

Aspectus hic effectus est infirmi & scandalizati animi  
in Apostolis, propter Christi abitionem. Testantur etiã  
Apostoli hoc aspectu, se inhiare adhuc carnali regno.

Hic Iesus qui assumptus est à uobis  
in cœlum, &c.

Id est, Christus qui assumptus est in cœlum, in hoc  
assumptus est, ut rediret ad pristinam suam gloriã, quã  
habuit cum patre ab æterno æqualem, ut auspicaretur  
suum regnum, ut fieret rex & interpellator pro omni-  
bus in eum credentibus, donec omnes inimicos suos scã-  
bellum pedum suorum poneret. Duo in genere sibi uo-  
lunt angeli suis uerbis. Alterũ, Christũ non esse frustra  
assumptum in cœlum, sed ut instrueret regnum spiritua-  
le: alterũ, Christum in instituto regno, regnaturũ usq;  
ad finem seculi, Psal. 109. Et 1. ad Corinth. 15.

Responsum angelorum confirmatio est superiorum  
promissionũ Christi, de utilitatibus sue abitionis ad pa-  
trẽ, Ioannis 15. et 16. Sic ueniet quẽadmodũ.

Apertẽ & uisibiliter. Mirũ est, cur Anabaptistæ hic  
mentionẽ faciunt cœnæ dominicæ, cum tamen hic locus  
nõ de presentia corporis & sanguinis Christi in cœna  
loquatur, sed tantum de aduentu Christi nouissimo, in  
extremo die, qui erit apertus & uisibilis. Alia autem  
est ratio cum presentia corporis & sanguinis Christi

in cœna, quæ non est aperta, nec uisibilis, nec sensibilis  
exposita. Ridicula est argumentatio. Christus sic  
ueniet in extremo die, sicut assumptus est in cœlum:

Ergo Christi corpus & sanguis non est præsens in  
cœna. Verum de hac materia, consule primum To-  
mum locorū cōmunium nostræ methodi in loco de cœ-  
na, in contrarijs cœnæ. Sic ueniet: scilicet in nouissi-  
mo die. Nam eò usq; durabit regnū Christi, in hac ter-  
ra, Psal. 109. Et 1. ad Corinth. 15.

### Tunc reuersi sunt Hierosolymam

Hactenus præfatio in Acta Apostolorum, in qua pau-  
cis repetijt Lucas & obiter tantum, quæ Christus eges-  
sit cum suis Apostolis post resurrectionem, usq; ad as-  
censionem: sequitur nunc primū caput, quo Actorum  
librum uerè exorditur Lucas, omiffa propositione ali-  
qua aperta, quam in præfatione tacite perstrinxit solū:  
nimirum se scripturū res ab Apostolis & cum eis post  
ascensionem Christi gestas. Et hanc esse huius libri pro-  
positionem generalem, satis arguit titulus, Acta Apo-  
stolorum prænotatus.

### CAPVT PRIMVM

#### Tunc.

**C**ohærentia pendet ex circumstantia temporis.  
Tunc: scilicet post assumptionem Christi. et  
conso

consolationem ab angelis factam Apostolis.

Reuersi sunt: uidelicet in hoc, ut mandato Christi satisfacerent, quo mandauerat illis, ne ab Hierosolymis discederent, sed expectarent promissionem patris. Exemplum obedientiæ est in Apostolis, qui mandato Christi obediunt. Testantur quoq; Apostoli hac reuersione, quod angelis crediderint, & consolati fuerint. Reuersio enim alicuius fidei opus est. Præterea si ex uerbis angelorum non accepissent consolationem, & non credidissent rem se cum Christo adhuc bene habere, etsi abierat, mansissent in dubitatione, nec reuersi fuissent Hierosolymam, scandalo impediti. **A monte.**

Circumstantia loci confirmat historiam. Eò seruit & loci appellatio & distantia. **Sabbati iter.**

Secundum quosdam spaciū mille passuum, secundum quosdam bis mille passuum. Vide Hieronymum, questio, ad Algasiam 10.

**Et cum introissent, ascenderunt in cœnaculum.**

Exemplum compositæ uitæ in Apostolis, qui non discurrerūt ociosè per plateas, nec perrepererunt aliorum ædes, sicut illi hæctenus consueuerunt facere, de quibus Apostolus ait. 2. ad Timoth. 3. Qui subeunt familias, &c. Et cœnaculi fit mentio, propter certitudinem



historia. Cœnaculū editior locus est in domo ad quem  
etiā scalus ascenditur. Petrus & Iacobus, etc.

Et Apostolorū nomina seruiunt certitudini historie  
Iacobus Alphæi. Alphæi filius Simonis &  
Iudæ frater. Simon zelotes. A Chana ortus,  
quæ Hieronymo Zelum apud Latinos significat.

Iudas Iacobi. Ad differentiam Iscariotis.

Hi omnes erant perseverantes, &c.

Docent Apostoli suo exemplo, quid nos deceat ad  
promissa Dei impetranda agere: nimirum perseverare  
unanimiter in oratione & deprecatione. Item docent  
nos de medio, quo promissa Dei impetramus, quod est  
oratio unanimitis cum deprecatione. Item docent nos, ne  
ad promissa Dei dubitemus, etsi Deus promissa procras-  
tinet: uerum in unanimiti oratione & deprecatione, ex-  
pectemus promissa patienter. Perseverare in oratione  
& deprecatione, est sedulo orare. Item notat uerbum  
perseverantes potissimā unā orationis causam, quæ est  
fides, cuius est natura, tamē credere promissis, etsi deus  
nō statim præstet ea. Est etiā hic adūbrata spei natura,  
quæ à fide credita promissa, in summa patiētia expectat  
Unanimiter: hæc uox de forma orandi uera nos monet  
quæ est in concordia orare. De qua forma sic meminit  
Apostolus. i. ad Timoth. 2. Volo igitur orare uiros in  
omni



omni loco, sustollentes puras manus, absq; ira atq; disceptatione. Monemur igitur hic, in discordia orantes nō exaudiri nos à deo. Spectant huc loci, Esa. 1. & 58. qui docent Deo nostra omnia ingrata esse, sine charitate in proximū. Primo capite ait Propheta. Ne offeratis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi. Neo meniam, & sabbatum, et festiuitates alias non ferā, etc. Quiescite agere peruersē, discite benedicere. Querite iudiciū, & subuenite oppresso, & c. Cap. 58. Nūquid tale est ieiunium, quod elegi, & c. Nōne hoc magis est ieiunium, quod elegi. Dissolue colligationes impietatis, & c. Frange esurienti panem tuum, & c. Item Matth. 5. ait Christus: cum obtuleris munus tuū ad altare, etc.

Et uox unanimiter ostendit concordiam inter Apostolos non hypocraticam fuisse, neq; fucatam, sed animi cōcordiam, ad quam assensum præbuerunt & animi. In oratione & deprecatione coniungit Lucas, ut indicet Apostolos serio orasse. Nam deprecatio uehementius quiddam sonat quàm oratio. Et Apostolus passim orationē & deprecationē copulat, quo seriā ac uehementē orationem insinuet.

Oratio ex hoc loco describit in hūc modū potest. Oratio est, unanimis p̄seueratio cū deprecatione. Orare est unanimi p̄seueratione deprecari. Et hæc definitiones,

non tã tribui debent orationi priuatae alicuius personae  
quã orationi uniuersalis ecclesiae aut multorum in ec-  
clesia. Cum mulieribus.

Et hæc circumstantia certam reddit historiam.

### Maria matre Iesu.

Signanter mentionem facit Lucas Mariæ matris Iesu  
& fratrum eius, ut ostendat fidem Mariæ & fratrum  
eius, qui cognati sui morte non fuerunt offensi, uerum  
tamen crediderunt eum esse uerum Messiam.

### Fratribus eius.

Hebræorum more pro cognatis.

In diebus illis. Nouus euentus, qui in congre-  
gatione Apostolorum, & mulierum, & fratrum Chris-  
ti contigit, cuius hæc propositio est, quomodo oportue-  
rit secundum scripturas Iudam proditorem perire, &  
alterum in eius locum eligi, in qua electione consumitur  
quicquid sequentis Capituli reliquum est. Est autem hic  
euentus ueluti per digressionem insertus, nec tamen hic  
temerè: decuit enim numerum Apostolorum plenum  
esse, antequàm ueniret spiritus sanctus. Item usus est huius  
euentus per digressionem inserti, ut uideas, quamdiu  
Christus suspenderit missionem spiritus sancti, ad proba-  
tionem fidei in Apostolis. In diebus illis: coheren-  
tia pendet ex circumstantia temporis.

Exurgens

## Exurgens Petrus.

Fortassis spiritus sancto impulsus. Nam historie sacre haud temere euenire credendum est Nota simplicitatem in Petro, qui absq; omni fastu ad docendum exurgit. Petrum decuit primum exurgere, & non alium quia Petrus negauerat Christum, cui negationi, aperta confessione respondit. In medio fratrum.

Non pudet Petrum uerbi Dei: igitur in medio fratrum loquitur. Præterea quia certa est doctrina Petri: igitur non abhorret lucem. Damnantur qui in angulo docent in signum suspectæ et falsæ doctrine. Ioannis. 3. Omnis qui mala agit odit lucem nec uenit ad lucem ne arguantur opera eius. Qui autem operantur ueritatem, uenit ad lucem, ut cõspicua fiant facta eius &c. De recta forma est docendi in medio fratrum docere, ut si quid assidenti reuelatũ fuerit, simul audiatur. 1. Corinth. 14. Prophete duo aut tres loquantur, & ceteri diiudicent Porro si alij fuerit reuelatum assidenti, prior taceat. Potestus enim singulatim omnes prophetare &c.

Dixit.

En uocale & audibile uerbũ contra Anabaptistas.

Erat autem turba hominum simul ferè centum uiginti.

Commendatur auditorium Petri à frequentia

Scruiè

Seruit quoq; numerus auditorum ad certitudinē hī  
 storie. Turba hominum : notatur qualitas auditorum.  
 Priore ad Corinth. 1. Non multi nobiles. Non multi po-  
 tentes &c. In Græco est : ἡν τε ὄχλος ὀνομαζέσων. idē  
 est, eratq; turba nominū : pro eo quod est, nominatiuū  
 erant numero simul ferē centum uiginti.

### Viri fratres.

Insinuatio apud auditores, cuius usus est, ut eos fac-  
 cilius commoueat Petrus. Oportet.

In Græco est, ἔδει, oportebat uel oportuit.

### Impleri scripturam.

Petrus scripturam proponit, non sua somnia.

Impleri scripturam finis quidam est datæ scripturæ  
 Impletio scripturæ reddit Deum ueracem, qui eam ad  
 implendum promisit. Scriptura genus est omnium sa-  
 crorum librorum. Enthymema. Oportuit impleri  
 scripturam : Ergo Iudas periit. Obserua nec malos  
 euentus in scriptura temerē contigisse.

### Quam prædixit spiritus sanctus

Apertus locus contra eos, qui negant prophetas spi-  
 ritum sanctum habuisse, aut spiritum sanctum in ueteri  
 testamento notum fuisse, aut spiritum sanctū nato Chri-  
 sto primum cœpisse. Prædixit : officium unum spiritu  
 sancti prædicere futura. Ex uno hoc uaticinio disce-  
 nihil

nihil circa Christū temerè accidisse. Spiritus sanctus :  
ipse natura sanctus, & alios sanctificans.

Per os David.

Prophete ex spiritu sancto locuti sunt. Enthymema.

Spiritus sanctus autor est prophetie scripturae :

Ergo certa & indubia est. Per os : En quibus mo-  
dijs utatur spiritus sanctus, non angelis, sed hominibus,  
non interna motione tantum, de qua sola disputant ho-  
die Anabaptiste, sed etiam audibili & uocali uerbo.

De Iuda. Signanter addit proprium nomen.

Qui fuit dux eorum

Ducis uocabulo exaggerat peccatum Iudae. Sic &  
Christus exaggerans Iudae peccatum, ait ad Pilatum.  
Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet,  
Ioannis. 19. Certè uoluit ducis uocabulo discernere Pe-  
trus inter peccatum & peccatum.

Qui a numeratus erat nobis.

Nobis ualdè emphaticòs inquit, ut ostendat malos  
bonis, & hypocritas uerè credentibus in ecclesia mix-  
tos esse non aliter atq; palea commixta est cum auena.

Nota & Euangelium habere suos hypocritas. Ioan-  
nes . 1 . epistola cap . 2 . E nobis profecti sunt, sed non e-  
rant ex nobis. Anumeratus erat nobis : ergo propria  
culpa periit Iudas, non culpa Christi.

Item



Item obserua hypocritas ad tempus quidem posse suam malitiam tegere, donec tandem prorumpunt in apertum furorē contra ueritatem. Finis igitur hypocritarū seos est, prodere Christum exemplo Iudæ.

**Et sortitus erat sortem ministerij huius.**

Id est, acceperat ministerium uerbi, prædicauerat & fuerat pars externi ministerij uerbi.

Sortitus erat sortem: sortiri uerbum insinuat gratiam & excludit meritum. Munus ergo Apostolatus electione gratuita, non merito contigit Iudæ & reliquis Apostolis. Sors pro parte ponitur, & est pulchre dictum, sortiri sortem, pro esse partem, uel partem agere. Ministerij huius: quo nos nunc fungimur, & ad quod deputati sumus à Christo. Ministerium uocat ministerium uerbi, quod non in dominando, sed in ministrando consistit. Lucæ 22. Vos autem non sic: sed qui maior est in uobis, fiat sicut iunior, & qui princeps est sicut qui ministrat, &c. Posteriore ad Corinth. cap. 1. testatur à suo exemplo Apostolus, ministerium uerbi in ministrando, non in dominando consistere. Ego uerò testem Deum inuoco in animam meā, quod parcens uobis, nondum uenerim Corinthū: non quod dominemur uobis nomine fidei, sed adiutores simus gaudij uestri:

nam fide stas. Priore ad Corinthios 4. Sic nos aestimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Exaggerat Petrus dignitatem Iudæ, ut peccatum eius eleuet, simulq; nobis terrorem incutiat, ut qui stamus, uideamus, ne cadamus exemplo Iudæ.

Iudæus eorum typum gerit, qui ad tempus agunt hypocritas sub Euangelio, à quo tandem deficiunt, et quod persequuntur postea extreme.

Et hic quidem comparauit agrum de mercede iniquitatis.

Id est, ex mercede & re gesta nomen agro dedit: uel potius: mercede iniquitatis propter quam prodidit Iudas Christum, paratus est ager. Nam Iudas non parauit agrum, sed principes sacerdotum & seniores, teste Matthæo cap. 27. Merces iniquitatis, pro mercede iniqua posita est. Breuis est Petrus circa proditorem Iudæ, quam tantum uel ex accepto agro de mercede iniquitatis obiter ostendit. Comparauit: id est, fuit occasio ad comparandum. Sine dubio hic ager diuino consilio paratus fuit, in perpetuum testimonium proditi Messie.

Et suspensus crepuit medius

Hypotyposis interitus Iudæ, qui omnium miserrimus fuit ad significandum interitum illorum omnium, qui ad tempus sub Euangelio agunt hypocritas, & postea per-

d sequuntur

sequuntur illud, atq; produnt illius prædicatores & confessores. Est quoq; miserabilis hic Iudæ interitus, certum signum futuræ pœnæ post hanc uitam grauiissimæ.

Enthymema. Iudas suspensus medijs hic crepuit: Ergo Iudas in altera uita miserrimè agit. Singula uerba sunt emphatica, & exaggerant grauitatem pœnæ in illis, qui persequuntur ueritatem.

Nouum hoc genus pœnæ fuit, quo periit Iudas: ergo persecutores ueritatis nouis pœnarum generibus plerunq; adficiuntur, sicut etiam experientia probat hisce nostris temporibus.

Et effusa sunt omnia uiscera  
eius.

Et hæc spectant ad exaggerationem grauitatis pœnæ in persecutoribus ueritatis.

Grauitas pœnæ in Iudæa proponitur mundo in terrorem. Consolatorium est, Deum uindicare sanguinem eorum, qui propter ueritatem occumbunt.

Et notum factum est omnibus habitantibus Hierusalem.

His confirmat Lucas certitudinem historiæ, à diuulgata fama. Notus fit Iudæ interitus omnibus in Hierusalem, in signum timoris, & ut discerent sibi à persecutione ueritatis cauere.

Omnibus;

Omnibus: synecdochicōs pro apertissima fama. Notum factum est: scilicet ex mercede iniquitatis agrū esse emptum, & Iudam miserabili interitu periisse. Sed propter sequentia potius respiciunt hæ uoces ( & notū est factum ) ad prius de agro. Ut sit sensus: notum esse factum omnibus habitantibus in Hierusalem, agrum de mercede iniquitatis emptum esse: Verum tamen possunt uoces illæ ( & notum factum est ) intelligi de notitia interitus Iudæ, quem mercede iniquitatis, propter quam emptus est ager, meruit.

Ita ut appellaretur ager ille.

Videlicet, qui propter mercedem iniquitatis emptus erat. Appellatione loci certam reddit notitiam omnibus habitantibus Hierusalem, factam.

**Ager sanguinis.** Quia pretiū propter quod emptus est ager, occasio fuit sanguinis. Quidam hæc de agro, in quo interijt Iudas, sic intelligūt: ut sit sensus, illū locū, in quo suspensus crepuit medius Iudas, Acheldama, hoc est, agrum sanguinis esse dictum, propter Iudæ sanguinem ibi effusum, sed quā rectè uiderint ipsi.

**Scriptum est enim.** Autoritate scripture confirmat Petrus, interitum Iudæ non temere accidisse. Psal. 68. è quo trās scriptus hic præsens locus est, generis deliberatiui est, et cōtinet precationē Christi in extrema

morte contra grauissimas angustias & hostes infensissimos. Ea autem pars Psalmi, in qua sunt hæc uerba: Fiat cōmoratio eorum deserta, &c. continet propriè precationē Christi cōtra suos hostes in genere omnes, et quod omniū hostiū Christi est ibi, hic Petrus tribuit uni hosti Iudæ. Fiat commoratio eorum deserta, & non sit, qui inhabitet in ea: periphrasis interitus omnium hostium Christi seu ueritatis, & sic etiam interitus Iudæ. Deserta: notat hæc uox extremum interitum persecutorū ueritatis in hac uita, ad significandam grauissimam pœnam post hanc uitam. Et non sit, qui habitet in ea: & hæc notant extremum persecutorum ueritatis interitū.

Et episcopatum eius accipiat  
alter.

Psalmus hic quoq; generis deliberatiui est. Continet enim precationem Christi ad patrem magna uehementia spiritus, cōtra aduersarios. Et quod apud Dauidem omnium persecutorum Christi seu ueritatis est, hic à Petro uni Iudæ tribuitur.

Et episcopatum eius accipiat alter: duo confirmat Petrus hoc loco Psalmi, alterum, Iudam non temerè interijße: alterum, in Iudæ locum alterum surrogandum esse, & hoc iuxta scripturæ uaticinium. Episcopatum uocat ministerium seu functionem Iudæ,

Oportet



## Oportet ergo ex his uiris.

Haec tenus auctoritate scripturae ostendit Petrus, Iudae non temere interijisse nec temere fieri, ut alius in eius loco surrogetur: nunc porro declarat, qualis persona surrogari debeat. Est igitur totus sequens locus de qualitate personae, in locum Iudae surrogandae.

Verum quia Petrus occupatus est in qualitate personae, refert hic scire, quales personae ad ministerium uerbi uocari & eligi debeant: nimirum tales, qui non leuè aliquam Christi seu uerbi cognitionem habent, sed magnam, & quemadmodum Petrus hic inquit, qui cum Christi seu uerbi ministris unà fuerunt omni tempore, hoc est, qui cum ministris Christi seu uerbi diligenter uersati sunt. Et huc facere uidetur locus Apostoli 1. ad Timoth. 3. ubi episcopum uult esse ad docendum aptum. Item locus posterioris epistolae eiusdem nominis cap. 2. ubi uult Apostolus in exemplo Timothaei, ministrum uerbi rectè secare sermonem ueritatis. Christus Matthaei 23 ministrum uerbi scribam doctum confert cum patrefamilias, qui uariarum rerum cognitionem et experientiam habet, & qui prudentia & iudicio utitur in dispensando, Matthaei 25. fidelem & prudentem uerbi ministrum requirit Christus. Ioannis 20. antequàm Christus Petro, & sub persona Petri alijs Apostolis committit

d 3      ministerium

ministeriū uerbi, diligenter idq; tribus uicibus explorat dilectionē erga se Petri, inquit: Simon Ioannis diligis me, &c. Excluditur ergo hic nouitius, & qui non aliquandiu periculum fecit in sacris literis, nec cum uerbi ministris aliquandiu uersatus est. Rectē dixit Apostolus de suo Timothæo, posteriore epistola cap. 3. At tu persistito in his, quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt: sciens à quo didiceris, & quod à puero sacras literas noueris, quæ te possunt eruditum reddere ad salutē per fidem, quæ est in Christo Iesu. Pertinet huc etiam locus Pauli 1. epistola ad Timoth. cap. 5. Manus cito ne cui imponas. Occasionē præbuit Petro ita diligenter agendi de personæ qualitate, quia periculosum est nouitium admittere. Oportet ergo: quia scripturæ autoritas sic postulat. Enthymema. Scriptura postulat aliū eligi in locum Iudæ: Ergo alius eligendus est. Ex his uiris: *emphaticus* ait ex his. Viris: nam præter Apostolos habuit Christus adhuc plures alios discipulos, Lucæ 10. Post hæc autem designauit dominus & alios septuaginta, &c. Qui nobiscū unā fuerunt in omni tempore.

Sequentibus omnibus circūloquitur Petrus personam aptam ad ministeriū uerbi, à quo descuerat Iudas. Qui nobiscum: apta est persona ad ministeriū uerbi, quæ cū ministris

ministris uerbi aliquandiu uersata est. Conuersatio autē  
 non tam morum est, quàm doctrine. In omni tempore  
 pro longo tempore in alijs ministris.

Quo intrauit & exiuit apud nos  
 dominus Iesus.

Periphrasis totius conuersationis Christi cum Apo-  
 stolis. Intrauit & exiuit: Germanismus & quidem sa-  
 tis festiuus. Intrauit & exiuit: id est, conuersatus est.

Apta est quoq; persona ad ministeriū uerbi, apud quā  
 intrauit & exiuit dominus Iesus: hoc est, quæ longam  
 Christi Iesu cognitionem habuit, quæq; diu sensit Iesum  
 domesticū. Dominus Iesus: fidei est confiteri Petrum  
 Christū dominū Iesum. Dominus potentie uocabulum  
 est, quo cōfitemur Petrus Christū esse potentē dominum  
 diaboli, mortis &c. Iesus & naturæ & officij uoca-  
 bulū est: siquidē Christus natura est salus, & alios sal-  
 uos facit. Incipiens à baptismo Ioānis.

Expolitione quadam exponit tempus, quo intrauit  
 & exiuit dominus Iesus apud suos Apostolos.

A baptismo Ioannis: circa quod coepit Christus  
 suam prædicationem & conuersationem nobiscum.

Vel à baptismo Ioannis: scilicet quo coepit baptiza-  
 ri Christus à Ioanne. Suscepto enim baptismo à Ioan-  
 ne, ductus est in desertum, & postea prædicare coepit  
 Christus.

Baptismatis Ioannis hic fit mentio, ut scias prædicationem pœnitentiæ esse necessariam Euangelij partem. Duæ namq; Euangelij partes sunt: pœnitentiæ & remissio peccatorum. Lucæ. 24. Prædicate sub nomine meo pœnitentiæ & remissionem peccatorum. Obiter apparet Petrum uelle insinuare, eam personam esse ad ministerium uerbi aptam, quæ totius Euangelij exactâ cognitionem habet, id est, & pœnitentiæ et remissionis peccatorum. Loquitur Petrus hoc tempore à baptismo Ioannis incepto, de clariore & apertiore conuersatione Christi cum Apostolis.

Vsq; in diē, qua assūptus est à nobis.

Exordio & fine conuersationis Christi, requiritur in ministris uerbi certa atq; constans uerbi cognitio. Non enim satis est habere ab exordio Christum intrantem & exeuntem, nisi usq; ad assumptionem habeas: id est, non satis est in persona, quæ debet admitti ad ministerium uerbi, ut aliquã uerbi cognitionē habeat, nisi certam & constantem habeat. Exordium & finis cōuersationis Christi, requirunt in prædicatoribus, longum & certum aliquod tempus cogniti uerbi.

Testem resurrectionis eius  
nobiscum esse.

Descripta persona, qualis esse debeat ad ministeriū  
uerbi



apta: subijcit nunc Petrus officium personæ quod commune habere debet cum reliquis Apostolis. Hoc est testari de resurrectione Christi. Ioannis. 15. *Quin & uos testes estis, quia ab initio mecum estis. Et supra in hoc cap. Et eritis mihi testes in Hierusalē &c.* Synecdochicū ponit resurrectionem partem Euangelij, pro toto Euangelio. Sed huius partis mentionem facit præ alijs, quia nihil æquè creditu difficile est, quàm credere Christum mortuum & oppressum tyrannide diaboli, peccati &c. resurrexisse: &c. Deinde, quia tota salus nostra consistit in resurrectione Christi, qui si non resurrexisset, nos adhuc detineremur captiui. Testis, officij nomen est, unde ab officio, quod est testari, uocantur ministri uerbi, testes. Ministri uerbi testes sunt:

Ergo ministri uerbi non sunt Christus, de quo testantur. Nobiscum fieri: ministri uerbi ex æquo omnes sunt testes Christi. Et statuerunt duos.

Quales personæ ad ministerium uerbi aptæ, hæcenus à Petro descriptæ fuerunt, tales nunc statuunt Apostoli: nimirum eas, quæ unà cum alijs Apostolis, apud quos intrauit & exiuit dominus Iesus, conuersationem habuerunt, & ideò magnam cognitionem. In Iosepho & Matthia significatur nobis, quod optimi & iustissimi uiri, ad ministerium uerbi uocari debeant: item qui



magnā uerbi cognitionē habeāt. Agitur circa hæc de  
 forma uocādi ministros uerbi in primitiua ecclesia, tem-  
 pore Apostolorū, quæ eiusmodi fuit. Apostoli statuerūt  
 uiros bonos et uerbi peritos: deinde precati sunt: postea  
 miserūt sortē: tandē designatus sorte, habitus est uoca-  
 tus. Ab hac forma uocandi ministros uerbi nobis forma  
 petenda est, nec scio an alia rector ac simplicior exis-  
 stat, ut statuamus uiros bonos & peritos in uerbo  
 & super eis Deum precibus inuocemus, postea mi-  
 tamus sortem, tandem sorte designatum, pro legitimi  
 uocato, teneamus. Quæstio hic mouetur, num Christi-  
 anis sortiri liceat? Respondetur. Licet hæc ratione, quæ  
 hic sortiti sunt apostoli, qui sine superstitione precibus  
 commendarunt atq; cōmiserunt deo sortem. Et de hæc  
 ratione sortiendi, meminit Solomon, Pro .16. In sinum  
 dei ieiuntur sortes, at à deo iudicium earū proficiscitur  
 Sic terra promissionis sorte diuisa fuit. Numeri .33. Sic  
 Saul sorte electus fuit à Samuēle uiro pio & sancto in  
 regem. Loci scripturæ qui sortem prohibent, intelligē-  
 di sunt de sorte supersticiosa quæ abutimur ad rerum fa-  
 turarum cognitionem. Ioseph.

Nomina personarum addit propter certitudinem  
 historia. Ioseph proprium nomen est. Barsaba cogno-  
 men: Iustus cognomen, quod nomen Romanum fuisse,  
 scribit magnus ille Erasmus. Et

Et orantes dixerunt.

Oratio hæc est de forma ueræ sortis & licitæ Christianis. Rectè agunt Apostoli, qui suæ imaginationi & opinioni non fidunt, sed gubernationi diuinæ.

**Tu domine.** Sequuntur uerba, quæ orarunt Apostoli. Tu domine: captatio beneuolentiæ à dignitate seu potentia personæ dei. Enthymema.

Dominus es: Ergo nosti corda hominum.

**Aliud.** Deus nouit corda hominum:

Ergo Deus non est creatura. Rectissimè committunt Apostoli omnia Deo, qui nouit corda hominum, nec potest decipi: interim homines extra hominum specie decipi possunt. Docemur, ut non hominum speciei, nec confessioni fidamus, sed potius stemus gubernatione Dei. Commendatur potentia Dei, quia nouit corda omnium hominum. Discernit & hic locus, inter deum & creaturas, quæ corda hominum non nouerunt.

Porrò ex hoc, quod Deus nouit corda omnium hominum, potens est, ex eodè & iustus iudex est, & iudiciū eius iustum est. ad Ro. 2. Scimus autè quod iudiciū dei secundū ueritatē est & c: id est, quia deus non tantū iudicat secundū externa, sed etiā secundū corda. Ostēde Quia certò ostendere potes: Nā ostendere effectus est notitiæ cordū, quam Deus habet. **Utrū elegeris**

Homines mittunt sortes : at Deus tamen eligit, ut electio sit certa nec fallax. Enthymema. In sorte eligit Deus: Ergo fors certa est. Vtrum elegeris: resignant Apostoli Deo liberam electionem. Enthymema.

Deus eligit ad ministerium uerbi ministros :

Ergo eligimur, quotquot eligimur, sine nostro merito. Accipere. Tua electione.

### Locum ministerij huius & apostolatus.

Coniungit genus & speciẽ. Genus est ministeriũ: species est Apostolatus. Falsum est sic argumentari. Hic minister uerbi est: ergo apostolus est. Verũ est sic argumentari. Hic Apostolus est: ergo minister uerbi est. Apostolatus singulare & peculiare officium fuit, duodecim personarum tantum. Interim tamen uerũ manet, ministros uerbi, multa habere cum Apostolis communia.

### Ex quo excidit Iudas.

Sua uoluntate & malicia pulsus, non à deo coactus.

### Ut abiret in locum suum.

Iuxta scripturam. Et episcopatum eius accipiat alter. Pulchrè & simpliciter dictũ est: ut abiret in locũ suũ, pro succederet. Et dederunt sortes eis.

Apostoli dederunt sortes, Deus tamen elegit.

Et cecidit fors super Matthiam

Ex electione, dispositione, & gubernatione Dei, in

suius manu fors uertitur & regitur.

Impij planè hic nihil esse potest ubi deus regit sortem, & ipse eligit sorte. Et annumeratus est cum undecim Apostolis.

Fidei est in Apostolis credere Deum, gubernare sortem: obedientiæ est ad casum sortis recipere electum à deo.

## CAPVT SECVNDVM.

**I**N genere multa continet hoc caput, executionem promissionis de spiritu sancto: confirmationem, ob signationem & repletionem Apostolorum per spiritum sanctum: effectus, qui confirmationem, ob signationem, et repletionem Apostolorum secuti sunt: offendiculum Iudeorum, remedium contra illud offendiculum ex uerbo, quod oportuerit secundum scripturas confirmari, ob signari, & repleri Apostolos spiritu sancto: occasionem missi spiritus sancti, quæ Christus est unà cum promissione Christo à patre facta: conuersionem multorum ad concionem Petri: media conuersionis & concordia primitiue ecclesie unà cum rerum communitate.

Initium huius Capitis secundi, executio est promissionis Apostolis de spiritu sancto factæ. Monet uerò nos de tenacia, ut ita loquar Christi, qua suarum promissionum tenax est, unde nos fidere discamus, & certo statuamus de omnibus Christi promissionibus nobis factis.

Ceterum

Ceterum quia parum prodest nobis, quod Apostoli spiritum sanctum acceperint, nisi eandem acceptionem & in nostrum traxerimus usum: igitur hic refert diligenter meditari missi spiritus sancti pro Apostolis causas. Apostoli quanquam illuminati erant per spiritum sanctum ad uerbum, & habebant aliquam uerbi cognitionem: tamen cognitio hæc in Apostolis infirma erat item quanquam Apostoli aliquo modo credebant uerbo tamen nondum erant omnino certi de uerbo: item quanquam aliqua ex parte parati erant pati aliquid pro uerbo, tamen adhuc erant pusillanimi. Quam ergo infirmitatem, subdubitationem, et pusillanimitatem in Apostolis ut tolleret spiritus sanctus, hoc die Pentecostes missus est. Confirmant has missi spiritus sancti pro Apostolis, causas, omnes promissiones Apostolis, à Christo factæ de spiritu sancto. Ioannis .14. Paracletus autem ille, qui est spiritus sanctus, quem mittit pater meus, ille docebit uos omnia, & suggeret uobis omnia, quæ dixi uobis. Et ego rogabo patrem, & alium consolatorem dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum. Ioan. 15. Cum autem uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre, spiritus ueritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Ioannis. 16. Cum autem uenerit ille, qui est spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem



ueritatem. Nō enim loquetur à semetipso, sed quæcumq;  
 audierit loquetur, & quæ futura sunt annuntiabit uo-  
 bis. Summa est omnium harum promissionū, ut Apo-  
 stoli reddantur firmi ac certi de uerbo, confirmentur,  
 & obsignentur de ueritate uerbi. Et ab his officijs, quæ  
 in die Pentecostes contulit spiritus sanctus in Apostolos  
 uocatur à Paulo arra & arrabo. Posteriore ad Cor. 2.  
 Porrò qui confirmat nos unā uobiscum in Christum:  
 & qui unxit nos deus est, qui etiam obsignauit nos, de-  
 ditq; arram spiritus in cordibus nostris. ad Ephes. 1.  
 Ob signati estis spiritu promissionis sancto qui est arras  
 bo hereditatis nostræ, in redemptionem acquire re  
 demptionis, in laudem gloriæ ipsius.

Faciunt pro confirmatione omnium officiorum di-  
 ctorum, quæ exhibuit spiritus sanctus Apostolis in die  
 Pentecostes, & hæc huius Capitis uerba.

Et repleuit totam domum, ubi erant sedentes. Et appa-  
 uerunt dispartitæ lingue tanquam ignis, seditq; supra  
 singulos eorum. Et repleti sunt omnes spiritu sancto, &  
 cœperunt loqui uarijs linguis, pro ut spiritus sanctus da-  
 bat eis eloqui: quæ uerba nihil aliud sibi uolunt nisi  
 quod spiritus sanctus Apostolorum animos de ueritate  
 uerbi confirmarit et certificarit. Et hæc de causis mis-  
 si spiritus sancti pro Apostolis in die Pentecostes.

Quantum

Quantum ad nos attinet, sciendum est & nobis mit-  
 ti spiritum sanctum in eundem usum, in quem missus est  
 Apostolis in die Pentecostes: nimirum in confirmato-  
 rem & obfirmatorem nostrum, & ut ducat nos in om-  
 nem ueritatem, &c.

Causæ nostræ missionis, qua nobis mittitur spiritus  
 sanctus, eadem sunt cū causis missionis Apostolis factæ.  
 Sic nos per spiritum sanctum illuminamur quidem ad uer-  
 bum, suscipimus aliquo modo uerbum, habemus aliquam  
 uerbi cognitionem, credimus aliqua ex parte uerbo, per-  
 suademus nobis aliquid de constantia in cruce pro uer-  
 bo, &c. At hæc omnia adhuc infirma, incerta &  
 subdubia sunt in nobis, nisi accedat spiritus sanctus con-  
 firmator & obfirmator, repleat nos ut dispersis & ig-  
 nitis linguis loquamur, sedeat supra nos singulos, repleat  
 at nos sua confirmatione, obfirmatione & donis, ut in-  
 cipiamus alijs linguis loqui, pro ut det nobis eloqui, &c.

Verum aliter mittitur nobis spiritus sanctus, quare  
 quàm non ad alios fines, aliter missus est Apostolis. No-  
 bis mittitur tacite seu inuisibiliter. Apostolis missus est  
 aperte & uisibiliter, sicut refert Lucas his uerbis: Et factus  
 est repente de cælo sonus tanquàm aduenientis spi-  
 ritus uehementis, &c. Quæstiones tres circa missionem spi-  
 ritus sancti Apostolis factam, cõsiderandæ hic ueniunt.

Prima est. Cum spiritus sanctus in die Pentecostes Apostolis aperte & uisibiliter apparuerit, hoc est, cum sonitu tanquam aduenientis spiritus uehementis, quod hodie non similiter nobis appareat? Respondeo. Qui sentiunt apparitionem spiritus sancti coram Apostolis uisibiliter omnino contigisse, hoc dare possunt responsum. Doctrina Christi, tum ut noua, & propter nouitatem pleina offendiculis etiam in animis Apostolorum, igitur uisibili miraculo opus habuit, & uisibili spiritus sancti apparitione. Verum quia doctrina Christi nunc satis externis ac uisibilibus signis atque miraculis confirmata est: igitur hodie uisibili miraculo & uisibili spiritus sancti apparitione opus non habet. Alias spiritus sanctus creditur & Apostolis & nobis equaliter apparere, iuxta illud Ioannis 3. Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis, sed nescis, unde ueniat, & quò uadat. Quae uerba Ioannis, his expressit Lucas. Et factus est de repente sonitus e caelo, tanquam aduenientis spiritus uehementis, &c.

Sed placet magis discrimen inter apparitionem spiritus sancti Apostolis factam, & inter apparitionem spiritus sancti, qua nobis apparet. Illa aperta & uisibilis fuit. Haec tacita & inuisibilis. Nec id mirum, cum spiritus sanctus ad baptismum Christi uisibiliter e caelo descenderit, Matthaei 3. Et ecce aperti sunt illi caeli & uidit spiritum

ritum Dei descendente tanq̄ columbā, & ueniente su-  
per ipsum. Secunda quæstio est, cum Apostoli prius  
spiritum sanctum habuerint ( Nam cognoscere Euange-  
lium, suscipere, &c. sine spiritu sancto non contigerunt  
Apostolis ) quomodo spiritum sanctum in die Penteco-  
stes primum acceperint? Respondeo habuerunt spiritum  
sanctum ut illuminatorem, sed nondum, ut confirma-  
torem, ductorem in omnem ueritatem, & obsignatorem.  
Sed hanc quæstionē solutā inuenies supra in primo cap.

Tertia est quæstio, cur spiritus sanctus in tanta homi-  
num copia ex omnibus nationibus cōgregata et cur nō  
alio tempore missus fuerit? Respondeo. Id idē factum  
puto, ut tam uariæ nationes in signum essent, quod Eu-  
uangelium in uniuersa terra prædicari deberet.

Post hæc omnia expedit scire ex hoc euentu missi spi-  
ritus sancti, quis sit sit à posterioribus officijs, quibus et  
ga Apostolus usus est in die Pentecostes, & erga nos in  
confirmando & obsignando utitur. Est itaq; spiritus  
sanctus æqualis cum deo patre & filio, deus, qui in hoc  
ab utroq; mittitur, ut ducat nos in omnem ueritatem, Eu-  
uangelium clarius exponat, suggeret nobis omnia, confir-  
met & obsignet nos de ueritate uerbi, consoletur nos,  
reddat firmos, repleat nos, ut dissipetas linguas tanquā  
ignem accipiamus: sedeat supra nos singulos, confirma-  
tionē



none, obfignatione, & donis fuis repleat nos, ut incipiamus loqui uarijs linguis, pro ut det eloqui.

A prioribus officijs spiritus sanctus est illuminator ad uerbum, autor ut uerbum fufcipias, &c.

Quare duplicia funt fpiritus sancti officia: quedā priora: quedā posteriora. Illa refpiciunt feu pertinent ad illuminationem. Hæc refpiciunt feu pertinent ad confirmationem & obfignationem. Aliud quoq; eſt ad uerbū illuminari per fpiritus sanctum: aliud eſt per fpiritus sanctum de uerbo confirmari & obfignari.

### Et cum complerentur dies Pentecostes.

Ratio coherentie eſt ex circumſtantiâ temporis.

Dies ſingularis numeri eſt, ad ſignificandum ultimū illum diem quinquageſimum eſſe dictum, Annotatore magno illo Eraſmo. Dies Pentecostes: feſtum unum ex tribus illis ſimul celeberrimum, ad quæ omnes Iudæi ſolebant conuenire.

Erant omnes unanimiter ſimul.

Iuxta præceptū Chriſti ſupra 1. capite, ne diſcederent Hieroſolymis, ſed expectarent promiſſionē patris. Unanimiter: ſcilicet cōgregati, reuerſi Hieroſolymā à monte Oliueti, & ingreſſi in cœnaculum, ubi manere ſolebant, ut ſupra cap. 1.



Vnanimiter uox & animorum & externæ conuersionis unitatem seu concordiam notat.

### Et factus est repente sonus.

Notant hæc liberum spiritus sancti aduentum, qui accedit quando uult, sicut uentus spirat quando uult, adeoque cuius aduentus ratio ignoratur. Iuxta illud Ioannis 3.

Spiritus ubi uult spirat, et uocem eius audis, sed nescis unde ueniat, & quò uadat. Liber ergo est spiritus sancti aduentus, id est, non est ligatus ad certa tempora nec potest ligatus esse, quia Deus spiritus sanctus, non est ad certa tempora ligatus.

Est hic locus hypotyposis quædam aduentus spiritus sancti, qui non humano more accedit, nec pro more rationis. Agit quoque hic locus de forma aduentus spiritus sancti, quæ à ratione non percipitur.

Venit quidem spiritus sanctus ad nos, uerum quomodo aut qualiter, id ultra humanum captum est, quæ neque modum aduentus spiritus sancti, neque actionis qualitatem comprehendere potest: quanquam interim de presentia & actione spiritus sancti certi simus, sicut de flatu uentus certi esse possumus. Monemur etiam hic de causa aduentus spiritus sancti, quæ non fuit meritum Apostolorum, sed promissio antea à Christo facta.

Interest & hic disputare de tempore, quo potissimum uenire

uenire soleat spiritus sanctus, qui quanquam non est ad certa tempora ligatus, tamen tum maxime uenit, quando Christum fide apprehendimus, qui ascendit in altum & captiuam duxit captiuitate, ut dona det hominibus, id est, mittat illis spiritum sanctum rectorem & confirmatorem unà cum donis eius.

Vtile est & hic disputare, an uno modo, uel an multifariam detur spiritus sanctus, uel an spiritus sanctus semel det omnia dona sua; uel an uni omnia. Respondeo. Spiritus sanctus non uno modo datur, sed multifariam, non quod spiritus sanctus, multiplex sit, aut non unus spiritus sanctus, sed propter multiplicia et uaria eius dona, & propter aduactionem donorum in nobis. Nec omnia sua dona uni dat spiritus sanctus, quanquam cuique sufficientes det, tamen cuique peculiariter sicut uult iuxta mensuram fidei. Ad Rom. 12. Et 15. ad Corinth. 12.

Postremo restat hic etiam narrare, qualiter à nobis excipiendus est spiritus sanctus, non simpliciter ut columna, quemadmodum quidam sentiunt, quæ semel atque iterum miraculose de caelo demissa est: neque ut sola uirtus Dei à patre & filio procedens, uti Campanus blaterat: neque in depicta aut fabricata tantum forma, sicuti eum præfixerunt omnibus suis consilijs etiam impijs; qui superiori seculo ueram religionem conspurcarunt: sed

Excipiendus est ut uerus Deus confirmationis & obsequii gratia à deo patre & filio procedens.

Tanquam aduenientis spiritus  
uehementis.

Similitudine à uento sumpta, declarat Lucas & adueniunt & operatione spiritus sancti ignorari: unde, quò certo tempore, & qualiter in nobis operetur: quanquam interim uerum sit, nos postea certos fieri spiritum sanctum adfuisse. Ioannes cap 3. clarioribus uerbis & pluribus eandem similitudinem ponit. Quæ quomodo intelligenda sit integrè, consule nostra Scholia in Ioannem ca. 9.

Prodest hic soni & uenti naturas diligenter habere cognitatas, quas pro nostro captu explicatas, inuenies in 3. cap. Ioannis. Et repleuit totam domum.

Comendantur diuitiæ & potentia spiritus sancti, qui non frustillatim replet, sed in uniuersum: qui non hominis partem tantum replet, sed totum hominem: qui non tantum hominis partem confirmat, obsequat, & in ueritate abducit, sed totum: qui non partem hominis tantum in homine regenerat, sed totum hominem, sicut & totus lapsus est. Est igitur repletio spiritus sancti uniuersalis, abundans, & potens. Repleuit: non tam sonitu, quam donis suis. Totam: uniuersalia sunt spiritus sancti dona & integra, non frustillata aut particularia. Domum: omnes

omnes inhabitatores domus, per metonymiam.

Vbi erant sedentes.

In oratione & deprecatione unanimiter, ut supra  
cap. 1. Enthymema. Spiritus sanctus uenit ad unanimes: Ergo spiritus sanctus discordes respuit.

Et apparuerunt illis.

Sequuntur nunc effectus seu fructus aduentantis spiritus sancti, quos in Apostolis operatus est, & in omnibus alijs, ad quos uenit, operatur. Non ergo frustra uenit spiritus sanctus ad Apostolos, nec ad nos frustra accedit, sed ut disperditas linguas faciat ignitasq; & efficiat alijs linguis loqui id est, regeneret nos, creet in nobis novos motus, confirmet nos & obsignet de ueritate uerbi, ducat nos in omnem ueritatem, aperiat nostra ora, ut intrepide confiteamur ueritatem, &c. Nam illa ipsa nunc dicta, figuratis uerbis uocat Lucas disperditas linguas & ignitas. Et apparuerunt: hæc apparitio effectus est presentie spiritus sancti.

Disperditæ linguæ.

Principaliter notat Lucas, Apostolos à spiritus sancto donatos fuisse fiduciali confessione uerbi, nec apertius timuisse diuulgare uerbum, & de Christo testari liberè.

Disperditas linguas opponit Lucas, ligatis linguis ante confirmationem & obsignationem spiritus sancti.



Donum igitur spiritus sancti est, cum fiducia & sine timore confiteri ueritatem: donum spiritus sancti est, esse certum de ueritate uerbi &c. Dissertitarū linguarum nomine intelligo, ut paucis dicam, confirmationis ob signationem, & consolationem Apostolorum, quas res donauit spiritus sanctus Apostolis, loco infirmitatis, subdubitationis, incertitudinis, timoris &c. Et reuera huiusmodi res ueniunt intelligendæ dissertitarū linguarū nomine: quia spiritus sanctus in die Pentecostes tantum certificationis & confirmationis gratia apparuit Apostolis. **Tanquam ignis.**

Instar ignis efficaces & penetrantes. Et est sensus huius loci. Apostolos non tantum fiducia confitendi uerbum donatos esse et certos factos de ueritate uerbi: sed etiam accepisse eos donum efficacis & penetrantis: hoc est, quod sua prædicatione & uerbi confessione commouerint auditores, & in eis fructum fecerint, in summa quod doctrinam suam non in uacuum seminauerint.

Ante hoc donum efficacis & penetrantis intellexerunt quidem Apostoli multa, sed in magna infirmitate. Mouerunt quidem sed non admodum. Prædicarunt quidem, sed in aures tantum. Recte Apostolus. 1. ad Cor. 3. de prædicatoribus in genere dixit: Ego plantauit, Apollos rigauit, sed deus dedit incrementum. Ignis dicitur lingue, à uerbo, quod confitentur Apostoli et ignis



deinde ab effectibus, qui linguarū confessionē de uerb<sup>o</sup> sequuntur in conscientijs auditorū. Sic uerē effectus uerbi, qui sequuntur eius prædicationē in conscientijs, igniti sunt, id est, instar ignis efficaces. Ignitas linguas opponit Lucas, linguis quas Apostoli habuerunt ante spiritum sanctum confirmatorem & obsecratorem: item omnibus alijs infirmitatibus, quibus fuerunt obnoxij

Item opponit eas linguis legalibus, quibus pro ratione legis meticolose & difficulter loquebantur prophætæ. Sicut de Mose legitur, quod difficilis lingue fuerit. Tandem opponit eas linguis legalibus, quæ tantum frigida faciebant pectora, non calefaciebant, non consolabantur &c. Seditq; supra singulos eorum.

Visibiliter & fortassis in specie columbæ, ut Matthæi. 3. apparuit ad baptisma Christi. Sedere uerbum commendat philantropiam spiritus sancti. Supra singulos: quisq; pro se opus habet confirmatione & obsecratione spūs sancti. Vnde & illæ sententiæ Paulinæ ad Rom. 12. Ut cuiq; deus partitus est mensurā fidei. 1. ad Corinth. 12. Unicuiq; uerò datur manifestatio spiritus, ad id, quod expedit. Ibidem. Sed omnia hæc efficit unus idemq; spiritus, diuidens peculiariter unicuiq; sicut uult.

Et repleti sunt omnes spiritu sancto.

Quod prius Lucas speciatim ferè dixit, nunc in genere complectitur. Repleri Apostolos spiritu sancto, est eos accipere spiritum sanctum confirmatorem, ob signatorem, rectorem, ductorem in omnem ueritatem: est eos accipere dona spiritus sancti, ut fiduciam confitendi uerbum, prædicationem uerbi efficacem, linguarum cognitionem, & alia dona. Nihil magni aut excellentis admodum intelligunt hic per spiritum sanctum, qui tantum putant Apostolos linguarum cognitione donatos esse.

Repleti sunt: en diuitias spiritus sancti, quibus repleuit omnes pro ut expediuit cuiq; & necessarium fuit ad salutem, & commissum officium.

Omnes: spiritus sanctus non respicit personas.

Spiritu sancto: illo ut confirmatore & ob signatore, ductore & rectore: & donis eius.

Spiritus sanctus ut est in sua essentia nemini datur.

Metonymicòs accipitur spiritus sanctus hic ut causa pro effectibus, hoc est, pro ipsius donis: quanquam propter certas causas, placet duo intelligere nomine spiritus sancti: ipse ut confirmator, ob signator, doctor, rector & c. & dona eius, ut confirmatio, ob signatio, linguarum cognitio & c. Datur autem spiritus sanctus confirmator aut ob signator, non ut eum essentialiter possideamus, sed ut tamen eum ob signatorem & confirmatorem habeamus. In summa oportet hic distinguere in

ter spiritum sanctum & dona eius, ut inter causam & effectus, sumatur etiam quodcumq; uelimus pium discrimen. Et cœperunt loqui uarijs alijs linguis.

In Græco est, ἑτέροις, id est, alijs, & sic legit Hieronymus in questionibus ad Algasam. Et respondet hæc lectio uerbis Christi, Marci. 16. Linguis loquentur nouis. Nouis ergo seu alijs linguis loqui, hic nihil est aliud, quàm nunc accepto spiritus sancto & donis eius, nõ sic loqui, ut ante acceptum spiritum sanctum & dona eius, sic est hic alijs seu nouis linguis loqui, non esse sic infirmum, incertum, subdubitantẽ, pusillaminũ, & meticulosum, ut antea: sed robustum esse certũ, non dubitantẽ, fortẽ, & fortiter ac sine timore uerẽ cognitã ueritatẽ loqui: itẽ est cum maiori efficacia prædicare, & commouere auditores uerbi, quã antea: item est nouis linguis loqui, non ueteribus & legalibus loqui, nõ terre amplius ad desperationem, sed consolari ad salutem &c. Et cœperũt loqui alijs linguis: id est, efficacioribus & penetrantioribus: item, alijs linguis loqui cœperunt id est, facti sunt certi de ueritate uerbi, ob signati fuerũt de ueritate uerbi, cõfessi fuerũt uerbũ cũ fiducia, nõ timuerunt ut antea, non dubitarunt &c: itẽ: cœperunt alijs linguis loqui: scilicet q̄ plurimis, cũ sub lege tantũ

una lingua, in uarias tamē dialectos scissa, loquebātur.

Alias linguas ponit pro omnibus alijs donis, quæ acceperunt Apostoli, post acceptum spiritum sanctum.

Pro ut spiritus sanctus dabat eis  
eloqui.

Id est, pro ut spiritus sanctus impartiebat eis sua dona, ita illis utebantur. Nam per alias linguas intelligo omnia dona, quæ accepto spiritu sancto, acceperunt Apostoli. Pro ut: hæc uoces notant dona spiritus sancti, à spiritu sancto pendere, non ex nobis. Item notant liberā in spiritu sancto uoluntatē impartendi dona sua. Et sicut Apostolus ait, 1. ad Corinth. 12. Sed omnia hæc efficit unus idemq; spiritus, diuidens peculiariter unicuiq; sicut uult. Dabat: spiritus sancti dona sunt dona, & ex dono dantur. Eloqui: primum in genere, pro uti alijs donis omnibus: deinde specialiter pro loqui linguis uarijs. Erant autem in Hierusalem.

Hactenus attigit Lucas effectus, qui secuti fuerunt deceptionem spiritus sancti in Apostolis, & quomodo sine timore cum fiducia usi sunt donis acceptis, & alijs linguis loqui acceperunt: aget porro Lucas de effectibus qui in alijs fuerunt secuti, qui audiuerunt Apostolos uti suis acceptis donis, & loqui alijs linguis: effectus uerè sunt illi communes & uulgares quos ab alijs exercitata spiritus sancti



Spiritus sancti dona, in alijs efficiunt : ut sunt confusio mentis, stupor, & admiratio. Qui effectus cōmendant nobis potentiam spiritus sancti, & efficaciam donorum eius in alijs. Enthymema. Dona spiritus sancti in Apostolis secutus est stupor cum admiratione :

Ergo dona spiritus sancti efficacia sunt.

### Habitantes Iudæi uiri religiosi

Qui tum ad festum Pentecostes conuenerant : uel ut uerisimilius dicam idq; propter participium habitantes, qui uel studiorum gratia uel mercaturæ, morabantur Hierosolymis. Iudæi uiri : & progenie Iudæi & ex profelytia. Iudæi uiri signanter dicit, ut ostendat, de quibus loquatur Lucas. Sed quia sequuntur in nationum enumeratione, & peregrini Romani : intelligit per habitantes Hierosolymam & illos Iudæos qui Romæ agebant quidem, sed tum erant Hierosolymæ. Iudæos ergo uiros in genere uocat, quos postea distributione partitur. Religiosi : & hanc uocem signanter adiungit Lucas : id est, Iudaicæ religioni addicti.

Ex omni natione quæ sub cœlo est

Hyperbole, qua intelligit nationes, in quibus agebant Iudæi. Facta autem hac uoce.

Id est, postquam innotuit Apostolos alijs & illis uarijs



78. ERASMI SARCERII SCHOL.  
rijs linguis loqui : aperte & sine timore in alijs atq;  
alijs linguis confitentis uerbum &c.

Conuenit multitudo.

Conuentus multitudinis factæ uocis effectus est.

Et mente confusa est.

In Græco tantum est, *συνεχῶς*, confusa est. Confusio hæc effectus est, qui est secutus ad usum donorum in Apostolis, commendans nobis & spiritum sanctum & donorum eius potentiam atq; efficaciam.

Quoniam audiebat unusquisq;

Aetiologia confusionis ab auditu propriæ lingue, in qua unusquisq; audiebat loquentes Apostolos.

Tractatur hic questio. An in sua lingua locuti fuerint Apostoli, an in aliorum linguis? Respondetur communi serè omnium ore, Apostolos in sua lingua fuisse locutos, alios autem miraculose intellexisse in suis linguis, ea quæ in propria lingua locuti sunt Apostoli. Huius sententiæ homines, habent hic confutare locum & cœperunt loqui linguis alijs seu uarijs : Item oportet eos hunc locum sic intelligere : & cœperunt loqui linguis alijs seu, uarijs : id est, potentia apti fuerunt loqui qui uarijs linguis, sicut & postea egressi ad predicandum in uniuersum terræ orbem, locuti fuerunt uarijs linguis

guis: Item oportet eos et hæc uerba confutare alio sensu, quàm simplici: quoniam audiebat unusquisq; lingua sua illos loquentes. Sed quid periculi hic subsit, non uideo, ut simpliciter et iuxta coherentiam intelligamus Apostolos actu uarijs linguis locutos, ut quando græcè sint locuti, à Græcis intellecti fuerint: quando latine, à Romanis &c. Decuit Apostolos uarijs linguis loqui, in signum prædicationis suæ uniuersalis, & quia erant uarias regiones, & sic totum terrarum orbem sua prædicatione peragraturi.

Stupebant autē omnes & mirabantur

Stupor & admiratio effectus sunt, qui fuerunt secuti usum donorum in Apostolis. Iudæi enim audientes efficacia Apostolorum uerba uehementem uerbi confessionem, circa uerbi confessionem, uarietatem linguarum, & sic alia dona, stupefcere & admirari ceperunt. Usus est stuporis & admirationis in Iudæis, ut commendent nobis potentiam & efficaciam spiritus sancti, & donorum eius.

Dicentes.

Dicere hoc effectus est stuporis & admirationis in Iudæis.

Nonne.

Vox plena stupore & admiratione.

Enthymema. Omnes isti Galilæi sunt:

Ergo

Ergo istos sic uarijs linguis loqui mirum est.

Et quomodo nos audiuius unusquisque linguam nostram.

Verba plena stuporis & admirationis.

Parthi, & Medi. Prius in genere dixit Lucas: Iudaei uiri religiosi: nunc distributione ita ad species. Et peregrini Romani.

Iudaei religione, sed Romae domesticè agentes.

Et profelyti. Non nati in Iudaismo, sed ad Iudaismum recepti. Magnifica dei.

Quae operatus est deus in Christo suo. Nam hunc clariorẽ redderet Apostolis, uenit spiritus sanctus.

Quam uerò claritatem de Christo acceptam per spiritum sanctum, Apostoli postea liberè & sine timore locuti & confessi fuerunt. Magnifica dei in genere uocat, beneficia Christi, Euangelium, remissionem peccatorum, iusticiam, uitam, æternam, confirmationem et obsecrationem à spiritu sancto factam, et quicquid pertinet ad regnum Christi. Vocat autem illa omnia magna Dei, quae quanquam coram mundo sunt contempta & humilia, tamen coram Deo sunt magna.

Loqui Apostolos magna Dei, effectus est confirmationis & obsecrationis per spiritum sanctum factae: item certe fidei in Apostolis per spiritum sanctum acceptae.

pte. iuxta illud. Credidi, propter quod locutus sum, ad  
 Ro. 10. Corde creditur ad iusticiam: ore autem fit con-  
 fessio ad salutem. Spectat & ad gratiarum actiones, A-  
 postolos loqui magnifica Dei.

Stupebant autem omnes,  
 & mirabantur.

Nota potentiam & efficaciam donorum in Apосто-  
 lis & confessionis magnificorum dei. Vides hic aperte,  
 que prius intellexerit Lucas ignitas linguas: nimirum  
 efficaces & penetrantes, hoc est, facientes homines stu-  
 pescere & admirari. Omnes exaggerat hæc uox effi-  
 caciã & potentiam donorum in Apostolis, & sic cõ-  
 fessionis magnificorum dei.

Ad inuicem dicentes.

Reddunt hæc uerisimilia præcedentia: scilicet om-  
 nes stupuisse & admiratos fuisse.

Quid nam uult hoc esse?

Hi effectibus donorum in Apostolis ad bonum com-  
 mouentur. Et gerunt illorum typum, qui ad dona aliorum  
 & sic ad confessionem uerbi serio & ad salutem com-  
 mouentur. Hoc: id est, hæc linguarum uarietas, hæc  
 tam aperta & constans magnificorum dei confessio,  
 hæc efficacia & potentia confessionis, &c. Pertinet hæc

Esaiæ locus capite 55. Verbum meum non redibit ad me uacuum.

### Alij autem irridentes.

Confessionem uerbi perpetuo sequuntur duo hominum genera: quidam ad uerbum commouentur & suscipiunt illud: quidam commouentur quidem, sed non suscipiunt. Hi posteriores eorum typum gerunt, qui ad confessionem uerbi commouentur quidem, sed non serio, neq; ad salutem: imò uilitate uerbi & confessorum eius offensi, irrident illud & pro nihilo ducunt.

Irrisio hæc effectus est animorum ex uilitate uerbi & confessorum eius offensorum.

Causa offendiculi in his irrisoribus ratio est, quæ tantum magnifica spectat: humilia uerò contemnit.

Argumenta rationis sunt. Apostoli humile uerbum liberè confitentur: Ergo musto ebrij sunt.

Aliud. Apostoli humile uerbum liberè confitentur: Ergo stulti sunt.

De hoc offendiculo ex humili uerbo consule Apostolum. 1. ad Corinth. 1. ubi uerbum humile, sermonem crucis uocat.

Dicebant.

Hoc dicere effectus est irrisionis.

Quod musto pleni sunt isti,



Stulti sunt, nihil sunt, ignobiles, &c. Habes hic formam, quomodo mundus excipere soleat humile uerbum & huius confessores humiles, atq; simplices.

Quod musto pleni sunt: hæc uerba periphraſtixōis circumloquuntur omnes contumelias, quibus humile uerbum, & huius confessores adſicit mundus.

Irrisores hi in mundo perpetuo sunt, & hodie quidem. Sic enim hodie audit nostrum Euangelium, quod diabolicum, Lutheranicum, & Saxonicum Euangelium sit. Prædicatores & confessores Euangelij, quod stulti sint, seditiosi, ignobiles, homines de turba plebei, &c.

Stans autem Petrus cum  
undecim.

Quia quidam ex Iudæis offensi erant humilitate confessionis uerbi in Apostolis: item humilitate Apostolorum uarijs linguis magnifica Dei confitentium: igitur incipit nunc Petrus offensis Iudæis mederi, idq; apertis scripturæ testimonijs. Constantis & pij animi est in Petro, gloriam dei uindicare coram irrisoribus operum & ministrorum Dei. Charitatis quoq; exemplum in Petro est, qui sua concione irrisores operum & ministrorum dei, uult lucrari deo.

Monemur etiam hic de tempore, quo licet respondere irrisoribus ueritatis, & cum illis scriptura agere:

f 2 nimirum

nimirū tum, quando gloria dei poscit, & utilitas proximi Siquidem irrisores non tam irridebant Apostolos, quā opera dei, quæ deus spiritus sanctus operabatur in Apostolis. Enthymema. Irrisores hi derident opera spiritus sancti in Apostolis: Ergo derident spiritum sanctum ipsum.

Argumentum ualet ab effectu ad causam.

Item, docemur hic de materia, qua tolli debent offensa dricula, quæ non est hoc uel illud figmentum, non hæc aut illa doctrina, sed uerbum dei.

Cernis & hic usum quendam finalem ueteris testamenti, qui est testari de nouo, & res huius noui confirmare. Merito ergo omnis noui testamenti doctrina suspecta nobis esse debet, quæ ueteris autoritate non stabilitur. Alia ratio est cū traditionibus ab Apostolis institutis, et si autoritate ueteris testamenti non comprobantur. Cum undecim: certam reddunt historiam.

Eleuauit uocem suam.

Quia prædicator noui testamenti, et uniuersalis gratiæ. Humili uoce utebantur prædicatores legis, pro uno populo, Iudaico scilicet tantum.

Notat & uerbum eleuauit serium in Petro studium atq; seruorem.

Et locutus est eis,

Locutio hæc effectus est eleuatae uocis in Petro, simul & feruoris in eodem.

Sūma est concionis Petri, Apostolos non esse ebrios, nec liberam confessionem uerbi aut magnificorum dei in Apostolis temerè contingere, uel ex ebrietate, uel ex stultitia: nec quod uarijs linguis, efficacibus, & penetrantibus loquantur, nec quod alia dona, aut exerceant aut acceperint, temerè contingere: sed ea omnia esse opera spiritus sancti, & prædicta esse aliquando futura per prophetas.

Viri Iudæi.

Captatio beneuolentiæ ab appellationibus ex una eademq; religione seu professione.

Viri Iudæi: uni Iudaismo seu Iudaicæ religioni addicti. Viri Iudæi: in genere.

Et qui habitatis Hierusalem  
uniuersi.

Specialiter. Genere & speciebus complectitur simul omnes Iudæos. Hoc uobis notum sit.

Vobis emphasim habet: q. d. Lucas, uobis, quibus scripsere propheta, & quibus Messias, qui misit spiritum sanctum, qui ita magna hodie in Apostolis præstitit promissus est.

Et percipite auribus uerba mea.

Reddit Petrus attentos Iudæos.

Percipite auribus : diligenter ascultate.

Verba mea : quæ ego ex scriptura prodam.

Non enim sicut uos existimatis hi  
ebrii sunt, cum sit hora diei  
tertia.

Confutatio à circumstantia temporis, Apostolos non  
esse ebrios. Enthymemata. Hora diei tertia est :

Ergo Apostoli non sunt ebrii. Aliud.

Hora diei tertia est : Ergo confessio Apostolorum  
de regno Dei, non prouenit ex ebrietate.

Aliud. Hora diei tertia est : Ergo quicquid  
agunt Apostoli, non est ex ebrietate.

Sicut uos : offensi humilitate confessionis Apostolorum,  
et ipsorum personis. Existimatis : iudicio rati-  
onis decepti.

Hi ebrii sunt : hi emphasim habet : q. d. Petrus : hi  
Apostoli spiritu sancto confirmati et ob signati.

Cum sit hora diei tertia : ab inconuenienti à circum-  
stantia temporis. Nam matutinum tempus nõ est signum  
aut occasio ebrietatis.

Sed hoc est, quod dictum est per  
prophetam Ioëlem.

Confutata falsa opinione à circumstantia temporis  
orditur

Orditur nunc falsitatem Petrus, scripturæ testimonijs re-  
 fellere. Summa est loci *ioëlis*, in Apostolis & circa  
 Apostolos, quicquid in die Pentecostes, tam de aduentu  
 spiritus sancti, quam de illorum confirmatione & con-  
 fessione factum est, non ex ebrietate, nec temerè cōtigisse  
 sed ex uaticinijs prophetæ *ioëlis*. *ioëlis* in 2. cap. è  
 quo depromptus est hic præsens locus prædicat aduentū  
 hostium, hortatur ad pœnitentiam, & in fine capituli  
 agit de missione spiritus sancti ut confirmatoris & obfi-  
 gnatoris, non solum Apostolorum, sed etiam omnium  
 aliorum credentiū: quare sequitur in textu: super om-  
 nem carnem. Et quicumq; inuocauerit nomen domini, sal-  
 uus erit. Petrus non tam respicit ad Hebræas uoces,  
 quam ad sensum uocum: unde ab Hebraicis aliquantū  
 lūm discrepat. Porro refert hic scire & prophetas  
 notitiam spiritus sancti habuisse. *Enthymemata.*

*Ioël* meminit spiritus sancti: Ergo & Prophetæ spi-  
 ritus sancti notitiam habuerunt. Aliud.

Spiritus sanctus notus fuit sub ueteri testamento:

Ergo falsum est spiritum sanctum sub nouo testamen-  
 to primum notum esse factum.

Quamquàm interim hoc uerum sit, sub nouo testa-  
 mento clariorem contigisse spiritus sancti manifestatio-  
 nem.



## Eterit in nouissimis diebus

Periphrasis temporis gratiæ seu Euangelij. Vocatur autem dies gratiæ seu Euangelij, quia post hos dies, non est alia promissio de gratia expectanda: sed hi dies nouissimi sunt, & durabunt usq; ad extremum. Locus est promissio: Ergo spiritus sanctus non contigit Apostolis, nec nobis continget ex merito. Petrus solis Apostolis tribuere uidetur loco Ioëlis, quod omnium credentium est sub tempore gratiæ.

## Dicit dominus.

Confirmatio ab autoritate personæ Enthymema.

Dominus dicit: Ergo ueritas est. Dominus potentiæ uocabulum est, unde hoc uult Petrus & dominum dixisse, & potentem fuisse, scribere dicta.

## Effundam de spiritu meo.

Exaggeratio abundantix et diuitiarum in deo, quæ effundendi uerbo notatur. Effundam: notat & hoc uerbum spiritum sanctum à Deo patre & filio procedere. Nam pater & filius simul operantur, quantum uterq; Deus est. De spiritu meo: id est, dabo omni carni spiritum sanctum confirmatorem, ob signatorem, ductorem in omnem ueritatem, et consolatorẽ: et dabo omni carni dona spiritus sancti uaria, ut loquantur alijs linguis & illis uarijs, loquantur ignitis linguis, id est, efficaciter

riter, & cum fiducia sine timore confiteantur uerbum confirmantur, & obfignentur de ueritate uerbi, commoueant sua prædicatione auditores, ut stupeſcant & admirentur &c. Spiritus duo ſignificat, ſicut & alibi, ipſum ut donum, qui confirmet & obſignet nos, ducat in ueritatem omnẽ, regat, tueatur &c. Quanquã in uerim uerum manet, ſpiritum ſanctum nemini dari poſſendum in ſua eſſentia: deinde dona eius. Spiritu meo: quia mecum æqualis deus eſt, & à me procedit.

Super omnem carnẽ: in genere uniuerſaliter: ergo ſpecialiter et ſuper Apoſtolos, qui pars ſunt omnis carnis. Nota ſpiritum ſanctum & dona eius non ligari ad perſonas ſed ſpiritum ſanctum eſſe uniuerſalem ſpiritũ pro omnibus, & dona eius pro omnibus dona eſſe. Et recte quidem: quia & Chriſtus dixit Lucæ. 17. Regnum meum non uenit cum obſervatione: ergo nec ſpiritus ſanctus, qui eſt glorificator regni Chriſti, Ioannis 16. Carnem ait: quia caro ſpiritu ſancto eget, ut reparatore, confirmatore, & obſignatore.

Non ait: ſuper omnem hominem: ſed ſuper omnem carnem: quò ſignificet Propheta, omnem carnem corruptam & perditam eſſe, non tantum partem. Et pertinent huc loci, qui oſtendunt totam carnem eſſe corruptã atq; perditam. Pſalmo. 48. Homo cum eſſet in honore,

non considerauit, factus est similis iumentis & comparatus est illis Priore ad Corinth. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus dei. Psal. 13 Non est iustus ne unus quidem: scilicet à natura Ibidem. Non est qui intelligat, non est qui exquirat deum, Ibidem. Omnes deprececerunt et inutiles facti sunt: non est qui exerceat bonitatem, non est ad unum usq;.

### Et prophetabunt filij uestri.

Effectus effusi spiritus super omnem carnem est prophetare: id est, ex interna spiritus sancti reuelatione, oblatione, & confirmatione, certa annuntiare & predicare de regno Christi, de remissione peccatorum, de iustitia, de uita æterna per Christum &c.

Hæc prophetia impleta est in die Pentecostes in Apostolis, quando intus certiores facti de ueritate uerbi confirmati, & obsignati coeperunt magnifica Dei aperta prædicatione, & uarijs linguis proclamare.

Filij uestri, & filie uestre: non est respectus personarum aut sexus apud deum. Significatur spiritum sanctum fore uniuersalem pro omnibus confirmatorẽ et ob signatorem, & dona eius fore uniuersalia pro omnibus

Et iuuenes uestri uisiones uidebunt & seniores uestri somnia somnabunt.

Alijs uerbis à circumstantia etatis, facit spiritum sanctum & dona eius uniuersalia pro omnibus.

Enthymema. Iuuenes & seniores uisiones uidebunt, & somnia somniabunt: Ergo spiritus sanctus et dona eius uniuersalia sunt pro omnis etatis hominibus.

Prophetias, uisiones, & somnia uocat omnia dona spiritus sancti, quæ confert spiritus sanctus ex æquo omnibus.

#### OBIECTIO.

Si ex æquo omnibus conferat sua dona spiritus sanctus: ergo omnia sua dona confert omnibus?

RESPONSIO. Consequentia et falsa et ridicula est. Nam omnibus non dat omnia sua dona, sed unicuique sicut uult ad mensuram fidei, & pro ut unicuique expedit. 1. ad Corinth. 12. Et ad Rom. 12.

Prophetia, somnia, & uisiones, ueteris testamenti sunt uoces, quæ non inconcinne ponuntur pro donis spiritus sancti in nouo testamento. Nam sicut in ueteri testamento, prophetia, somnia, & uisiones, non nisi reuelatione spiritus sancti contigerunt, ita intellectus uerbi uerus, & alia dona spiritus sancti, non nisi reuelante & obsignante spiritu sancto contingunt.

Et quidem super seruos meos.

Expolitione rhetorica idem dicit alijs uerbis propheta: nimirum spiritum sanctum & dona eius esse uniuersalia pro omnibus.

Consolato



Consolatorium est utrumq; sexum, & omnis conditionis homines posse fieri participes spiritus sancti et donorum eius. Et dabo prodigia.

Quae nunc sequuntur apud prophetam, agunt de signis, quae sub mortem Christi contigerunt, quaeq; & Petrus propter coherentiam textus prophetici omittere non potuit. Sunt autem signa haec, non tam passionis Christi, quam praesentiae spiritus sancti: quasi dicat Propheta. Vbi uideritis signa illa fieri, credite iam iam in foribus esse occasionem, ut impleatur prophetia haec de spiritus sancti missione. Et sane post passionem, resurrexit Christus, & ascendit in altum, ut dona daret hominibus, hoc est, remitteret spiritum sanctum, ut implerentur promissiones. Enthymemata.

Prodigia fiunt in caelo, & signa in terra deorsum:  
Ergo Christus passus est. **Altud.**

Prodigia fiunt in caelo, & signa in terra deorsum:  
Ergo imminet tempus, ut ueniat spiritus sanctus & impleatur promissio de missione spiritus sancti. Quidam haec sequentia prophetae uerba, trahunt ad signa nouissimi diei sed quam uere ipsi uiderint. Quidam ex his signis poenas faciunt, ut sit sensus eos fore poenis subiectos, qui aut regno Christi restiterint, de quo uaticinata hic propheta, aut abusi donis spiritus sancti fuerint

Habe



Habēt et alij suos sensus circa hæc prophetae uerba, sed perplacet nobis nostra sententia, propter coherentiam quæ talis est. Propheta dixit in præcedentibus de missione spiritus sancti: in sequentibus loquitur de signis imminentis missionis de spiritu sancto. Et dabo prodigia in cælo sursum: in signum passionis Christi & in signum iam iam imminentis missionis de spiritu sancto.

Et signa in terra deorsum.

Vnus idemq; usus est omnium horum signorum, testificantium et de passione Christi, et de imminente occasione implendi promissionem de missione spiritus sancti

Sol conuertetur in tenebras.

Id quod factū est circa passionē Christi, in signū passionis Christi, & occasionis mittendi spiritum sanctum

Antequam ueniat dies Domini magnus & manifestus.

Magnum uocat diem, diem passionis Christi, in quo res magnas effecit Christus.

Et uocat diem magnum, diem Pentecostes, in quo res magnas effecit spiritus sanctus.

Manifestum uocat, diem, diem illustrem, splendidum et magnificū, propter res illustres, splendidas, & magnificas, quæ in die illo contigerunt. Sive diem de tempore passionis Christi, sive de tempore aduentus spiritus sancti

sancti intelligas, utriq; conuenit uox illustris &c. In propheta legitur antequàm ueniat dies domini magnus & horribilis: horribilem uocat, respectu signorum horribilium, quæ eum præcesserunt. Diem domini appellat, à domino constitutum. Et erit.

Postquàm illuxert dies ille magnus & illustris. Et reuera dies passionis Christi attulit nobis salutem, & omnia bona. Nec dies Pentecostes, quicquam mali nobis attulit. Nam dies passionis Christi cœlum aperuit, et redemptionem exhibuit. Dies Pentecostes parauit Apostolos prædicatores uniuersalis gratiæ per totum terrarum orbem diuulgandæ.

**Quicumq; inuocauerit nomen domini, saluus erit**

Accedit hæc sententia tanquàm epiphonema prophetiæ ioëlis, quo eam concludit, quasi dicat: Præsentem illo die magno & illustri, apertum erit cœlum omnibus credentibus in Christum dominum, & in foribus erit ut mittatur spiritus sanctus credentibus, & dentur illis spiritus sancti dona in magna abundantia. Locis hic ioëlis apud Apostolum, ad Rom. 10. incipit gradationem, cuius summa est, nos consequi beneficium Christi & reputari iustos per ministerium Euangelij. Vide tur propheta hoc loco prouocare Iudeos ad pœnitenti-

Quicumq; gratia est uniuersalis pro omnibus, sine respectu personarum aut conditionum, aut aliarum circumstantiarum. Inuocare nomen domini, est credere Euangelio. Et est simplicissimus huius loci sensus. Fides in Christum iustificat ac saluum facit.

Saluus erit.

Salus effectus est fidei in Christum. Pulchrè autem ponit inuocare pro credere, effectū pro causa. Ad Ro. 10. Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Ergo inuocatio effectus est, fides causa.

Viri Israëlita. Altera concio Petri, quæ præcedentis fini annectitur occupatione, qui finis ceu summa occasio est sequentis orationis. Obijcere potuissent Israëlita. Tu Petre dicis: Quicumq; inuocauerit nomen domini saluus erit. Quem igitur uocas dominum, cui inuocationem ut uerum dei cultum tribuis tanquam deo? Huic objectioni respondet Petrus occupatione, & probat sequenti oratione, Christum à Iudæis crucifixū esse illum dominum salutis, & uerum Deum inuocationis cultu dignum. Summa: ergo est sequentis orationis, Christum crucifixum esse uerum Messiam, dominum salutis, & uerum Deum.

Alias hæc potest esse sequentiū cum præcedentibus coherencia. In præcedentibus dixit Petrus de missione spiritus.

Spiritus sancti à patre facta: nunc in altera hac oratione ostendit, quæ fuerit missi Spiritus sancti occasio ex filio: occasio sic habet ex persona Christi. Christus à deo uenit saluator, hunc uos crucifixistis: hic uerò resurrexit à mortuis, & ascendit in cælum, & remisit Spiritum sanctum. Et ad hanc coherentiam pulchrè omnia quadrant, maximè uerò hæc uerba, quæ circa finem concionis sequuntur. Dexterâ igitur dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta à patre, effudit hoc, quod uos nunc uidetis & auditis. Summa est posteriori coherentiæ, Christum post patrem esse occasionem missi Spiritus sancti, & omnium rerum, quæ in die Pentecostes acciderunt circa Apostolos. Viri Israëlita: captatio beneuolentiæ à dignitate personarum.

Audite uerba hæc.

Quæ porrò ulterius dicam de occasione Spiritus sancti missi & rerum, quæ hodie cõtingerunt in Apostolis Iesum Nazarenum.

Ordo subsequentiæ hic est. Christus uerus deus ac Messias à Iudeis crucifixus est, qui postea resurrexit, & ascendit in cælum, & remisit Spiritum sanctum Apostolis. In prima parte concionis probat Petrus, Christum à Iudeis crucifixum, esse uerum deum atq; Messiam, id quod etiam in reliquis partibus suæ concionis probat Petrus.



trus Iesum Nazarenum: extenuatio persone Chru-  
sti à loco: q. d. Petrus, ille Iesus contempta & humilis  
persona in oculis uestris. Iesum Nazarenum uocat  
à loco, ubi Christus nutritus fuit.

**Virum commonstratum à deo.**

A causa probatio Iesum Nazarenum esse uerū deū  
atq; Messiam. Enthymemata. Iesu Nazareni cau-  
sa deus est: Ergo Iesus Nazarenus uerus deus est.

**Aliud.** Iesu Nazareni causa deus est: Ergo  
Iesus Nazarenus uerus Messias est.

Virum appellat hebræa phrasi hominem: uel uocat  
uirum propter humanam naturam.

Cōmonstratum à deo: declaratum & exhibitum.

A deo: notat causam Christi, & omnis sue doctri-  
nae, & operum suorum, ipsum deum patrem esse

Similis est huic locus, ad Rom. i. Qui declaratus fuit  
filius dei cum potentia.

Commonstrare est hic certò declarare, & cum po-  
tentia quadam diuina.

**In omnibus uirtutibus &  
prodigijs, & signis.**

Probatio ab effectibus seu operibus diuinitatis, Iesum  
Nazarenum esse uerum deum ac Messiam.

Enthymemata.



Iesus Nazarenus operatus est, diuinitatis opera:  
Ergo deus est. Aliud.

Christum declarauit deus in omnibus uirtutibus, & prodigijs, & signis: Ergo deus est seu uerus Messias.

Virtutes, prodigia, & signa, ut species circūloquuntur omnia opera Christi, quæ diuina potētia in illo operatus est Deus pater.

Petrus hunc usum tribuit operibus Christi, ut inde Christus cognoscatur deus ac uerus Messias. Eundem usum & suis operibus ipse Christus tribuit, Matthæi 11. ubi ex effectibus seu operibus cognosci uult esse uerum Messias à discipulis Ioannis.

Hi interrogant. Tu es ille, qui uenturus est, an alterum expectamus? Respondet Christus. Ite & renunciate Ioanni, ea quæ auditis & uidetis. Cæci uisum recipiunt, & claudi ambulant, leprosi mundantur, & surdi audiunt, mortui excitantur, & pauperes lætitiæ accipiunt Euangelij nuncium, &c. In omnibus: nota Christum potenter declaratum esse filium dei, uerum deum, & Messiam.

Virtutes propriæ intelligo ea opera, ad quæ singularis dei potentia requisita fuit.

Prodigia, talia opera Christi, quæ deus pater in filio præter naturæ cursum etiam cum diuina potentia effecit.

cit, ita tamen, ut prodigia leuiora sint opera quàm uirtutes. Signa adhuc intelligo leuiora opera ipsis prodigijs. Sunt qui per uirtutes, prodigia & signa, intelligunt uocem de cœlo auditam. Tu es filius meus in quo mihi bene complacitum est: item transfigurationem in monte Thabor: item prodigia & signa, quæ circa passionem ac mortem Christi contigere. Verum quàm rectè, ipsi uiderint.

Quæ fecit Deus per illum in medio uestri.

Urget Christi causam deum patrem, ut Christum commendatiorem faciat.

Opera patris & Christi æqualia sunt. Ioannis 5. Pater meus ad hoc usq; temporis operatur, & ego operor Ibidem. Amen amen dico uobis, non potest filius à se facere quicquàm, nisi quod uiderit patrem facientem. Quæcunq; enim ille fecerit, hæc itidem & filius facit.

Per illum: non tanquàm per organum simpliciter, sed etiam cum illo In medio uestri: id est, aperte. Tolle enim molitur Petrus suspicionem mali. Siquidem qui malè agit, fugit lucem, Ioannis 3.

Sicut & ipsi scitis.

Experti estis & coram aspexistis. Magnū est testimonium, quod ab illis petitur, quibus persuasionis gratia, loquimur.

Enthymema. Ipsi scitis Christum diuinitatis operibus declaratum filium dei, uerum deum, & Messiam.

Ergo uos male fecistis, qui eum crucifixistis.

Tangit Petrus conscientias Iudæorum. Et discite hic quæ ratio sit persuadendi alijs, Christum esse uerum deum atq; saluatorem.

Verum hic fit. Conscientia mille testes. Item. Conscientia ad persuadendum optimum medium est.

Sicut & ipsi scitis: exaggerat quoq; his Petrus in Iudæis peccatum crucifixi Christi, quod contra conscientiam perpetrarunt, aliter edocti ex operibus Christi quam quod fuerit blasphemator & irrisor dei, propter quæ uitia, crucifixerunt eum.

Aliàs dicimus ignorantia excusat peccatum: ergo notitia aggrauat peccatum.

Hunc definito consilio, & præscientia dei.

Tota Christi passio, & sic quicquid circa Christum contigit, non temerè factum est, sed ex definito consilio & præscientia dei.

Consolatorium est Christum non temerè passum esse, ut discamus nec nobis quicquam aduersi accidere, sine uoluntate dei patris. Matthæi 10. Omnes capilli capitis uestri numerati sunt.

Definito

Definito consilio: ex singulari dei deliberatione & dispositione. Et præscientia dei: qua antequàm fieret, præsciuit deus pater filium iri traditum & passurum. Falsum est argumentum.

Deus pater præsciuit Christum passurum: Ergo deus pater simul pars est passionis Christi.

Ad hoc argumentum, sic paucis respondendum est. Quanquàm deus pater præsciuit Christum filium passurum, tamen non fuit pars passionis, nec simul iuuit persecutores Christi: alioqui esset deus autor mali. Sic deus præscit peccatum: falsum tamen est eum peccatum facere, qui natura bonus est. Præterea aliud est præscire peccatum, aliud est facere.

Locus hic præsens facit contra Epicureos negantes providentiam dei, ut eiusmodi creatoris, qui nostri curam non agat, uerum committat nos sequenti fortunæ.

Potest etiam hinc peti discrimen aliquod inter prædestinationem & præscientiam dei: quanquàm interim definitum hoc consilium passionis Christi, utriq; tribui possit. Pulchrè monet Petrus, Christum qui à deo est, non temerè passum, sed definito consilio & præscientia dei. Id quod etiam pertinet ad commendationem Christi, qui non temerè passus est.

Traditum.

Hanc uocem signanter & quasi per occupationem adijcit, ut omnes peccatores et reos faciat passionis Christi, cum traditores, tum eos, qui traditum exceperunt crucifigendum. Rectè omnes facit peccatores, qui uult gratuitam iusticiam proponere Iudæis.

**Per manus iniquorum accipientes crucifixum,  
interemistis.**

Faciens & consentiens æque boni sunt: item tradens ad mortem, & qui mortem infert.

Iniquos appellat, qui contra conscientiam fecerunt Christo iniuriam. Et sanè is rectè dicitur iniquus, qui contra conscientiam malè agit.

Interemistis: accusat mortis Christi omnes Iudæos, & sic ex omnibus reos facit. Discimus exemplo Petri, ne obpalliemus aut extenuemus peccata.

**Quem Deus suscitauit solutis  
doloribus mortis.**

Absoluta passione Christi, proponit Petrus resurrectionem, qua idem sibi uult, quod passione: nimirum Christum tamen esse uerum deum atq; Messiam, quanquam fuerit mortuus, quia in morte non mansit, sed ex mortuis resurrexit. Enthymema. Christus resurrexit:

Ergo Christus deus est & uerus Messias.

Vale



Valet argumentum à diuinitatis opere ad Christum deum, ut causam.

Quem deus: causa resurrectionis Christi, deus pater est. Ad Ephes. 1. & quæ sit excellens magnitudo potentie illius in nos, qui credimus secundum efficaciam roboris fortitudinis eius, quam exercuit in Christo, cum suscitaret eum ex mortuis, &c. Ad Rom. 6. Quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis, per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus.

Enthymema. Christum suscitauit deus ex mortuis:

Ergo Christus potentibus hostibus oppressus fuit.

Suscitare uerbum est diuinæ & magnæ potentie, ostendens, quã potentibus hostibus oppressus fuerit Christus: scilicet Satana, peccato, morte, inferno, damnatione, &c. Solutis doloribus mortis: id est, expugnatis atq; uictis omnibus hostibus Christi: ueluti Satana, peccato, morte, &c. Placet hic scire, qui sit resurrectio Christi, eam sic accipe ex hoc loco. Resurrectio Christi est exuscitatio, qua deus pater exuscitauit eum & soluit à doloribus mortis. Solutis: hæc uox notat, Christum ligatū & captum fuisse. Ast obsecro, à quibus hostibus? Respondeo. A diabolo, morte, &c.

Doloribus: Apage cum istis nebulonibus & hereticis, qui negant Christū sensisse infirmitates & peccata

nostra tyrannidem diaboli, peccati, mortis &c. Ad  
 Hebræos, 2. Posteaquàm igitur pueri cõmertium habent  
 cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus  
 est eorundem. Ibidem. Nam quod & ipsi contigit  
 tentatum esse, potest & his, qui tentantur succurrere.  
 Item. 4. cap. Sed tentatũ per omnia &c. Dolores, quos  
 sensit Christus ex nostris peccatis, pulchrè describit  
 Psal. 15. 21. & alij. Enthymema. Christus solutus est à  
 doloribus mortis: Ergo Christus sensit tyrannidem  
 mortis. Mortis: uno hosteposito & pro reliquis  
 ut pro diabolo, peccato, inferno &c. Enthymema.

Christus solutus est à doloribus mortis: Ergo Christi  
 stus amplius non agitur morte: ergo Christus triumphauit &c.

**Eò quod impossibile erat teneri illum  
 à morte.**

Quia simul deus erat, non tantum homo: impossibile  
 ergo fuit deum teneri & uinci à creatura, et ab impo-  
 tioribus hostibus. Impossibilitas petenda uenit à  
 diuinitate Christi, qua fuit potentior diabolo, peccato  
 &c. Enthymema. Christus Deus est: Ergo Christum te-  
 neri à morte impossibile est. Itẽ ab omni potentia Chris-  
 ti ut Dei Enthymema. Christus est deus omnipotens.

Ergo Christus non potuit teneri à morte.

Spectant

Spectant huc probabiles ille rationes. Impotentior non præiudicat potentiori. Aliqua potentia præditus, non potest tenere omnipotentem.

Vel erat impossibile: scilicet propter promissiones de resurrectione Christi factas, quas nunc ordine ponet Petrus ex Davidis psalterio. Teneri signanter hoc uerbo utitur, ut declaret, aliud esse aliquandiu agere sub morte, & aliud esse teneri à morte semper.

Mortem ut unum hostem Christi ponit & pro reliquis. **Dauid enim dicit.**

Ne quid ex suo cerebro dixisse uideatur Petrus, de resurrectione Christi, & quod impossibile fuerit eum teneri à morte, addit scripturæ autoritatem. Enthymema. Christum resurrecturum prædixit scriptura:

Ergo Christum teneri à morte fuit impossibile

**Dauid enim.**

Aetiologia ab autoritate scripturæ, Christum resurrexisse nec potuisse eum teneri à morte.

Psalmus. 15. equo hæc uerba transcripta sunt, precatorius est, in quo precatur Christus pro hereditate sua, & contra suos hostes: maxime autem contra mortis potentiam, ne sub illa succumbat, sed ut à morte resurgat uictor. De eo: nota hunc. 15. Psalmum proprie pertinere ad Christum.

**Providebam dominum in conspectu  
meo semper.**

Fid. i hæc uerba sunt in Christo, quibus declarat se non dubitasse de præsidio dei patris Providebã: id est quanquã angustiabar. Ostendit Christus se in ipsis angustijs fîsum esse deo patri. Providebam dominũ corã me semper: id est, habet am dominũ ante oculos semper

**Quoniam à dextris est mihi ne  
commouear.**

Aetiologia perpetuæ fiduciæ Christi in deum patrẽ sumpta à præsentia dei, qua perpetuam filij sui curam agit. A dextris est mihi: id est, auxiliator meus. Dextre representat auxilium præsens. Ne commouear: id est, ne incidam in tentationem, in quo succumbam.

**Propter hoc lætatum est cor meum.**

Sequitur fidei in Deum patrem effectus, qui est pax seu lætitia conscientie. Ad Ro. 5. Iustificati igitur fide pacem habemus &c. Psalmo. 3. Ego dormiui & soporatus sum, & exurrexi, quia dominus suscepit me. Non timebo milia populi circumdantis me &c.

Propter hoc: quia ex fide certa persuasi mihi de præsidio dei patris.

**Lætatum est cor meum: lætitia effectus fidei pro  
conscientia**



conscientia est, quæ potest esse tranquilla, etsi etiam foris patiatur persecutiones.

Et exultauit lingua mea.

Alter fidei effectus, confessio seu gratiarum actio. ad Rom. 10. Corde creditur ad iusticiam: ore autem fit confessio ad salutem. Et alibi dixit Dauid. Credidi, propter quod locutus sum. Exultauit: confessione et gratiarum actione. Insuper & caro mea requiescet in spe.

Vehementis & magnæ fidei uerba in Christo, qui etiam in ipsa morte promittit sibi uitã præsidio patris Insuper: id est, ne in morte quidem dubitabo de uita seu resurrectione mea. In spe: sub spe uitæ & resurrectionis. Quoniam non derelinques animam meam in inferno

Aetiologia spei à certa fide seu certa persuasione, quæ quod credit, spes expectat. Enthymema.

Ego spero: Ergo non derelinques animam meam in inferno. Vel.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno:

Ergo ego spero. Non derelinques: quia hoc certò credo, & quod credo simul & spero. In inferno: animam Christi non esse derelictam in inferno, est Christum non mansisse sub tyrannide diaboli, mortis, peccati &c

Multà



Multi se hic torquent, quid sit infernus: sed uox plana & aperta est, modo conferas ad eam præcedentia. Petrus in superioribus dixit. Quem deus suscitauit solutis doloribus mortis, eò quod impossibile erat teneri illum à morte: hæc iam probare nititur Petrus autoritate Psalmi, in quo occurrit uox inferni, quam ponit pro ipsa morte, ut autoritas confirmationis respondeat rei quam confirmare uult: & est sensus: quoniam non derelinques animam meam in inferno: id est, in ipsa morte, uno hoste Christi posito pro alio. Præterea ut supra mors unus hostis Christi, positus est & pro reliquis: ita ponitur hic infernus & pro diabolo, peccato, morte, damnatione, &c. ut sit sensus. Non derelinques animam meam in inferno: id est, non permittes me manere aut succumbere sub potestate & tyrannide diaboli, peccati, mortis &c.

**Nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem.**

Expolitione idem dicit, quod prioribus uerbis. Nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem: id est, non permittes me manere aut succumbere sub potestate & tyrannide diaboli, peccati, mortis, inferni, damnationis &c. Sanctum tuum: quem tu sanctificasti. Psal. 44. propterea unxit te Deus &c.

Videte

Videre corruptionem : hebraismus, pro corrumpi, sic  
 cut uidere mortem, pro mori, uidere interitum pro inte-  
 rire. Mors, infernus, & corruptio, hic sunt synonyma.

**Notas fecisti mihi uias uitæ.**

Exultat Christus, quod pater non permiserit eum  
 manere sub morte, inferno &c. *Notas fecisti mihi  
 uias uitæ* : id est, uita donasti me, nec permisisti me te-  
 neri sub morte, inferno &c.

**Replebis me iucunditate cum  
 facie tua.**

Tempora in Psalterio uariant, nec habetur tempo-  
 rum aliquis certus respectus : sic quod paulo ante in  
 præterito extulit Christus ex certa fide : nunc in futuro  
 effert. *Replebis me iucunditate cum facie tua* : id est,  
 quanquam permiseris me incidere in mortem, tamen ali-  
 quando me ex morte liberabis, nec fines me in morte  
 succumbere. *Replebis &c.* uerba fidei hæc sunt, qui-  
 bus Christus certam sibi liberationem à deo patre pro-  
 mittit iucunditatem opponit terroribus mortis.

*Facie tua* : tua præsentia.

**Viri fratres liceat audenter dicere  
 ad uos.**

Occupatiua insinuatione anteuertit Petrus cogita-  
 tiones iudeorum contra productam autoritatem Psal-

mi pro resurrectione Christi, ne iudæi uerba Psalmi persone Dauidis tribuant, & ea de Dauide dicta esse obijciant, & non de Christo. Summa est occupatiue huius insinuationis, producta uerba Psalmi, de resurrectione Christi esse intelligenda: item esse uerba Christi, non Dauidis: id quod etiam certis argumentis à signis collectis probat. Docet Petrus suo exemplo, ut prædicatores diligenter inuigilent, ne truncata dicant, sed explicent summo studio conscientias, & abigant scandala ex truncatis seu obscuris accepta. Viri fratres: insinuatio necessaria apud offensus Iudæos. Audenter: libere. De patriarcha David.

Patriarchæ uoce attentos reddit. Quid enim dulcius audiri potest in auribus posterorum, quàm patriarcharum recordatio? Quod defunctus est & sepultus est, & sepulchrum eius &c.

Probat à signis Petrus, præcedentia Psalmi nõ esse intelligenda de Dauide, sed de Christo. Enthymemata

David defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum eius apud nos est usq; in hodiernum diem.

Ergo Dauidis non sunt uerba Psalmi de resurrectione. Aliud.

Sepulchrum Dauidis quod apud nos est, testatur Dauidem nondum resurrexisse: Ergo uerba Psalmi de  
resur

resurrectione non possunt Dauidi tribui.

Ratio est, quia nos omnes credimus, in sepulchro quod apud nos est, Dauidem adhuc requiescere. Argumenta à signis, ut aliàs sunt infirma: ita & hoc præsens Petri argumentum à signis ductum, coram humana sapientia parum firmi habet. Ex simplicitate argumentorum, commendatur nobis simplicitas Petri, quæ in prædicatore summa uirtus est.

Et sepulchrum eius est apud nos: sub ea fide, quod credimus Dauidem in illo sepulchro adhuc requiescere

Vsq; in hodiernum diem: à circumstantia temporis mouet. Nam & tempora suas habent mouendi uires.

Propheta igitur cum esset.

Alia occupatione obuiam it tacite cogitationi Iudeorum, & tali. Si prædicta uerba Psalmi non sunt Dauidis aut de persona Dauidis intelligenda, cur ergo Dauid illa locutus est & quomodo potuit resurrectionem Christi præuidere? Respondet Petrus occupatione à de core ex professione, facta promissione Dauidi de Christo, & à possibili Enthymema. Dauid propheta fuit:

Ergo Dauid debuit prophetare de Christo & resurrectione Christi. Aliud. Dauidi facta fuit promissio de Christo: Ergo Dauidē decuit loqui de Christo, resurrectione, & rebus ad Christum pertinentibus. Aliud.

Dauid



Dauid propheta fuit: Ergo Dauid potuit praeuide  
 re futura de resurrectione Christi. Propheta: qui habebat  
 priuatas reuelationes rerum futurarum à deo reuelatas.  
 Propheta nomen professionis est, è quo Petrus colligit  
 decorum, quod praestitit Dauid prophetans de Christo  
 & Christi resurrectione. Similia sunt argumenta à  
 professione ducta. Hic medicus est: Ergo hic ex decore  
 curare infirmos debet. Aliud.

Hic sartor est: Sarciat igitur uestes. Aliud.

Hic episcopus est: Vigilet ergo pro ecclesia.

Et sciret, quod iureiurando iurasset illi deus.

A promissione Dauidi facta, colligit Petrus decorum  
 quod decuerit Dauidem loqui de Christo, & sic etiam  
 de resurrectione Christi.

Iure iurando: de quo uide 3. lib. Regum cap. 2.

Iurat deus non sua, sed nostra causa, ut infirmitati  
 nostrae succurrat.

### De fructu lumbi eius.

Christus ex semine Dauidis nasci debuit: unde & filius  
 Dauidis appellatur. Matth. 1. ad Rom. 1. Qui genitus  
 fuit ex semine Dauidis, secundum carnem.

Diligenter specta haec uerba: de fructu lumbi eius,  
 contra nouos & ueteres haereticos, qui negant Christum  
 carnem



carnē suam ex Maria sumpsisse, sed ex cœlo secum de-  
portasse eam, aut diuinitatem in carnem mutatam esse.

Sedere: & hoc uerbum urgendum est contra Epi-  
cureos hereticos, qui adferunt Christum esse ociosum  
regem: est enim sedere hoc in loco actionis seu regimi-  
nis alicuius uerbum.

Super sedem eius: & hæc signanter dicta sunt, ne  
putes regnum Christi fore tantum supra nubes: uerum  
hic etiam in terris ubi regnauit Dauid. Enthymema.

Christus sedet super sedem Dauidis: Ergo Christi  
regnum non est supra nubes tantum.

### Præuidens locutus est de resurre- ctione Christi.

Colligit Petrus possibilitatem in Dauide, qua potuit  
prophetare de resurrectione Christi, & præuidere eam  
dem, quia propheta fuit, cuius officium est, prophetare  
& prouidere futura. Præuidens: ex singulari reue-  
latione à deo facta: uel præuidens: scilicet in spiritu.

De resurrectione Christi: uerba instituti præmittit Pe-  
trus, & uerba è Psalmo confirmatoria postponit.

### Quod neq; derelictus est in inferno.

Expolitione addit & uerba confirmatoria Psalmi,  
quæ resurrectionē Christi circūloquuntur alijs uocibus

h Neq;

Nec; derelictus est in inferno : id est, non succubuit  
sub tyrannide diaboli, peccati, mortis, &c.

Nec; caro eius uidit cor-  
ruptionem.

Et hæc per expolitionem circumseribunt resurrectio-  
nem Christi. Sententiæ hæc expolitiæ, notant copiam  
in propheta. **Hunc Iesum.**

Epilogus de resurrectione Christi cum notatione  
quadam. **Hunc Iesum :** de quo David uaticinatus est :  
uel ait, **Hunc Iesum :** scilicet, qui sub tyrannide diaboli  
peccati, mortis, &c. iacuit aliquando.

**Resuscitauit.** Notat hoc uerbo Petrus, Chri-  
stum detentum fuisse captiuum à diabolo, peccato, &c.

**Resuscitauit :** uidelicet tanquam mortuum & op-  
pressum à suis hostibus. **Deus.**

Resurrectio Christi opus est potentie patris.

**Cuius omnes nos testes  
sumus.**

Allegat suum officium Petrus, ne temerè & præter  
officium uideatur loqui de resurrectione Christi. Apo-  
stoli ab una parte regni Christi: nimirum à resurrectione  
describuntur. Sunt ergo Apostoli testes resurrectionis  
Christi. Resurrectione ponit ex instituto Petrus, pro re-  
gno Christi, & omnibus rebus ad hoc pertinentibus.

Vides

Vides etiam hic ab exemplo Apostolorum, quid sint prædicatores : scilicet, testes resurrectionis Christi. Resurrectionis uoce & non alia utitur Petrus, quia omnis salus nostra in resurrectione Christi cõstitit : qui enim si nõ resurrexisset, nos nondũ essemus liberati neq; retempti. Testis uox discernit inter Apostolos & Christum, de quo testantur Apostoli.

### Dextera igitur dei exaltatus.

Resurrectioni Christi subijcit Petrus ascensionem, cuius quoq; idem est usus cum passione & resurrectione : uidelicet quia ascendit Christus : igitur uerus deus atq; Messias est. Dextera igitur dei exaltatus est : ut passio Christi unã cum resurrectione non contigit temere, sic nec ascensio eius : præterea sicut resurrectio fuit opus potentie patris : ita & ascensio.

Enthymema Dextera dei exaltatus fuit Christus :

Ergo ascensio Christi fuit potentie patris opus. Dextera notat magnam potentiam.

### Et promissione spiritus sancti accepta à patre.

Pro qua Christus orauit patrem, ut mitteret spiritum sanctum Apostolis. Et promissione spiritus sancti accepta à patre : id est, certus factus à patre, quod esset missurus Apostolis spiritum sanctum.

Effudit hoc quod uos nunc  
uidetis & auditis.

Accommodatio ad institutum, ut scias, cur Petrus altera sua oratione dicere uoluerit de passione, resurrectione, & ascensione Christi: uidelicet propter occasionem ponendam ob oculos, ex qua deuenit spiritus sanctus ad Apostolos, idque ex persona Christi (postquam prius ostendit, quomodo ex promissione patris, ad Apostolos spiritus sanctus missus fuit) qui passus est, resurrexit, & ascendit, in hoc, ut mitteret spiritum sanctum Apostolis. Similis ferè est locus Psalmi 67. Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, ut dona daret hominibus: id est, remitteret illis spiritum sanctum. Et reuera non postremus est ascensionis Christi fructus, missio spiritus sancti.

Finalis ergo scopus fuit prædictorum de passione, resurrectione, & ascensione Christi, ut probaret Petrus à persona Christi (sicut à promissione patris probauerat) Apostolos non esse ebrios ex uino, nec loqui uarijs linguis, quia ebrii sunt, nec sic liberè & cum commotione confiteri uerbum ex ebrietate ut causa, & c. sed quia Christus passus est, resurrexit, ascendit in cælum, & remisit Apostolis spiritum sanctum, quo repleti Apostoli, loquuntur uarijs linguis, liberè & cum commotione confitemur

fitentur uerbum, & alia atq; alia faciunt, quæcunq; faciunt. Effudit post ascensionem suam. Hoc quod uos nunc uidetis & auditis: id est, quicquid agunt & faciunt Apostoli. Enthymema.

Christus mittendo spiritum sanctum Apostolis suis, autor est omnium actionum harum in eis:

Ergo ebrietas non est causa neq; uinum.

Effudit hoc scilicet, & misit Apostolis spiritum sanctum, & unâ cū illo dona, & huiusmodi actiones Christus enim mittit iuxta suum officium spiritum sanctum, Ioannis 15. & 16. Videtis & auditis: id est, certò & coram cognoscitis atq; experimini.

### Non enim Dauid ascendit in cœlos.

Vt præcedentia uerba Psalmi 15. non de Dauidis resurrectione, sic nec hæc 109. Psalmi, de ascensione in cœlos, de Dauide intelligenda sunt.

Aetiologia occupatiua est, qua præuenit Petrus cogitationes Iudeorum contra sequentem locum Psalmi de ascensione Christi, quem Iudæi de Dauide tantū intelligebant. Christus Matthæi 22. cap. interpretatur præsentem hunc Psalmi locum, contra Iudæos absurdissimè errantes circa patrem Christi. Non enim extrema absurditas est sic argumentari?



Christus ex semine Dauidis nasci debet: Ergo Christus est purus Dauidis filius, & præterea non deus aut filius Dei. Porro ut nunc ibi Christus usus est præfenti loco, contra absurdum Iudæorum intellectum, sic Petrus hic utitur, quanquam in diuersis propositis Christus circa questionē, cuius filius sit Christus. Petrus circa probationē ascensionis Christi. Argumentū Iudæorum, cū quibus Petrus agit, sic habet. Dauid locutus est de ascensione: Ergo Dauid ascendit. Contra argumentatur Petrus ex absurdo. Dauid prophetauit. Dixit dominus domino meo, sede adextris meis: Ergo Dauid non ascendit. Ratio petitur ab absurditate. Si quidem absurdum est hæc uerba ad Dauidem trahere, quibus Dauid non de se, sed de Christo loquitur. Ait enim. Dixit dominus Domino meo, sede à dextris meis, &c. Non ait. Dixit dominus mihi, sede à dextris meis.

### Dixit autem ipse.

Confirmatio à uerbis ipsius Dauidis, quod ipse non resurrexerit, sed Christus.

Fortissima sunt argumenta, quæ ab illis ipsis petuntur, contra quos nos agimus.

### Dixit dominus domino meo

Psalmus 109. est generis demonstratiui, & continet descriptionem regni & sacerdotij Christi.

Dixit

Dixit dominus, &c. His uerbis duo agit Dauid. Cōfitetur se minorem esse Christo, quia dominum eum uocat: & testatur non se sed Christum resurrexisse.

Dominus: deus pater Christo filio regnum tradidit & est illius regni autor.

Regnum hoc à patre acceptum, Christus circa nouissima tempora, rursum tradet patri. 1. ad Corinth. 15.

Domino meo, Christo: ergo non mihi Dauidi.

Sede à dextris meis.

Id est, simul regna equali potentia. Sedere à dextris dei patris, effectus est ascensionis Christi, quæ ponit pro ipsa ascensione. Enthymema. Christo dixit pater, sede à dextris meis: Ergo Christus ascendit.

Valet argumentum ab effectu ad causam.

Sed sedere Christum ad dexteram patris esse effectum ascensionis, qui eam secutus est, satis ostendit Apostolus, ad Ephes. 1. Cum suscitaret eum ex mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in caelestibus. Sedere regnare est. Dexteram patris notat æqualem potentiam cum patre. Sedet Christus ad dexteram dei patris, hoc est, regit, defendit, & tuetur cum patre: ergo non agit Christus ad dexteram dei patris ociosum rerum mortalium spectatorem, sicut eum fingunt homines epicurei & securi.

Habes hic descriptionem regis Christi, qui est assessor ad dexteram dei patris in æquali potentia & regimine cum patre deo. Ad hoc sedere ad dexteram dei patris, primum cœpit aperte regnum Christi. Notant & hæc uerba: sede à dextris meis, periphrasin regni Christi, quod consistit in sedendo ad dexteram dei patris. Sede à dextris meis: en effectum ascensionis Christi, nouum regnum.

Donec ponam inimicos tuos scabellū pedum tuorum.

Hæc agunt de tempore duraturi regni Christi, quod durabit usq; ad finem mundi hic in terris. Vide Apostolum 1. ad Corinth. 15: mox finis, cum tradiderit regnum deo, & patri, cum aboleuerit omnem principatum et omnem potestatem atq; uirtutem. Nam oportet eum regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos

Donec: ad nouissima tempora: erga hostes Christi durabunt ad finem usq; seculi: ergo figmentum est Chiliastarum opinio, qua fingunt Christum hic in terris ad mille usq; annos regnaturum in omni genere deliciarum, extinctis omnibus aduersarijs: ergo falsa est Anabaptistarum opinio, qua statuunt futurum, ut ante nouissimum diem purgetur ecclesia ab omnibus malis ac impijs. Ponam: subiugatio aduersariorum Christi  
est

est opus potentiae patris. Scabelli uoce significatur extremus interitus & abiectissimus hostium Christi.

Certissime sciat ergo.

Epilogus concionis Petri, in quo praecipua repetit: nimirum Iesum crucifixum, esse dominum & Christum à Deo patre constitutum. Constat uerò hic epilogus adhortatione ad fidem, ut credant in eum, quem Deus pater constituit dominum & Christum. Certissime: extra omne dubium est, Iesum crucifixum esse dominum & Christum. Sciat: etsi quidam contra conscientiam scire nolint: Ergo quia Iesus fuit uir commonstratus à deo, declaratus uirtutibus, prodigijs, & signis deus ac Messias: quia passus est ex definito consilio & praescientia dei: quia resurrexit, quia ascendit, quia constitutus est ad dexteram dei patris &c

Tota domus Israël

Quia gratia Euangelij uniuersalis est, & contingit sine personarum respectu.

Quod dominum & Christum  
fecit deus

Id est comonstrauit & declarauit multis uirtutibus prodigijs, & signis. Dominum: fecit ut potens sit contra suos hostes uincere eos, & uictos retinere sub iugo.

Christum: ut agat regem & sacerdotem simul. Re

gē, ut regat, tueatur et defendat. Sacerdotē, ut interpellat  
intercedat &c. Voce dñi ostendit, & Iesum deū esse.

Hunc Iesum, quem uos crucifixistis.

Quanquā contemptam & abiectam personā cor  
ram oculis uestris, & extremē malē adfectam. Hunc:  
magnam emphasim habet hoc pronomen. Quem uos  
crucifixistis: rectē monet Petrus de peccato, ducturus  
Iudeos ad pœnitentiam. Disce hic quæ ratio sit con  
uertendi peccatores: scilicet diligenter inculcare eis sua  
peccata, & sepe ob oculos ponere. Qui enim non ag  
noscet se peccatorem esse, is nunquā confugiet ad gra  
tiam. Nihil dissimulat hic Petrus: ergo peccata homi  
num dissimulanda non sunt, at aperte prædicanda.

His autem auditis.

Hactenus concionatus est Petrus de missione spiri  
tus sancti, passione, resurrectione, & ascensione Christi:  
item, de fructu, qui ascensionem secutus est: sequitur  
nunc, quid concione sua expedierit Petrus, & quomodo  
ignita sua lingua, hoc est, efficaci prædicatione commo  
uerit homines auditores ad pœnitentiam. Effectū igitur  
qui sequi solet prædicationem uerbi hic spectat, qui sane  
non leuis est: imò qui est compungere corda auditorū

Commendatur hoc effectū potentia uerbi, quod non  
in uanum prædicatur, sed semper lucrum aliquod facit



Esa. 55. Et quomodo descendit imber, & nix de caelo, et illuc ultra non reuertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen ferenti, & panem comedenti, sic erit uerbum meum, quod egredietur de ore meo: Non reuertetur ad me uacuum, sed faciet quaecunq; uolui, & prosperabitur in his, ad quae misi illud. Sed de uocali & illo audibili uerbo, quod egreditur ex ore praedicatorum, alij sunt propiniores loci de potentia eius: ad Hebr. eos. 4. Viuus enim est sermo Dei & efficax, & penetrantior quouis gladio acuto utrinq; incidente, & pertingens usq; ad diuisionem animae simul ac spiritus compagumq; & medullarum, et discretor cogitationum & intentionu cordis &c. Pertinet huc quoq; bona pars. 10. capituli ad Rom. de potentia uerbi uocalis & audibilis, cui tribuit Paulus ut causae, fidem. Ait enim. Fides ex auditu est: auditus uero per uerbum Dei. His autem auditus: en uerbum ut causam compunctionis cordium.

### Compuncti sunt corde.

Compunctio cordiu effectus est uerbi de poenitentia agentis. Compungi corde contritionis est alterius in poenitentia partis. Compungi corde est ad auditu uerbu uinci in conscientia de peccato, iniquitate, et iniusticia. Et dixerunt ad Petru & reliquos Apo.

Hæc

Hæc fidei sunt uerba alterius in pœnitentia partis, qua Iudæi se rursus erigunt ad gratiam & remissionem peccatorum. Habes hic definitionem pœnitentia ex partibus. Est enim pœnitentia, compungi corde propter peccata, & fide se rursus erigere ad peccatorum remissionem. Cernis etiam hic gradus quosdam conuersionis. Primus est audire uerbum dei arguens peccata: secundus est, compungi corde propter peccata: tertius est, inquirere de ratione remissionis peccatorum, quæ etiam credentes in Christum sequitur.

### Quid faciemus uiri fratres?

Questio de medio perueniendi ad remissionem peccatorum. Verbum faciemus ostendit nos natura sic adfectos esse, ut studeamus operibus mereri gratiã. A deo inheret nobis operum iusticia.

### Petrus autem ait ad illos.

Responsum Petri est de medio perueniendi ad gratiam seu remissionem peccatorum. Et quanquam agere pœnitentiam, & baptizari, sint quedam media et occasiones ad gratiam seu remissionem peccatorum, tamen gratia seu remissio peccatorum, ex opere operato, non confertur propter illa media & occasiones illas. interim hoc uerum nianet, fidem alteram in pœnitentia partem, remissionem peccatorum: ut effectum baptismo an  
nexam

nexum impetrare, sed non nisi imputatiue, ad Rom. 4. hoc est, non propter fidem ex opere operato, tanquam propter opus. Pœnitentiã agite.

Vnum hoc medium & præcipuum est ad gratiam seu remissionem peccatorum. Est autem agere pœnitentiã, dolere de peccatis ex corde, & fide aspirare ad gratiam seu remissionem peccatorum, quæ sequitur nõ ex opere operato, ut supra.

Et baptizetur unusquisq̃.

In signum uos serio pœnitentiã agere, seriõ dolere de peccatis, & credere seriõ gratiæ ad nouitatem uitæ. Alterum hoc medium est ad gratiam & remissionem peccatorum necessarium, non quo impetratur annexa baptismo gratia seu remissio peccatorum ex opere operato, sed in quo fides imputatiue impetrat gratiam seu remissionem peccatorum.

Et Christus hæc duo media coniungit, Marci. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Eadẽ melia quis simplicius sic proponeret. Duo sunt necessaria homini uolenti fieri Christianus. Credere Euangelio ad iusticiã, & simul incipere nouam uitam, cuius signum est baptismus. Rectissime coniungitur pœnitentiã & baptismus, quia baptismus pœnitentiæ signum est. Ad actionem pœnitentiæ, quæ est contritionis, non  
solum

solum spectat immutatio morum, uerum potius interna impietatis, propriae fiducia in opera, sanctimoniae propriae & c. immutatio.

Vel baptizetur unusquisq; & c. id est, credat Euangelio & Christo : ita ut uerba : agite poenitentiam, tantum de contritione altera poenitentiae parte agant : haec uerò : baptizetur unusquisq; & c. de fide ut altera poenitentiae parte quare baptismatis signo, quod est gratiae signum uoluit Petrus complecti fidem, qua impetratur gratia. Sensus igitur est huius loci Duo sunt uobis necessaria. Dolere de peccatis, seu immutare animum cum externae uitae moribus in melius, & credere Christo seu Euangelio. Vnde & Christus dixit, Marci. 1. Resipiscite, & credite Euangelio. Unusquisq; : quisq; pro se opus habet baptismo.

### In nomine Iesu Christi.

Baptizari in nomine Iesu Christi, est baptismatis signo testari se Christo credere ad remissionem peccatorum.

Item baptizari in nomine Christi, est in baptismo per Christum recipi in gratiam. Est enim baptismus pactus seu foedus gratiae, quod inquit inter baptizandum nobiscum Christus. Possunt & uerba (in nomine Christi) intelligi de forma baptismatis, breuitatis gratia à Petro decurtata, et una persona Trinitatis pro reliquis duabus



bus posita. Mat. ultimo hæc forma à Christo præscripta est: baptizantes eos in nomine patris, & filij & spiritus sancti. In remissionem peccatorum.

Effectus partis pœnitentiæ ipsius fidei, remissio peccatorum: item effectus baptismo annexus. Sed hic non contingit, neq; propter fidem ut opus operatum, neq; propter baptismum ut opus, uerum intercedente fide per imputationem, quæ promissionem de remissione peccatorum apprehendit. Euanescit hic sententia Scholasticorum, quæ dicunt sacramenta ex opere operato iustificare, aut conferre remissionem peccatorum etiam sine bono motu utentis, hoc est, sine fide sumentis ea.

**Et accipietis donum spiritus sancti**

Pulchre dictum est, actionem pœnitentiæ & baptismum ad remissionem peccatorum sequi spiritum sanctum.

Sic enim datur spiritus sanctus. Pœnitentia agenda est: Baptismus suscipiendus: Euangelio credendum est fides apprehendit Christum: Christus remittit peccata & simul donat spiritum sanctum. Valde commendatur hic baptismus, quem sequitur spiritus sanctus. Sic Mat. 3. legitur de baptismo Christi, quod ad eum coeli se aperuerint, & spiritus sanctus descenderit. Commendatur & hic fides cum suo effectu, cum remissione peccatorum quæ sequitur spiritus sanctus.

Accipio



Accipietis : per Christum, qui dat ac mittit spiritum sanctum. Accipietis : ex gratia.

Donum spiritus sancti : ipsum ut donum, hoc est, ut confirmatorem, obsecratorem, ductorem in omnem ueritatem, rectorem, &c. & dona eius.

OBIECTIO: Ergo Iudæi non habuerunt spiritum sanctum, quando compuncti sunt corde, quod sanè spiritus sancti donum est?

RESPONSIO. Habuerunt ut illuminatorem, sed nondum ut confirmatorem & obsecratorem, &c.

Vobis enim est promissio.

Aetiologia adhortatoria ad festinandum, ut Iudæi spiritum sanctum accipiant. Aetiologia sic argumento includi potest. Vobis facta est promissio spiritus sancti:

Ergo uos festinate, ut spiritus sancti fiat participes.

Tractari hic debet questio de prerogatiua Iudeorum, qua hic tribuit Petrus Iudæis promissionem spiritus sancti. Apostolus ad Rom. 3. ex prerogatiua tribuit Iudæis oracula dei. Ait enim. Quid igitur habet in quo præcellat Iudæus? aut quæ utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Nam primum quidem illud, quod illis commissa sunt oracula dei. Ad Rom. 9. ex prerogatiua multa tribuit Iudæis Paulus. Ait enim. Quorum est adoptio, & gloria & testamenta, & legis

legis constitutio, & cultus & promissiones, quorū sunt patres, & ij ex quibus est Christus secundum carnem.

Finis autem fuit huius prerogatiuae apud Iudeos hic sequens. Deus dederat promissionē de Christo, quare oportuit esse certum populum, in quo promissio illa custodiretur & aliquando reuelaretur. Est et hic finis omnis cultus dei & omnium ceremoniarum apud Iudeos, quae in hoc datae fuerunt Iudaico populo, ut custodiretur promissio de Christo, &c. Vobis: ualde emphaticōs. Excluduntur enim hic gentes tanquā abiecti & alieni à promissione, ad Ephes. 2. ab alienati à re publica Israël, & extranei à testamenti promissionis spem non habentes, deoq; in mundo carentes. Promissio: scilicet facta. Et filijs uestris.

Vobis & filijs uestris: his complectitur totum Iudaicum populum generatione.

Et omnibus qui à longè sunt.

Id est, à longè aduenerunt, ueluti proselyti, quos per eos qui à longè sunt, intelligit.

Quidam per eos qui à longè sunt, intelligunt Gentes, sed malè, quia Petrus infra 10. Capite, primum percipit, Gentes pertinere ad gratiam.

Quoscunq; accersuerit dominus  
deus noster.

Facit promissionem sine respectu personarum pro Iudaico populo uniuersalem, & quæ prius speciatim dixit, nunc in genere effert. Et est sensus, promissionem ad patres, filios, & profelitos Iudeos simul pertinere, sine personarum respectu.

Quidam hæc uerba ad electionem trahunt, ut sit sensus: omnes electos ad promissionem spectare. Et sic coherent hæc occupatione, ne quia promissio ad omnes Iudeos pertinet, statim credatur omnes fore saluos, sed tantum electos à domino deo. Et reuera promissio, quantum est uniuersalis, tamen electioni non præiudicat.

Dominus uocabulū potentiz est. Deus uocabulum præsidij. Noster: qui promissione se nostrum fecit.

**Alijs etiam uerbis plurimis.**

In sacris libris & illis historicis, tantum magis necessaria scitu, non omnia enarrantur, quæ dicta & facta sunt. Sic & Ioannes ait cap. 20. Multa quidem & alia signa fecit Iesus, &c. Et 21. Sunt multa alia quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipse opinor minus caperet libros. Alijs etiam uerbis plurimis: id est delictis, quæ hic non sunt scripta.

**Testificabatur.**

Docebat et instituebat Iudeos de doctrina. Testis erit Petrus unā cum alijs Apostolis: recte ergo testificabatur de doctrina.

Testificari plus aliquid sonat, quàm testari. Vnde oportet testificari sit, serio & diligenter docere. Com-  
mendatur igitur in Petro diligentia. Præterea, quid si te-  
stificari hic idem sonet, quod germanicè dicimus, *vber  
weyßen oder vberzügen*, ut sit sensus huius uerbi:  
doctrina prorsus euincebat & expugnabat Iudeorum  
conscientias. Et exhortabatur eos.

Ad poenitentiam, ad immutationem tam animorum,  
quàm uitæ morum exteriorum, ad baptismū gratiæ si-  
gnum, ad suscipiendum Euangelium, ad credendū Chris-  
to in remissionem peccatorum. Et exhortari uerbum  
compositum serium studium & magnam diligentiam  
Petri insinuat.

Dicens.

Specia & Lucæ diligentia, qui nunc subdit res ipsas  
ad quæ Petrus exhortatus est Iudeos.

Saluamini à generatione  
ista praua.

Id est, ad hæc exhortatus est Petrus Iudeos, ut sibi  
cauerent à generatione ista praua. Petrus prudentis  
medici officium hic egit, qui postquàm monuit de salu-  
taribus, iubet nunc cauere non salutaria. Sic Chris-  
tus Matthæi 7. postquàm in præcedentibus diligenter  
docuit de salutari doctrina, id est, de præcipuis Chri-  
stianæ doctrine capitibus, subdit postea cautionem

de non salutaribus, & ait: Cauete à pseudoprophetis: &c. Et sanè rectissima est hæc docendi uulgus forma: primum docere eos recta, & postea præmonere de non rectis. Saluamini à generatione ista praua: id est, seruate mini tam à personis seu doctoribus prauis, quàm à praua doctrina. Nam hæc duo ueniunt intelligenda nomine generationis prauæ. Eadem duo cõprehendit Christus Matthæi 7. sub appellatione falsorum prophetarum: in quiens. Cauete à pseudoprophetis, id est, & à falsis doctoribus, & à doctrina falsa.

Saluamini inquit Petrus, & Christus Matthæi 7. Cauete: ergo mandatum dei est cauere à falsis doctoribus, & doctrina falsa. In plurali inquit uterq;: alter cauete, alter saluamini: ergo mandatum de cauendis falsis doctoribus, & de doctrina falsa, uniuersale est pro omnibus: ergo non licet cautionem ad solos Cæsares aut reges, ad solos Pontifices, & Cardinales reijcere: imò ad executionem cautionis quisq; pro se obligatur.

Pravam uocat generationem, quæ contra conscientiam non uult intelligere Euangelium, nec suscipere. Et hoc prauum iudicium rectè dicitur, quod fit contra conscientiam: rectè praua sententia, quæ datur contra conscientiam: rectè doctores prau, qui docent contra conscientiam: rectè praua doctrina, quæ contra conscientiam suscipitur, &c.



Ita et Christus Matthæi 12. Iudeos quærentes signū uidere prauam & adulteram generationem uocat. Pravam propter prædictas in expositione uocis prauas, causas, adulteram, quæ non est contenta simplici uerbo, sed instar adulteræ adfectat alium maritum. Sic doctor adulter est, qui non est simplici ac recto uerbo cōtentus sed querit aliam doctrinam cum qua adulterium committat. Adultera doctrina est, quæ perpetuo studio plurimum falsarum doctrinarum flagrat. Rectissime igitur dicitur. Falsa doctrina non est sola. Item una doctrina falsa, facile parit plures errores. Ista: non caret pro/nomen hoc magna emphasi, ut cognoscatur prauitas et pertinacia falsorum doctorum contra ueritatem.

Qui ergo libenter receperunt  
sermonem eius.

Nemo cogendus est ad suscipiendum Euangelium: ergo oportet etiam post lapsum Adæ sit in nobis uoluntas quædam assentiendi obiectis ex gratia rebus spiritibus. Libenter recipere Euangelium, est de forma suscipiendi uera, quæ in hoc consistit, ut libenter, hilari animo, & non coactè Euangelium recipiamus.

Non sequitur, de recta forma est suscipiendi Euangelii, libenter illud suscipere: item nemo cogendus est ad suscipiendū Euangelium: ergo nō est de officio mai-

gistratus, disciplina quadam subditos ad audiendū Euangeliū prouocare. Imò officium magistratus est, disciplina quadam suos subditos ad audiendum uerbum petere: quanquam interim, uerum maneat, non esse de magistratus officio, posse subditos ad suscipiendum uerbum cogere. Libenter: hilari corde & consentiente, & non coactè. Sed hæc forma suscipiendi uerbum non est in nostris uiribus: unde donū spiritus sancti est, qui efficit in nobis consentientia corda. Receperunt: ex gratia. Recipere Euangelium, est illi credere. Sermonem eius: de poenitentia, & baptismo, de credendo Euangelio.

### Baptizati sunt.

In signum se credere Euangelio uerè & se iam recipi in gratiā, de qua ne dubitent, obfirmantur gratiæ signo, in quo inuit deus cum illis pactum fauoris & reconciliationis. Anabaptistica sunt argumenta.

Qui libenter recipiunt Euangelium, exemplo horū Iudæorum, baptizari debent.

Paruuli non possunt libenter recipere Euangelium:  
Ergo paruuli non sunt baptizandi. Item.

Qui recipit prius Euangelium, baptizari debet.  
Paruuli prius non recipiunt Euangelium:

Ergo paruuli non debent baptizari.

Solutio horum argumentorum facilis est: loquitur enim

Enim hic Lucas de adultis, qui ante baptismum apti esse possunt recipere Euangelium, & hoc libenter recipere.

Alia res est cum paruulis, de quorum aptitudine, multa diximus in nostro Catechismo, et in primo Tomo nostro r̄u locorū cōmuniū: itē in secundo Tomo eorundem.

Et accesserunt in die illa animæ circiter ter mille.

Vides hic foelicem Euangelij prædicati cursum in primitiua ecclesia, quo cursu foelici commendatur nobis potentia Euangelij, qua potens est facile multos conuertere. Alia ratio est cum doctrina legis, quā uix pauci suscipiunt.

Item ostenditur hoc magno numero eorum, qui conuersi fuerunt, quā grata doctrina sit Euangelium pro conscientijs, quam conscientie multæ accipiunt.

E contra doctrina legis ingrata est pro conscientijs igitur non curant eam. Enthymemata.

Ad Euangelij prædicationem conuertuntur circiter ter mille animæ: Ergo Euangelium est grata & dulcis doctrina. Aliud.

Ad Euangelij prædicationem conuertuntur circiter ter mille animæ:

Ergo Euangelium est potens doctrina.

Multi mirantur hodie, qui fiat, quod ita multi receptet

136 ERASMI SARCERII SCHOL-  
renatum Euangelium, maxime tam magnis undiq; im-  
minentibus periculis, quæ iure homines deterrere debe-  
rent. Causa admirationis illius ignorantia est: ignorat  
enim illi admiratores, Euangelium esse potentem et gra-  
tam doctrinam pro conscientijs. In primitiua ecclesia  
accreuit ecclesia: hodie decrescit.

### Brat autem perseverantes.

Hactenus docuit Lucas, quomodo & per quæ me-  
dia collecta fuerit ecclesia: porro docebit in quibus ex-  
ercitijs exercuerit se ecclesia: nimirum in doctrina, cõ-  
municatione, fractione panis, & orationibus: quorum  
exercitiorum hic unus & præcipuus usus est, ut illis ip-  
sis ageret ecclesia gratias Deo, testaretur de accepta iu-  
sticia, exerceret suam fidem, & ne ocio torpesceret red-  
dereturq; securâ. Placet itaq; scire finalem omnium bo-  
norum operum causam, hic discere potes. Hæc ergo fi-  
nalis omnium bonorum operum causa est, ut iustificati-  
iam, illis agant gratias Deo, testentur de accepta iusti-  
cia, exerceant fidem suam, & pellant torporem cum se-  
curitate periculosum. Item placet scire descriptionem  
bonorum operum, hæc ex hoc loco talis colligi potest.  
Bona opera sunt, quibus agunt iustificati gratias deo  
pro accepta iusticia, testantur se iusticiam accepisse ex-  
ercent fidem suam, pelluntq; torporem cum securitate.

Aduersarij



Aduersarij gratuita iusticie longe alios fines tribuunt bonis operibus, sed quàm rectè, colligat ipsi ex præsentis loco, modo habeant rectos recti iudicij oculos. Iustificationis hic certus ordo est ex præsentis loco. Iudæi crediderunt Euangelio: fuerunt baptizati: in baptismo contigit illis remissio peccatorum (ut supra, baptizetur unusquisq; in nomine Christi, in remissionem peccatorum) remissio autem peccatorum, est ipsa iusticia: post hanc grati fuerunt Iudæi bonis operibus, & testati sunt, se iusticiam accepisse &c.

Iusticiarij operum à posteriori sic colligunt ordinem iustificationis contra præsentem ex præsentis loco ordinem. Facienda sunt bona opera, & postea sequetur iusticia. O cœcitas magno iudicio digna? Qui enim opera possunt esse bona, sine fide præcedente causa, sine qua quicquid fit peccatum est, ad Rom. 14? Item qui possunt bona esse sine reconciliatione gratuita prius facta? mala igitur cum sint, propter impias personas, à quibus fiunt, iustificabunt ergo? Quid noui hic est? igitur iusticia dabitur propter mala opera, hoc est, nõ placencia deo? Apagè cum istis nugis nugacissimorum hominum, qui fructibus seu effectibus tribuunt, quod solius cause est: quemadmodum paulo ante in ordine iustificationis ostensum est. Sed ad textum redeo. Similia



exercitia & Apostolus proponit iustificatis Ephesis. cap. 6 inquit Propterea ne sitis imprudentes sed intelligentes, quæ sit uoluntas dñi. Et ne inebriemini uino in quo luxus est sed impleamini spiritu, loquentes uobismetipsis per psalmos, & hymnos, & conciones spirituales, canentes & psallentes in corde uestro domino, gratias agentes semper de omnibus, in nomine domini nostri Iesu Christi, & Deo patri. Erant autem: scilicet iustificati iam, & baptismo in ecclesiam, ut signo iustificationis, recepti. Vocat enim Paulus ad Rom. 4. exemplum circumcisionis, sacramenta signacula iusticiæ fidei.

Perseuerantes: notat hoc participium serium & uehemens studium. Monemur etiam hic de fine iustificationis, qui est bene operari, ad Rom. 6. cuius capitis summa hæc est. Iustificati debent bona opera facere. ad Ephes. 2. Figmentum Dei sumus, conditi ad bona opera

Doctrina, communicatione, fractione panis, & orationibus, ut potioribus operibus bonis, complectitur et reliqua omnia. Et sanè possunt ad prædictas qual tuor uoces, tanquam ad generalia capita, omnia bona opera referri. Ad doctrinã, fractionẽ panis, & orationem, pertinent opera bona prioris tabulæ, cultus Dei tam interioris, quàm exterioris. Ad communicationẽ spectant charitatis in proximum, hoc est, posterioris tabulæ opera.

In doctrina Apostolorum: id est, in doctrina recta ac sana. Obserua doctrinam rectam ac sanam custodire, non esse postremum bonum opus, imò aliorum fons & causa. Apostolorum uoce commendat doctrinam à professoribus. Enthymema. Hæc doctrina Apostolorum est: Ergo hæc doctrina recta atq; sana est.

### Et communicatione.

Secundū generale bonum opus omnium operū charitatis, in quo exercuerunt se iustificati Iudei. Communicationem hic simpliciter intelligo misericordiam & charitatem in proximum, ad quam hortatur Christus, Lucæ. 6. Estote misericordes, sicut pater uester misericors est, qui est in cælis & c. Similes adhortatorij loci, ad misericordiā erga proximū exercendā, passim plures extant in nouo testamento, ut Matthæi. 5. 6 & 7. & c.

Definio itaq; hic cōmunicatiōē, æquabilitatē rerum, qua ex misericordia & charitate inuatur proximus eugens. De hac cōmunicatiōe doctē et piē agit Apostolus 2. ad Cor. 8. ubi sic inquit. Nunc autē et illud, quod facere cœpistis, perficite: ut quēadmodū uoluntas fuit prompta, ita et perficiatis ex eo quod potestis. Etenim si prius adsit animi promptitudo, ea iuxta, quicquid illud est, quod possidet aliquis, accepta est, non iuxta id, quod nō possidet. Non enim ut alijs relaxatio sit, uobis autem angustia:

angustia : sed ut ex æquabilitate in præsentì tempore uestra copia, illorum succurrat inopiæ, & illorum copia uestræ succurrat inopiæ, ut fiat æquabilitas, sicut scriptum est Qui multum habebat, huic nihil superfuit : & qui paulum habebat, is nihilominus habuit. Forma communicationis, quæ esse debeat, docet Christus Matthæi 5. & Lucæ. 6. ab exemplo patris sui. Et Paulus. 2. ad Corinth. 8. & 9. Porrò qui hanc æquabilitatem nõ uult accipere pro communicatione, de qua hic ait Lucas, id propter sequentia & huius & quarti Capitis, & hinc cupit defendere communionem bonorum, ut rem utilem & possibilem in ecclesia, illi sic respondeo paucis. Facile concedo in primitiua ecclesia communionem bonorum omnium : sicut & sonat huius Capitis uerba. Omnes autem qui credebant erant unæ, & habebant omnia communia : fieri enim potuit, & in usu esse illa communitas : quia angusta erat tum ecclesia, & uehementius pro pietate studiũ, quàm uel hodie est uel unquam postea hac erit. Siquidem ad noua plerunq; magis sumus adfecti, quæ ubi inueterascunt aliquantulum, circa ea postea & remissius agimus.

Verum hæc communitas bonorum postea correctæ fuit in ecclesia, et nõ propter leues causas. Prima, quia ecclesia dilatari coepit : quare & diuersitas ingeniorum est

est tum secuta : secunda , quia ex augmento ecclesie ,  
 coeperunt simul irrepere & hypocrite , qui plerunq;  
 sunt auari , & miris adfectibus aestuant ergo priuata et  
 res utiles : tertia , quia propter communionem bonorie  
 non potuit seruari pax & concordia ecclesie , idq; in  
 tanta nature corruptione , ubiq; magis querente priua  
 tam utilitatem , quam proximi commoda . Hæ & simi  
 les cause , correxerunt communionem bonorum , quæ  
 in primitiua ecclesia in usu fuit . Nec ita multa post tem  
 pora , communitio bonorum corrigi coepit : nam aposto  
 lus Paulus in suis epistolis concedit priuatorum pos  
 sessionem . Ad Corinth . 2 . epistola cap . 8 . Non ut alijs re  
 laxatio sit : uobis autem angustia : sed ut ex æquabilita  
 te in presenti tempore uestra copia , illorum succurrat  
 inopia . Ibidem . Facite ut in hac quoq; beneficentia ab  
 undetis : in beneficentia inquit : non in communitioe bo  
 norū . Est uerò beneficentia uirtus , qua cōmunes utilita  
 tes in medium adferimus mutatione officiorum , danda  
 accipiendq; tum artibus , tum opera , tum facultatibus  
 deuincientes hominum inter homines societatem .

Ad Gal . 6 . Operemur bonum cum erga omnes , tum ma  
 xime erga domesticos fidei . Operari bonum iubet :  
 ergo permittit priuata , unde liceat operari bonum .

Ad Ephes . 4 . Magis autem laboret operando ma  
 nibus



nibus, quod bonum est, ut possit impartiri ei, qui opus habuerit. Et his uerbis Apostolus permittit propria priuata. Quæ itaq; bonorum communio, apud Apostolos in usu olim, quia propter grauissimas causas correctâ fuit, à nobis non est cum Anabaptistis reuocanda: uerum ea communione utendum, de qua dixi supra ex apostolo Paulo.

Sed quomodo ecclesia non correxisset communionem bonorum, cum eam correxerit ipsa natura in humana conuersatione? Communio enim rerum de lege naturæ est, & secundum naturam omnia sunt communia. Assi quia natura, quæ semper deprecatur ad optima, uidentur communionem rerum sine disturbance communis pacis & publicæ concordie, subsistere non posse: igitur accessit natura, & legem de communione rerum correxit, quò sic communem pacem & publicam tranquillitatem conseruaret. Sic libertas de lege naturæ est. Omnes namq; à natura nascimur liberi: sed quia natura uidit, & successu temporis experta est, quàm malè ageretur, si tot hominum sæpe milia in bellis occiderentur: quare captiuitatem unâ cum seruitute introduxit, quâ e a ratione deprecaretur ad optima semper.

De communione rerum naturali sic loquitur Cice



ro li . Offi. titulo de iusticia. Sunt autem priuata natura nulla : et addit de correctione nature, qua seipsam circa communionē rerum correxit: sed aut ueteri occupatione, ut qui quondam in uacua uenerunt: aut uictoria, ut qui bello potiti sunt, aut lege, aut partitione, cōditione, sorte. Ex quo fit, ut ager Arpinas, Arpinatium dicatur, Tusculanus Tusculanorum. Similisq; est priuatarum possessionum descriptio. Ex quo, quia suum cuiusq; fit earum, quæ natura fuerunt communia, quod cuiq; obtigit, id quisq; teneat.

## OBIECTIO.

Ergo lex nature de cōmunionē prorsus extincta est, quia est correctā ab ipsa natura?

## RESPONSIO.

Non est prorsus extincta, sed hærent adhuc eius scintille, apud animum, quæ beneficentia tamen exerere se debent. Vnde addit Cicero. Sed quoniam ut præclare scriptum est à Platone, non nobis solum nati sumus, ortusq; nostri partem patria uendicat, partem amici, atq; ut placet Stoicis quæ in terris gignuntur ad usum homini omnia creari: homines autē hominū causa esse generatos, ut ipsi inter se alij alijs prodesse possent. in hac natura ducem sequi debemus, & communes utilita-

tes in medium adferre mutatione officiorum, dando accipiendoq; tum artibus, tum opera, tum facultatibus de uincire hominum inter homines societatem.

Circūfertur et Aristotelis sententia, qua uoluit ostendere impossibilitatem in hominum conuersatione, quantum attinet ad communionem rerum.

Amicorum omnia sunt communia, præter utilia: quod uel sola utilitas, cui omnes dediti sumus, rerum communionem impedit, & in hominum uita impossibilem facit. Et fractione panis.

Tertium generale bonum opus, in quo exercuerunt se iustificati iudei unà cum Apostolis. Hoc uno bono opere intelligit & reliqua, quæ circa sacramenta peraguntur: sic baptizati ipsi, & suos paruulos baptizari permiserunt (Siquidem Augustinus uerè loquatur, qui baptismum paruulorum institutū Apostolorū proclamat) item circa absolutionem studiosi fuerunt, etc.

Per fractionem panis intelligo coenam dominicam, quæ fractio panis dicitur ab unita congregatione, quæ panis nomine significatur. Quemadmodum, enim panis ex multis granis constat, & grana hæc multa in coactum panem concurrunt, ita multa membra sacramento coenæ unum fiunt corpus. Priore ad Corinth. 10. Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communis

catio

catio corporis Christi est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, &c.

Qualis in primitiua ecclesia fractio panis fuerit, cōsule Paraphrases Erasmi illius magni. Item, Panis significatione uenire intelligendam cōiunctionem seu conglutinationem quandam, & gentium scriptores tradiderunt. Et orationibus.

Quartum generale bonum opus, in quo iustificati Iudei unā cum Apostolis se exercuerunt. Ad hoc opus bonum pertinent orationes petitorie pro rebus spiritualibus per se, gratiarum actiones, psalmi, hymni, cantiones spirituales, & huiusmodi alia.

Orationes in postremo loco ponit: quia precedentia omnia oportet oratione in uero usu retinere.

Erat autem omni animæ timor.

Id est, prædicta omnia iustificati Iudei, non in securitate agebant, neq; leuiter tantum, neq; elati in animis, sed in timore ac tremore, eoq; filiali scilicet.

Docemur ne ad gratiam inflemur, aut secure agamus: item, ne in bonis operibus gloriemur aut superbia mus. Apostolus pro magno ducit, se in timore & tremore apud suos uersatum esse. Hic timor cōmunis aliās effectus est, qui in Euangelistis doctrinam & miraculatum Christi, tum Apostolorum secutus est.

Animam posuit pro homine, potiore[m] hominis partem pro toto homine.

Multa quoque prodigia & signa per Apostolos fiebant.

In confirmatione Euangelij, ut noue & mundo tum incognitae doctrinae. Hic enim prodigiorum & signorum quidam praecipuus usus est. Prodigia & signa uocat miracula in genere omnia, quae fecerunt Apostoli. Prodigia maiora: signa leuiora.

Omnes autem qui credebant erant una.

Id est, unanimiter uiuebant. Nam uno in loco propter uarias actiones non potuerunt semper esse. Omnes autem qui credebant: periphrasis ecclesiae Hierosolymitanae. Monasticum argumentum est & ridiculum.

Omnes credentes primitiuae ecclesiae erant una:

Ergo monastica uita est institutum Apostolorum, ante tempore Apostolorum fuit in usu.

Et habebant omnia communia.

Id est, diues suis bonis & diuitijs iuuabat egentem: & quibus carebat pauper ad suam sustentationem, illa de suo subministrabat ex charitate ei diues.

Habebant omnia communia: de facto inter se erant beneficia

benefici, communes utilitates in medium adferebant, mutatione officiorū, dando accipiendoq; tum artibus, tum opera, tum facultatibus.

Habere omnia cōmunia, est uerbis et factis equabilitate rerum uti. Hęc autem rerum equabilitas non tollit priuatorum possessionem, sicut supra demonstratū est. Ioannes matrem Christi in sua recepit: ergo habuit propria: ergo falsum est non licere habere propria.

Sed quid hic multus uerbis opus est circa communio-  
nem rerum, cum Apostolus 2. ad Corinth. cap. 8. & 9. claris uerbis doceat de equabilitate rerum, quę debet esse inter Christianos. Vbi & exponit Apostolus, quid sit habere omnia communia: nimirum sic agere ut nos qui habemus priuata, nostra copia succurramus aliorum inopia.

Stultē ne dicam ridiculē egit Apostolus ad Corinth. qui iussit eos esse beneficos in pauperes, si tum habuerint omnia communia.

Possessiones et substantias uendebant,  
& diuidebant illa omnibus prout  
cuiq; opus erat.

Hęc uerba aliquo modo precedentium expositoria sunt: ut sit sensus precedentium, sic omnia habebant communia, & sic inter se erant benefici, quod



etiam possessiones et substantias uenderent, ut haberent, quò inopiæ ac necessitati pauperum succurrerent. Possessiones & substantias uendebant: scilicet aliquot, quibus ex copia carere poterant non omnes. Alioqui non potest stare doctrina Pauli. Non ut alijs relaxatio sit: uobis autem angustia.

Ridiculum argumentum est. Christiani primitiue ecclesiæ possessiones & substantias uendebant, &c:

Ergo Christianis non licet habere seu retinere propria. Contra hoc argumētum docet Paulus, quando inquit. Non ut alijs relaxatio sit: uobis uerò angustia. Item. Vestra copia, illorum succurrat inopiæ: non ait: uestra necessitas. Possessiones intelligo immobilia: substantias facultates seu mobilia. Vendebant: ex abundantia possessionum & substantiarum.

Et diuidebant illa omnibus: & hoc uerbum diuidebant, ostendit, habere omnia cōmunia, nō esse, nihil proprij habere, sed habere propria, & illa diuidere alijs: Præterea si inter Apostolos & primitiue ecclesiæ credentes, fuissent ita omnia communia, quod non licuisset priuata habere, quisq; de communibus accepisset, & hoc liberum cuiq; fuisset, nec opus habuisset Lucas addere: & diuidebant illa omnibus.

Commendatur hic magna misericordia primitiue ecclesiæ

ecclesie, quam exercuit in proximum, non parcè, sed copiose. Et sine dubio, inter conuersorum circiter ter milium, multi opulentissimi fuerunt simul. Omnibus sine respectu personarum. Et hæc uera forma est distribuendi, de qua loquitur Christus, Matthæi 3. & Lucæ 6. Estote misericordes, sicut pater uester misericors est, qui sinit solem suum exoriri super bonos & malos, super iustos & iniustos.

Prout cuiusq; opus erat.

Prout cuiusq; necessitas postulabat.

Quotidie perseuerantes unanimiter in templo.

Quæ sequuntur expolitione quadam expoliunt præcedentia bona opera in Apostolis & iustificatis Iudæis & addunt prioribus bonis operibus generalibus, specialia: item monent, quomodo assiduo in usu exercuerint bona opera Apostoli cum reliquis conuersis Iudæis.

Disces hic ueram formam commendandi sanctos, quæ est à posteriori, hoc est, à fructibus fidei & iusticiæ.

Præcipua autem commendandi forma petitur à fide & iusticiâ, ut à rebus prioribus & potioribus.

Fines ijdem sunt horum sequentium operum, qui præcedentium, de quibus supra copiosè.

Mentio hic fit bonorum operum: ergo recurrendum

est ad causas illorum, quæ sunt fides & iusticia, sine quibus nulla possunt esse opera bona.

Quotidie: circūstantia temporis commendat constantiam diligentiam, & sedulitatem Apostolorum & conuersorum iudeorum. Eandem sedulitatē & diligentiam cōmendat in ijsdem personis participium perseuerantes. Perseuerare est se sedulo ac constantē in bonis operibus exercere, aut agere diligenter benē. Monet & uerbum perseuerare. Non satis esse cœpisse benē agere nisi & perseueres. Vnanimiter: concordēs animorum consortio, & externa conuersatione. Rectē dixit Apostolus. Charitas uinculum est perfectionis, hoc est, augmenti & fortunæ ecclesiæ. E contra discordia seu odium proximi, uinculum est imperfectionis, id est, ruinae, interitus, & lapsus ecclesiæ. In templo: in aperto loco, non in angulo, in signum apertæ ac ueræ doctrinæ. Ioannis 3. Qui odit lucem, &c. Ostendit & locus qualitatem illius regni, in quo agunt Apostoli unā cum alijs conuersis quod est spirituale: si esset carnale agerent in aula. Enthymemata. Credentes in templo agunt: Ergo credentes non disturbant politias.

Aliud. Euangelium est doctrina templi:  
Ergo Euangelium non spectat ad forum aut politica.  
Et frangentes panem per singulos.

Id est, distribuentes eleemosynas in egentes. Nō enim hic fit cœnæ mentio. Per singulas domos : omnes ex æquo ligamur ad misericordiæ opera in proximum exercenda. Frangentes : scilicet alij : unde sequitur cōmode : sumebant cibum : scilicet alij, ita ut hic locus per distributionem intelligatur. Sensus est totius loci : alij frangebant panem : alij fractū sumebant. De hac fractione panis agit et Esa. cap 58. Frange esurienti panem, &c. Potest & totus hic locus intelligi de hospitalitate et munificentia, qua inter se usi sunt primitiue ecclesiæ credentes, quare sic reddi alijs uerbis potest. Frangentes panē, &c. id est, hospitaliter et munificē inter se uiuebant. Sic hoc mutue hospitalitatis opus, signum fuit unanimitatis & concordie, de qua antea Lucas dixit.

Cum exultatione & simplicitate cordis.

Sequitur forma, ex qua operati fuerunt bona sua opera, Apostoli & reliqui credentes. Et sanè hæc forma rectissima est benè operandi, maxime autem exercendi charitatis opera, & misericordiæ in proximum.

Hortatur ad hanc formā Christus Matthæi 6. Attēdite ne eleemosynam uestram præstetis coram hominibus, quò spectemini ab illis. Ibidem. Itaq; cum præstas eleemosynam, ne tubis canatur ante te, quemadmo-



dum hypocrite faciunt in conciliabulis, & in uicis, ut glorificentur ab hominibus &c. Vide ibi & sequentiâ Simplicitas opponitur ostentationi, & priuata gloria. De exultatione cordis sic loquitur Ecclesiasticus 35. *Hilarem datorem diligit deus.* Apostolus exultationem cordis his uerbis effert: *Vnusquisq; secundum propositum cordis, non ex molestia aut necessitate.* Ibidem 8. cap. 2. ad Corinth. Etenim si prius adsit animi promptitudo ea iuxta quicquid illud est, quod possidet aliquis, accepta est, non iuxta id quod non possidet. Exultatio cordis opponitur molestiæ, tristitiæ, & similibus uitijis repugnantibus exultationi. Cum exultatione & simplicitate cordis: id est, hæc recta est conferendi misericordiæ opera in alios, forma, ut cum gaudio & sine ostentatione ac priuata gloria conferas. Cordis addit, ut scias animum consentire debere. Vox cordis simul excludit & hypocrisim, ex qua quidam exultationem & simplicitatem in conferendis misericordiæ beneficijs fingunt, sine corde consentiente. Totius legis complendæ recta forma ab Apostolo hæc præscribitur, & ad hanc præsentem non inutilis. 1. ad Timoth. 1. *Finis præcepti est charitas ex corde puro, conscientia bona, & fide non simulata.* Collaudantes deum.

Gratias Deo agentes pro accepta per Christum iusticia, et pro alijs à Deo acceptis beneficijs. Collaudare



enim Deum est reuera gratias agere Deo.

Collaudantes : scilicet unaniter omnes, non quod unus  
laudarit Deum, alter uituperarit : quem admodum ho-  
die in corrupta ecclesia accidere solet. Collaudatio  
Dei seu gratiarum actio unicum est opus, quod Deus  
pro omnibus suis beneficijs à nobis requirit, & uoca-  
tur in sacris literis hoc opus, sacrificium laudis: Psal 118.

**Afferte** domino filij Dei. **Afferte** domino filios arietum.

**Afferte** domino gloriam & honorem. **Afferte** domino

gloriam nomini eius &c. Psal. 49. Non accipiam de

domo tua uitulos, neq; de gregibus tuis hircos &c. Im-

mola Deo sacrificium laudis, redde altissimo uota tua

&c. Ad Hebr. eos. 13. Per ipsum igitur offerimus hosti-

am laudis semper Deo, hoc est, fructum labiorum confi-

tentium nomini eius ad Ephes. 5. Loquentes uobismet-

ipsis per psalmos & hymnos, & cantiones spirituales,

canentes & psallentes in corde uestro domino, gratias

agentes semper de omnibus, in nomine domini nostri Je-

su christi, & Deo patri &c.

**Habentes gratiam apud uniuersum  
populum.**

Id est, optimis quibusq; placebant & doctrina &  
conuersatione sua. Siquidem uerè pij nunquam placue-  
runt omnibus. Et rectè dictum est ab Apostolo, Omnes

qui uolunt piè uiuere in Christo, persecutionē patientur  
 Causa persecutionis est pia uita, quæ aduersatur impie  
 uitæ in mundo. Apud uniuersum populum: Synecdoche, pro  
 apud optimos quosq;. Docemur credentium primitiue  
 ecclesiæ exemplo, ut si non omnibus placere possimus,  
 tamen optimis placeamus: quò uerè optimis placeamus,  
 oportet nos sequi et doctrinā sanā, & uiuere uitā  
 honestā: Malè uiuūt, qui cū uolūt esse Christiani, et  
 doctrina sua adultera, et uitæ moribus pessimis, faciunt  
 Euangelium malè audire apud optimos. Habere gratiam  
 est placere, in fauore esse, etc. Dñs autē addebat

Paulus plantat, Apollos rigat, hoc est ministri uerbi  
 prædicatione Euangelij replent aures, & per uerbum  
 aliquo modo commouent auditorum animos: at Deus  
 dat incrementum, adducit ecclesiæ auditores, efficit ut  
 uerè conuertantur auditores uerbi. Donū ergo Dei est  
 uerè conuerti homines, item crescere ecclesiam.

Qui salui fierent. Quasi dicat Lucas, reliqui, quos non  
 addebat Deus etiamsi ipsi se adderēt ecclesiæ tamen nō  
 fiebant salui, neq; perdurabant apud ecclesiam

Deus addit ecclesiæ, qui debent salui fieri: ergo qui se  
 addunt non fiunt salui, quia nō perdurāt apud ecclesiam.

Quotidie. Conuersio hominum non est alligata ad  
 certa tempora: unus enim hodie, alter cras, tertius alio

tempo

Tempore conuertitur . In summa incrementum ecclesie  
non est ad certum tempus alligatum.

## CAPVT III.

**I**N precedenti Capite paucis complexus est Petrus  
summaria Christianae religionis doctrinam, in hoc prin-  
cipaliter consistentem, ut in Christum crucifixum ad re-  
missionem peccatorum & iusticiam ualentem coram Deo,  
credamus : haec doctrina noua & et incognita tum erat  
mundo : quare nunc pulcherrimo ordine subiiciuntur  
miracula, quibus Apostoli nouae & incognitae mundo  
doctrinae, fauore, gratiam, autoritatem, et fidem reconciliant  
Hic namque finalis quidam miraculorum usus est de quo nos  
satis certos facit Ioannes cap. 3. circa factum miraculum  
in Cana, ubi sic scribit. Hoc edidit initium signorum Iesus  
in Cana Galilee, &c. Et Multi crediderunt in nomen  
nomen eius, uidentes signa eius, quae edebat.

Nec mirum est hunc iam dictum esse finalem mira-  
culorum effectum: Quemadmodum enim uerbum incur-  
rit in aures, & tamen est aliqua fidei causa, iuxta illud  
ad Ro. 10. Fides ex auditu est: auditus uero per uerbum  
Dei: ita miracula incurrunt in oculos cum eodem effectus

Fit autem hoc sequens miraculum non temere, sed sine  
dubio singulari Dei consilio, ut ex illo Petrus occasione  
accipiat postea Euangelizandi de rege Christo, & reg-  
no eius. Petrus autem. Cohären

*Cohærentia est ex coniunctione copulatiua.*

**Et Ioannes.** *Quanquam historie sacre scripturæ uideantur fortuite, tamen reuera non sunt, sed singulari Dei consilio & dispositione accidunt.*

**Ascendebant.** *Quia templum in monte erat.*  
**In templum.** *Loci circumstantia declarant Apostoli, cuius regis aulici sunt: nimirum Christi spiritualis.*

### Ad horam orationis nonam

*Circumstantia temporis certam reddit historiam.*

*Finalis ascensus causa fortassis fuit, ut & ipsi cum alijs orarent. Quid uerò orauerint, ne hoc quidem profunda indagatione opus habet: siquidem ipsi testes resurrectionis Christi, & prædicatores Euangelij, extradubium, orarunt pro felici Euangelij successu, pro incremento ecclesiæ, & pro huiusmodi rebus alijs ad propagationem regni Christi pertinentibus. Ad horam orationis nonam: circa horam tertiam postmeridianam, iuxta nostra horologia. Hac hora adhuc hodie conueniunt Iudei orandi causa, quanquam sæpe & in alijs atque alijs locis serius orent alijs.*

### Et quidam uir qui erat claudus.

*Exaggeratur in infirmo necessitas, ut potentia uerbis qua restitutus fuit infirmus, postea magis inclarescat.*  
**Claudus:** *en expressam necessitatē in persona infirma.*

Ex



**Ex utero matris suæ.** Exaggeratio necessitatis à diuturnitate Baiulabatur.

Exemplum charitatis est in baiulatoribus Et uerbum baiulabatur facit ad exaggerationem necessitatis.

**Quem ponebant.** Ex charitate alij. Et uerbum ponebant, exaggerat necessitatem. Quotidie.

Circumstantia temporibus confirmat historiã, & simul officiositatẽ charitatis in positoribus, commendat.

**Ad portam templi.** Et loci circumstantia facit ad certitudinẽ historiæ. Quæ dicitur Speciosa. A pulchritudine ædificij sic dicta.

**Vt peteret eleemosynam**

Contra locum in Deuteronomio. Non sit mendicus inter uos. Nec mirum fuit tum hanc legem non seruari, cum ne aliæ quidẽ maiores seruarentur. Ceterũ quãtum fuerint Iudæi à charitatis operibus alieni, passim apertũ est in prophetis. Esa. 1. Ne offeratis ultra sacrificiũ &c. Querite iudiciũ, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduã &c. Esa. 58. Nunquid, hoc est ieiuniũ, quod elegi, per diẽ adfligere hominem animam suam &c. Nonne hoc magis est ieiuniũ, quod elegi &c. Frange esurienti panẽ tuũ, egenos uagosq; duc in domũ tuam. Is cum uidisset. Simplicissima narratio rei gestæ. Rogabat. Nostri mendici sepe conuicijs



uicijs extorquent eleemosynas, sæpe brachij secularis potentia. Quid de mendicitate sentiendum sit, satis ostendi in secundo Tomo nostrorum Locorum communium, in loco de paupertate Evangelica.

Intuens autē eum Petrus cum Ioanne

Intuitus hic gestus est in Apostolis animi ad misericordiam propensi. Docemur ut uel gestibus simus misericordes si non licet factis esse. Dixit.

Hoc dicere effectus est animi ad misericordiā propēsi  
**Respice in nos.** Hoc respicere effectus est fidei in Apostolis, ex qua certò statuerūt de restitutione claudi, diuina potentia perficienda **Respice in nos** : id est confide te aliquid à nobis accepturum. **In nos** : Lucas à Petro Ioannem non auellit, ut discamus, quod nos fratrum pudere non debeat.

**At ille intendebat.**

Hæc intentio effectus spei est in claudio, quia ut sequitur, sperat se ab Apostolis aliquid accepturum.

**Petrus autem dixit.**

Sciens se obligari mandato dei ad misericordie opera

**Argentum & aurum non est mihi.**

Id est, apud me nunc neq; argentum, neq; aurum habeo. Nō sequitur hinc : argentum & aurum non est mihi : ergo domi argentum & aurum non habeo. Neq;

peccatum

peccatum est habere argentum & aurum: quæ res nobilissima & optima Dei creaturæ sunt.

Anabaptistæ ex hoc loco negant prædicatores debere propria habere, & sic alios Christianos in genere omnes: sed quàm hæc opinio falsa sit, supra in. 2. Cap. circa locum de communicatione rerum, locis scripturæ qui concedunt propria, ostendi. Præterea ridiculum est à particulari persona Petri sic argumentari. Petrus nõ habuit argentum: Ergo nulli prædicatores aut Christiani argentum habere debent. Item Petrus sine dubio ædes habuit, fortassis & liberos, de uxore nullum est dubium, quia socrum habuit, Marci. 1. facile ergo potuit domi habere & argentum unà cum auro: nam huiusmodi rebus sustentantur ædes, aluntur liberi, & nutriuntur coniuges. Siquidem rerum gerendarum, (ut ille inquit) nervus est pecunia. Sed de his rebus copiosius agam in libello quodam, de signis ueræ ac falsæ doctrine: item de signis uerorum ac falsorum prædicatorum uerorum christianorum & falsorum.

Quod autem habeo hoc tibi do,

Scilicet apud me ex commissione Dei. Alludit ad potestatem sibi & alijs Apostolis concessam, Matthæi. 10. Et Marci. 16.

In nomine Iesu Christi Nazareni.

Queritur

Quæritur de formali medio, quo usi sunt Apostoli in sanandis infirmis, & in ædendis miraculis: eã ergo hic uides. In nomine Iesu Christi, &c. Christus uerbo ut formali medio usus est, sicut legitur Matth. 8. Et eiecit spiritus uerbo, omnesq; male habentes sanauit. In nomine: in uirtute. Nihil tribuit Petrus suis uiribus. Virtus Iesu Christi sanat infirmos: Ergo sine uirtute Iesu Christi non sanamur, quicumq; sumus infirmi. Nazareni: in Nazareth nutriti. Iesus nomen nature & effectus in Christo est. Siquidem salus est natura, & alios saluos facit. Christus officij nomen propriè est. Dicitur enim Christus à regendo & interpellando, quæ sunt regis & sacerdotis officia. Surge & ambula. In integrum sanat, qui per nomen Iesu Christi Nazareni sanat. Surgere namq; & ambulare, integræ sanitatis signa sunt. Surge & ambula: imperandi uerba non ad Apostolorum uires, sed ad nomen Iesu Christi Nazareni respicientia.

Et apprehensa manu eius dextera  
alleuauit eum.

Quamquam nomen Iesu Christi Nazareni satis firmum sit medium, quo potuit claudus accipere sanitatẽ, tamen humana media non negligit Petrus, ut ea ipsa nobis cõmendet, quò sciamus, ne eiusmodi media negligã

mus. Est quoq; charitatis exemplum in Petro, qui ita diligenter assumit se fratris infirmi.

Et protinus. Circumstantia temporis commendat nobis potentiam nominis Christi, ut mediij & cause, quam secuta est sanitas claudi.

Corroboratæ sunt plantæ eius & tali.

Corroboratio hæc effectus est, non uirium Petri, sed nominis Christi, &c. Corroboratæ sunt plantæ eius & tali: periphrasis restitutionis claudi integræ.

Et exiliens stetit & ambulabat.

Quicumq; in nomine Christi sanantur, in integrum sanantur, ut exilientes stent & ambulent. Exilire, stare, & ambulare, circumloquuntur integram sanitatem.

Et intrauit cum illis in templum ambulans & exiliens.

Spectant & hæc ad ostensionem sanitatis integræ.

Finis est tam diligentis descriptionis de sanitate integra, quã claudus accepit, ut sciamus nos nomine Iesu Christi, non frustillatim, aut ex parte sanari, sed integrè & in uniuersum, quæ etiam omnia eò tendunt, ut nobis innotescat potentia nominis Iesu Christi Nazareni.

Et laudans Deum.

Pertinent hæc ad gratiarum actiones, quibus porro  
 1 laborat,



laborat fides se gratum ostendere deo pro acceptis beneficijs. Est enim gratiarum actio fidei opus, quæ nō potest esse ingrata. iuxta illud Davidis: Credidi, propter quod locutus sum. Ad Rom. 10. Corde creditur ad iusticiam: ore autem fit confessio ad salutem.

Et uidit omnis populus eū ambulātem & laudantem deum.

Exaggeratio seu potius confirmatio integræ sanitatis à testibus. Enthymema. Omnis populus uidit eum ambulātem & laudantem deum: Ergo in integrum sanatus fuit claudus. Vidit: tanquā sanum & in integrum restitutum.

Agnoscebant autem illum.

Rectè præcedit agnitio personæ, ut sit causa sequentis stuporis & admirationis. Enthymema. Agnouerunt illum: Ergo causam stuporis & admirationis habuerunt.

Quod ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat.

Signanter hæc addit Lucas, ut causam stuporis & admirationis sequentis.

Et impleti sunt stupore & extasi.

Stupor & extasis (quam simpliciter intelligo admirationem, idq; non temerè, sed quia aliàs in nouo testamento cōcurrere solent stupor & admiratio) cōmunes



et uulgares sunt effectus, qui sequuntur ferè omnes con-  
uersiones de doctrina, et omnia miracula.

Vsus est horum effectuum, ut commendent nobis po-  
tentiam nominis seu uerbi Christi ut medij quo sanantur  
homines, quod potens est stuporem et admirationem  
efficere in hominibus, etsi etiam non alia efficiat.

Item ostendunt hi effectus nobis, quis miraculorum  
quidam usus sit, quorum tamen, non est contemnenda  
potentia, quia ad ea sequitur stupor et admiratio in ho-  
minibus. *ὄρα ἐκστάσεως*, in Græco est, quæ amplius  
aliquid sonat, quàm simplicem admirationem, fortassis  
uehementem admirationem sonat.

**In eo quod contigerat illi.**

Stuporem et admirationem ferè omnino tribuit,  
miraculo.

**Cum teneret autem Petrum &  
Ioannem claudus.**

Id est, arctius se coniungeret Petro et Ioanni. Arctæ  
hec cõiunctio signum gratitudinis est in claudo, unde co-  
gnoscit acceptum beneficium.

**Qui sanatus fuerat.**

Sanitatē libenter repetit Lucas, ut ob oculos ponat et  
inculcet causam sanitatis, nomen Christi. **CUCURRIT.**

Sub ea spe, quod Petrus et Ioānes restituerint claudū,

et tantum in eum collocarint beneficium.

Enthymema explicans adfectus et cogitatus populi  
Claudus uersatur circa Petrum et Ioannem :

Ergo claudi medici sunt Petrus et Ioannes. Argu-  
mentum à signis est. Cucurrit : cursus hic effectus  
est stuporis et admirationis in populo.

Omnis populus.

Synecdoche, pro illis, qui stupebant et admirabantur.

Ad porticum.

Certam reddit historiam à circumstantia loci. Idem facit et loci appellatione.

Stupentes. Stupor effectus et comes miraculi. Hi populi eorum typum gerunt, qui ministris uerbi tribuunt, quod solius uerbi est : item qui tribuunt seruis, quod solius domini est : item qui haerent in personis, neglecto uerbo, cuius ministri sunt personae. Nam hi populi causam miraculi aut restitutionis in claudio, non uerbo, non Christo, nec nomini eius uendicant, uerum Apostolis. Docemur hic quam res, facilis sit adherere personis, et obliuisci uerbi et Christi, cui seruiunt personae. Adherere personis in ipsa primitiua ecclesia statim accidit : quid ergo mirum est, et nos in personis haesisse, qui in nouissima tempora incidimus ?

Quid sit haerere in personis, explicant epistole duae

ad Corinthios, quas ferè in hoc scripsit Apostolus, ut Corinthios à tam periculosa opinione retraheret.

Videns autem Petrus.

Cognoscens populū hærere in sua & Ioannis persona, & tribuere uiribus humanis, quod erat nominis Christi. Respondit ad populum.

Exemplum extenuationis & humiliationis in Petro est, qui non agnoscit gloriam, quæ nomini Christi debetur. Docet Petrus suo exemplo, ne gloria Euangelij inflemur, aut ea nobis adscribamus, quæ solius Christi seu uerbi sunt: imò dicamus cum Dauide: Non nobis domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Rectè amouet Petrus à se alienam gloriam: quia testis tantum Christi est, non res ipsa, de qua debet testari.

Ad populum: gloriam miraculi non Christo, sed Apostolis tribuentem.

Viri Israëlitæ.

Concio Petri in duabus partibus potissimū cōsistit: priore confutat errorem populi: posteriore eleuat gloriam Christi & urget fidem in Christum.

In priorem partem tantum incidit confutatio de causis miraculi. In posteriorem, finalis facti miraculi causa, eleuatio gloriæ Christi, accusatio iudæorum de Christo innocenter occiso, causæ facti miraculi, causa occisi Christi à iudæis, finales passionis Christi causæ, adhor-

tatio ad pœnitentiam, promissio remissionis peccatorum  
pro pœnitentibus, approbatio Christi ex prophetis, &  
prærogatiua Iudæorum. Viri Israëlita: captatio  
bèneuolentiæ à dignitate nominis.

Philanthropiæ exemplum in Petro est, qui populum  
grauiter errantem, non obiurgat grauius, sed amice:  
nimirum in hoc ut lucretur eos Christo. Discite hinc ra-  
tionem tractandi infirmas conscientias: alia uerò ratio  
est cum pertinacibus & effrenis conscientijs. Est quoque  
aperti animi exemplum in Petro, qui ad errores popu-  
li non conuiuet, nec agit hypocritam. Hypocrite  
autem sunt, qui conuiuent ad errores populi, nunc pro-  
pter has, nunc propter illas, nescio quas causas.

Quid miramini in hoc, quasi nostra  
uirtute aut pietate fecerimus,  
ambulare hunc?

Verba aperta sunt, que ostendunt populū tribuisse  
miraculum uel restitutionem claudi uirilis Petri & Ioa-  
annis. Enthymema. Petrus & Ioannes circa se habu-  
erunt olim claudum: Ergo Petrus & Ioannes restituere-  
runt eum. Petrus contrarium docebit postea, ubi posi-  
ponet ueras causas. Quasi nostra uirtute aut pietas-  
te: error est in causis miraculi seu sanitatis claudi.

Enthymema. Apostolorum uirtus & pietas non  
fecit



fecerunt miraculum: Ergo nec nostra uirtus aut pietas illum facit. Aliud. Virtus & pietas in pijs nõ efficiunt miracula: Ergo multò minus res leuiores in pijs. Fecerimus hũc ambulare: causi simus sanitatis clau

Deus Abraham, & deus Isaac (di.  
& deus Iacob, &c.

Pergit nunc à longè Petrus ad causam facti miraculi, quæ est fides in Christum Iesum, ex qua statuit Petrus cum Ioanne, secuturam claudi sanitatem, & secuta est.

Pertinent huc loci de potentia & efficacia fidei.

Matthæi 17. Amen dico uobis, si habeatis granum synapis, dicetis monti huic: demigra hinc illuc, & demigra bit, neq; quicquàm impossibile erit uobis. Marci 11. Amen dico uobis, quod quicumq; dixerit monti huic: tolle laris & mittaris in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit fore quæ dixerit, erit ei, quicquid dixerit. Marci 16. Porrò eos qui crediderint, hæc subsequenter signa. Per nomen meum dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si quid letale biberint, nõ nocebit eis. Super ægrotos manus imponent & benè habebunt.

Porrò ut nunc fidei sunt omnia posibilia, ita incredulitati omnia sunt impossibilia. Matthæi. 17.



dicunt discipuli ad Christum Quare nos non potuimus  
eijcere dæmonium? Respondet Christus. Proptor incre-  
dulitatem uestram. Progreßus Petri ad ostendendam  
causam miraculi, sic se habet. Deus Abraham, & Deus  
Isaac, & Deus Iacob, Deus patrum nostrorum hoc mi-  
raculo glorificauit filium suum Iesum: hunc uos occi-  
distis, quem postea resuscitauit à mortuis Deus pater:  
in hoc, ut qui credat nomini eius, is sua fide, non solum  
sibi, sed & alijs impetrat sanitatem. Accõmodationem  
omittit Petrus, quæ sic adijci debet: nos credidimus  
Christo, & claudus ipse credidit in Christum, quem  
hoc miraculo glorificauit Deus pater, quare & sua &  
fide nostra in Christum impetrauimus sanitatem.

Habes in his presentibus Petri uerbis, summã quan-  
dam Christiane doctrine, quæ consistit in hoc, ut scia-  
mus Deum patrem, à mortuis resuscitasse, ut qui nomi-  
ni eius credat, ad sanitatem & iusticiam pertingat.

Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, &  
Deus patrum nostrorum: id est, Deus, qui fecit Abra-  
hæ, Isaac, Iacob, & patribus nostris promissionem de  
Christo Messia. Item his uocibus: deus Abraham &c.,  
commendat Petrus Deum uerum ac rectum. Enthyme-  
ma. Hic Deus Abraham est &c:

Ergo Deus uerus ac rectus est. **Aliud.**

Iesum

Iesum glorificauit Deus Abrahamā &c. : Ergo Iesus  
 Messias uerus est. Vt rectè extollit causam, qui effectū  
 commendare uult : ita rectè eleuat Petrus autoritatem  
 patris, qui uult commendare filium.

**Glorificauit filium suum Iesum**

Scilicet hoc iam factō miraculo in restitutione clau-  
 di. Glorificauit : id est, celebrem reddidit.

Habes hic finalem causam facti miraculi in restitu-  
 tione claudi, quæ fuit, ut inde celebris redderetur Chri-  
 stus. Est præterea glorificatio Christi communis omni-  
 um miraculorum finalis causa, quæ in hoc facta sunt,  
 quò per illa Christus glorificaretur, & gloria eius pro-  
 pageretur. Spectant huc uoces illæ, quæ plerumq; ad  
 miracula sequuntur : & innotuit fama eius per omnem  
 regionem &c. **Filium suum** : naturalem & cum  
 patre æqualem. **Enthymema.**

Christus filij Dei patris naturalis est :

Ergo Christus uerus Deus cum patre Deo est. Iesum  
 signanter ponit hanc appellationem, ut ostendat Chri-  
 stum esse mesiam & uerum saluatorem. Iesus nomen  
 nature & officij in Christo est. Nature, quia ipse natu-  
 ra salus : officij, quia alios saluos facit.

**Quem uos quidem tradi-  
 distis.**

Quamquam Petrus instituerit agere de causis facti miraculi, tamen obiter admiscet accusationem Iudæorum De tradito & occiso Christo, nec temere, sed ut uictos de peccato, ad gratiam confugere faciat.

Docet Petrus suo docendi ordine, ut prædicatores in conuertendis hominibus; primum diligenter illis inculcent peccata, & ad peccatorum cognitionem abducant eos, quæ primus atq; præcipuus ad gratiam est gradus. Quem: magna inest in hoc pronomine emphasis, qua uidetur Petrus exaggerare peccatum in Iudæis. Exemplum apertæ obiurgationis in Petro est, qui apertum peccatum non dissimulat. Tradere leuius quiddam est: negare maius peccatum, interficere maximum. Tribus his in genere complectitur Petrus omnes iniurias, quibus Iudæi adfecerunt Christum.

Et negastis coram Pilato.

Cum non haberetis ullam iustam negandi causam.

Enthymema. Iudex iudicauit Iesum innocentem esse.

Ergo & uos iudicare debuistis. Aliud.

Iudex iudicauit Iesum dimittendum esse:

Ergo & uos accusatores iudicare debuistis.

Exaggerat Petrus peccatum Iudæorum, ut facilius eos poenitere faciat. Est enim exaggeratio peccati non leuis causa facilioris poenitentiae: sicut extenuatio peccati

cati causa est poenitentiae tardioris.

**Dimittendum esse.**

Vt innocentem. Innocentia coram civili iudicio sufficiens causa est absolutionis ac dimissionis: at in Evangelij negotijs nullo modo sufficiens est, exemplo Christi innocenter damnati, & aliorum sanctorum.

**Vos autem sanctum & iustum, negastis.**

Id est, innocentem omnino. Sancti & iusti uocabula periphrasticis circuloquuntur summam innocentiae Christi. Vos scilicet multo crudeliores Pilato homine gentili. Omnia pertinent ad exaggerationem peccati in Iudaeis. Sanctum & iustum: coram Deo & hominibus. Sunt aliae haec appellationes in Christo & naturae & officij

**Et petistis uirum homicidam donari uobis.**

Hominem extremè malum. Vide quàm inique comparatum sit cum Evangelij professoribus innocentibus, quibus exemplo Christi, etiam extremè mali praeferuntur. In summa monemur hic, mundum non posse quiescere, nisi donec prorsus auferat ueritatem, et eius professores. Virum homicidam: exaggerat & his Petrus peccatum in Iudaeis.

**Autorem uerò uitae interfecistis.**

Similiter

Similiter & his Petrus peccatum in Iudæis exaggerat. Enthymemata. Vos Iudæi petistis homicidam

Ergo grauissime peccastis. Ratio petitur ab inhosto. Aliud.. Vos Iudæi autorem uitæ interfecistis: Ergo grauissime peccastis.

Pertinent huc loci in prophetis, qui docent peccata populi non esse dissimulanda. Et Christus dixit. Sit sermo uester sale conditus.

Cernis hic paucis in uerbis, quis sit Christus: nimirum autor uitæ: Euangelium: ergo est doctrina præbens ad uitam occasionem. Enthymema. Christus est autor uitæ: Ergo extra Christum non est uita.

Vitam ponit Petrus ut præcipuum effectum Christi & pro alijs omnibus: sic Christus autor iusticiæ est, autor remissionis peccatorum, autor salutis & c.

Similis est huic locus. 1. ad Cor. 1. Ex eodem autem uos estis, in Christo Iesu, qui factus fuit nobis sapientia à Deo, iusticiæq; & sanctificatio & redemptio & c.

Habes hic Concilium super omnia Concilia, in quo proclamatur Christus autor uitæ. Ad hoc Conciliū conuolunt omnium conciliorum decreta de operum iusticia coram Deo. Enthymemata. Christus est autor uitæ.

Ergo non opera. Aliud.

Christus est autor uitæ: Ergo opera non iustificant.

Vale



Valet argumentū ex cognatis. Iusticia enim & uita  
res sunt cognatæ. Potest & hinc probari Christum  
esse Deum, idq; in hunc modum. Enthymema. Christi  
auctor uitæ est: Ergo Christus Deus est.

Nam autorem uitæ esse solius Dei est.

### Quem deus suscitauit à mortuis.

Occupatione succedit hic locus de exsuscitatione Christi, q. d. Petrus, etsi Christum interfecistis, tamen non mansit in morte: imò exsuscitatus est à mortuis, et factus est omnium suorum hostium potentissimus dominus.

Facit & hic Petrus mentionem resurrectionis Christi ut cōmodius perueniat ad causas facti miraculi. Siquidem accepta occasione ex resurrectione Christi, incipit Petrus distinguere inter se testem resurrectionis, & inter Christum qui resurrexit, & causa est facti miraculi quod fides in eum tantum impetrauit. Quem Deus suscitauit: resurrectio Christi opus est potentia patris sicut & Apostolus docet, ad Rom. 6. Et ad Ephes. 1. Suscitauit: oppressum tyrannide diaboli, peccati & c. A mortuis: oppressum morte, diabolo, peccato & c. Potentes fuerunt hostes, quibus oppressus fuit Christus: quare & potenti liberatore opus habuit, uidelicet Deo patre. Enthymemata. Christū Deus pater exsuscitauit. Ergo Christus potentibus hostibus fuit oppressus.

Aliud.

**Aliud.** Christus à mortuis fuit exuscitatus: Ergo  
Christus à morte oppressus fuit, & sic etiam cognatis  
morti hostibus, diabolo, peccato &c.

**Cuius nos testes sumus.**

Necessarium fuit Petrum hic distinguere inter testes  
& res seu personas, de quibus testantur testes. Apostoli  
qui fuerint, & quales prædicatores, hic uides: scilicet  
testes resurrectionis Christi, et sic ex rebus cognatis om-  
nium rerum Christi, & quæ ad regnum eius spectant.

**Et per fidem nominis eius.**

Id est, per fidem in Euangelium & resurrectionem  
Christi. Nomen enim Christi uocat ea omnia, quæ de  
Christo dici possunt, quales res sunt: Euangelium in ge-  
nere, postea & res aliæ ad Euangelium pertinentes, resur-  
rectio &c. Causam miraculi Petrus facit fidem in no-  
mē Christi. A cognatis & fides causa est omnium aliarum  
commodatum, quas accipimus in regno Christi. Sic fides  
impetrat iusticiam, impetrat, sanitatem, impetrat remissionem  
peccatorum, impetrat uitam, impetrat in summa omnium  
rerum exauditionem à Deo. Fictitium ergo est, nos ius-  
tificari operibus: fictitium est, sanari nos ex opere ope-  
rato: fictitium est, remissionem peccatorum contingere  
propter opera: fictitium est, uitam effectum esse operum  
fictitium est, exaudiri nos propter opus operatum ora-  
tionis. Enthymema.

Fides impetrat miracula : Ergo fides & omnes res alias impetrat. In summa, uerum hic fit dictum Christi. Credenti nihil est impossibile. Matth. ei. 17. et Marci 11. Valde commendatur hic fides à suis effectibus, efficacia, & potentia. Per fidem : certam fiduciam.

Nominis eius : nomen Christi obiectū est fidei, quod fides ad salutem apprehendit. Nomen uel Euangelium, uel promissio est de Christo. Et sensus est huius loci simplex. Credenti Euangelio, promissioni, & Christo, omnia esse possibilis. Item, fidem impetrare omnia.

**Hunc quem uos uidetis & nostis**

Periphrasis restituti claudi, quæ facit ad cōmendationem miraculi. Confirmauit nomen eius.

Id est, omnes promissiones de se factas, tanquā de saluatore atq; seruatore, hoc miraculo restituti claudi comprobauit. Habes hic usum quendam omnium miraculorum, quæ fide in Christum seu nomen Christi peracta fuerunt, quorum usus fuit, ut inde confirmarentur promissiones de Christo seruatore, comprobaretur doctrina Christi, & persona Christi ea esse cognosceretur, qualem proponunt promissiones : in summa, ut homines, de persona doctrina, & officijs Christi confirmarentur. Confirmauit nomen eius : *ehr hat synem namen vnd geschrey an dem lamem bewest.*

## Et fides quæ per eum est.

Expolitione clarius ostendit fidẽ facti miraculi causam esse. Quæ per eum est : in Christũ aut nomen eius.

Dedit integram sanitatem istam.

Id est, est causa sanitatis in claudo restituto.

Enthymema pro instituto Petri. Fides in Christum causa est sanitatis in claudo : Ergo ego & Ioannes, uirtus & pietas nostra, non sunt causæ. Integram deus non frustillatim sanat, sed integrè. In cõspectu omnium uestrum : id est, uobis præsentibus omnibus.

Accommodatio huc referenda est, quam posui supra circa initium cõcionis Petri, quæ clarè ostendit, quomodo claudus ad sanitatem peruenerit. Fuit autem talis. Nos credidimus in nomen Christi, & ipse claudus credidit : quare nostra et sua fide sanitatẽ impetrauimus.

## Et nunc fratres scio

Sequitur consolatio pro Iudæis, ne in peccatis suis, quæ perpetrarunt contra Christum, quem innocenter prodiderunt et interfecerunt, desperent : imò agant penitentiam, & conuertantur ad Christum, ut sic & ipsi per fidem in eum, sanitatem assequantur.

Necessarium fuit addere hanc præsentem consolationem, postquàm sic exaggerauerat antea Petrus peccatum Iudæorum. Annectitur uerò hæc consolatio præcedens



precedentibus quasi per occupationem. Poterant enim sic obijcere Iudæis. Nos grauiter peccauimus contra Christum innocentem: Ergo nunc nobis desperandum est? Respondet Petrus obiectioni per consolationem, quam deducit à mitigatione causæ peccati contra Christum peracti, quæ fuit ignorantia.

Docemur hic quæ sit ratio conuertendi peccatores primum oportet eos ducere ad cognitionem peccati, & hoc ipsum exaggerare: postea rursus subijcere consolationem, ne homines in peccatis desperent. Item docemur, ne nimia exaggeratione peccatorum faciamus homines desperare, sed ut ita peccata exaggeremus, quod tamen simul consolemur. Et nunc fratres scio: insinuat se Petrus Iudæis, quò facilius persuadeat. Scio: multorum confessione expertus

### Quod per ignorantiam fecistis.

Sicut uos soletis excusare peccatum uestrum: erga Christum occisum. Petrus ex concessione quadam facit causam, quæ tamē aut nulla est, aut admodum parua coram Deo. Siquidem coram illo non excusat ignorantia Ciuilis sententia est, et aliquo modo, non tamen semper uera. Ignorantiæ excusat peccatum Christus Ioannis 16: ignorantiam causam facit persecutionis piorum, qua eos persequuntur impij: interim tamen non excu-



fat impios peccati propter ignorantiam. Quare sentien-  
dum est, ignorantiam præfendisse Iudæos, ut causam oc-  
cisi Christi, nec tamen eam Iudæos excusasse peccati.

Sed quia Petrus ignorantie tribuit peccatum Iudæo-  
rum in occidendo Christo: igitur discendum est, in con-  
uertendis infirmis pacificè & mansuetè agendum esse,  
multa condonanda esse. Sic & Apostolus Paulus agit  
cum infirmis, ad Rom. 10. Testimonium enim illis per-  
hibeo, quod studium dei habent, sed nõ secundum scienti-  
am, &c. Multa hic produci possunt de ignora-  
ntia, cur ea nõ sit sufficiens coram deo: cur deus nõ ab-  
stulerit ignorantiam à Iudæis: qui potuerit apud Iu-  
dæos ignorantia esse, cum prius dixerit Petrus in 2. ca-  
pite, Christum à deo patre commonstratum in omnibus  
uirtutibus, prodigijs, & signis, quæ fecit deus per illum  
in medio Iudæorum, sicut & ipsi sciunt, &c.

Fecistis: in genere omnes.

Et principes uestri: & ignorantiam causam facit  
pro principibus, ut tamen & illos gratiæ participes faciat  
contra Anabaptistas.

Petrus suis uerbis hoc sibi uult.

Peccastis ex ignorantia: Ergo potestis participes  
fieri gratiæ: ergo possunt uobis remitti peccata.

Locus est concessio.

Deus autem ea quæ præ-  
nunciavit.

Consolaturus Petrus bene facit ignorantiam causam peccati. Sic idem consolaturus bene facit, quia passionē Christi dicit accidisse, ut compleretur scriptura.

Finalis ergo causa passionis Christi fuit ut impleretur scriptura. Similes causæ passionis Christi extant apud Euangelistas in descriptione passionis Christi. Matth. ei 26. Hoc autem totum factum est, ut complerentur scripturæ prophetarum. Matth. ei 27. Postquam autem diuiserunt uestimenta mea, &c. ut impleretur quod dictū est per prophetam, &c. Petrus non tam facit ignorantiam causam occisi Christi à Iudeis, quàm ipsa prophetarū uaticinia, quæ quia impleri oportuit, ideo passus est Christus. Enthymema. Christum passurum prænunciauerunt prophete: Ergo Christus non est temere passus. Oportuit itaq; pati Christum, non necessitate absoluta, sed quia sic à deo prædictum fuit per prophetas. Deus: ergo & prophete habuerunt spiritum sanctum ante natum Christum, & ex instinctu spiritus sancti prophetarunt.

Per os.

Vocali & audibili uerbo.

Omnium suorum prophetarum

Vsum hic cernis ueteris testamenti, qui est testari de nouo. Suorum excludit falsos prophetas, qui prophetarunt à Deo non uocati.

### Passurum esse Christum.

In genere complectitur omnes iniurias, quibus Christus per totam passionem adfectus fuit

Sic impleuit. Hac ratione, qua perijt Christus à uobis. Pœniteat uos igitur.

Mitigatis causis occisi Christi, præscribit nunc Petrus formam, qua licet ad expiationem peccati in necesse Christi commisi peruenire. Enthymemata.

Petrus adhortatur Iudæos ad pœnitentiam :

Ergo Petrus præcedente concessione de causis occisi Christi, non liberauit Iudæos à peccato cædis.

Aliud. Petrus occisoribus Christi non negat gratiam : Ergo & alijs lapsis non est neganda gratia.

Petrus duo requirit à Iudæis occisoribus Christi. Alterum, ut doleant de peccatis, id quod contritionis est : alterum, ut conuertantur, id est, erigant se fide ad remissionem peccatorum. Quid ergo pœnitentia est ?

Est dolere de peccatis, & fide rursum se erigere ad gratiam. Definitio ex partibus est. Sunt enim due pœnitentiæ partes. Contritio, & fides.

Pœniteat uos : totam pro parte positum est : id est, doleatis

doleatis de peccato. Et conuertimini.

Scilicet fide ad Christum.

Vt deleantur peccata uestra.

Effectus fidei alterius partis in pœnitentia est remissio peccatorum. Sequitur autem fidem, non ex opere operato, sed per imputationem, ad Rom. 4. Falsum est remissionem peccatorum sequi propter pœnitentiam ex opere operato. Peccata uestra: ergo ignorantia nō excusauit Iudeos de peccato.

Deleantur: quantum ad culpam & pœnam. Mentuntur Monachi, qui nugantur culpam non pœnam dimitti ad fidem, sed hanc satisfactionē expiandam esse.

Gradus hic disce ad iustificationem. Pœnitendum est de peccatis: fide nos erigere ad gratiam debemus: fidem sequitur remissio peccatorum seu iusticia.

Vt. Scilicet salui sitis: oratio enim est imperfecta. Adhortatio ad pœnitentiam à commodis.

Comoda sunt: ut salui sitis, quæ aliàs sic effert Paulus 1. ad Corinth. 1. ut inculpatus sitis. Similes adhortationes passim extant & in prophetarum, & in Apostolorum scriptis, ut 1. ad Corinth. 1. Priore ad Thessal. cap. 3. & alibi.

Cum uenerint tempora.

Comminatio sequitur à pœnis in eos, qui non agent,

m s pœnitentiam



pœnitentiam, nec conuertentur, ut accipiant remissionem peccatorum. Et comminationes similes, nullibi non occurrunt in Prophetiis & Apostolicis scriptis.

Recta uia est conuertendi peccatores, inuitare eos præmijs seu commodis, & uicissim non pœnitentes comminationibus terrere. Tempora refrigerij: periphraſis nouissimi diei, seu extremi iudicij.

Tempora refrigerij uocat, quia tum à facie ad faciem manifestabitur refrigerium, requies, gaudium, & uita piorum æterna. Placet hinc scire, quid sit æterna uita ea sic describi potest. Vita æterna est refrigerium in cōspectu domini. Refrigerium autem dicitur uita æterna, quia refrigerat fessos & lassos: sicut dicitur merces quia recompensat labores & miseras, quas habuerunt aliquando pij in hac uita. Et huc faciunt uerba Apocalipseos 21. Et abstersurus est deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Et mors ultra nō erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra, quia prima abierunt. Esa. 25. Et auferet dominus omnem lachrymam ab omni facie, &c.

### A conspectu domini.

In conspectu domini, aut coram conspectu domini.

Et miserit eum.

Altero suo aduentu. Alter Christi aduentus dei patris

tris

tris opus est. **Qui ante prædicatus est uobis.**

Et per prophetas, & per nos Apostolos.

**Quem oportebat cœlo suscipi.**

Occupatione amouet cogitationes de abitione Christi in cœlum, idq; à necessario. Enthymema. Oportuit Christum suscipi cœlo: Ergo Christus necessario abiit.

Oportebat: ut auspicaretur suum regnũ, quod hic in terris manendo, non potuisset incipere, quia regnum Christi non erat pro mundo regnum.

Similis ferè est necessitas, Ioannis 16. Expedit uobis ut ego uadam. Si enim non abiero, consolator ille non ueniet ad uos, &c. Suscipi cœlo: ut ibi æquali potentia regnaret cum patre deo.

**Donec restituantur omnia.**

Id quod fiet in nouissimo die, teste Apostolo. 1. ad Corinth. 15. Omnia: quæ scripta sunt de regno Christi.

**Quæ locutus est deus per os sanctorum suorum à seculo prophetarum.**

Nihil perire aut intercidere oportet, quod extat in prophetis de regno Christi: itè quicquid in regno Christi contingit, aut unquam contigit, non temerè aut fit aut unquam factum est.

Locutus est deus per os: usus est deus prophetis, tam

tanquam organis: & ut prophetis est usus, sic adhuc hodie utitur prædicatoribus. Enthymema

Per prophetarum ora locutus est Deus.

Ergo prophetae non sunt contemnendi.

Per os: uocali & audibili uerbo.

Sanctorum suorum: quos ipse sanctificauit.

A seculo: per primum & nouissimum prophetam  
æque locutus est Deus.

Moses enim ad patres dixit.

Confirmat Petrus testimonio Moysis, quæ antea dixit scilicet agentes pœnitentiam & credentes in Christum bene habituros: è contra non agentes pœnitentiã nec credentes in Christum, male habituros. Moses enim ætiologia ab autoritate scripture, quam rectè allegat Petrus, ne uideatur aliquid è suo cerebro dicere.

Habes & hic usum ueteris testamenti, qui est testari de Christo. Quod prophetam

Promissio de Christo Propheta non est nomen nature in Christo, sed officij, cuius respectu uocatur Christus propheta. Suscitabit.

Ergo Christus non semper fuit propheta. Vobis.

Christus Iudæis promissus est. Notat igitur uobis, prerogatiuã Iudæorũ. Dominus deus uester

Domini uoce utitur hic Moses: quia suscitatio Christi,  
sti, di

sti diuine potentie opus fuit: dominus autem potentie uocabulum est. Dei appellatione alludit Moses ad presidium, quo opus habuit Iudaicus populus. Deus enim presidij nomen est. *Vester*: notat Iudeorum prerogatiua.

De fratribus uestris.

Christus ex Iudeis natus est. Ex semine Abraham, ex semine Dauidis, &c. **Tanquam me.**

Respectu mediationis. Quemadmodum enim Moses mediator fuit inter Deum & populum Israeliticum: ita Christus debuit esse mediator inter Deum patrem & homines peccatores. **Hunc audite.**

Mandatum Dei patris est audire Christum, suscipere Euangelium, credere in Christum &c. Simile extat mandatum & in nouo testamento, Matthæi. 27. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. **Ipsam audite.** *Hunc*: emphaticus: ergo non alium

*Audite*: per metaphoram deflectionis, pro obedite, aut credite. **Iuxta omnia quaecumque locutus fuerit uobis.**

Christi persona non in una tantum parte, sed totus suscipiendus est: et ut nunc persona, ita et doctrina Christi. Sunt qui Christum suscipiunt pro saluatore ab originali peccato: pro saluatore ab actuali & proprio non suscipiunt. Sunt qui Christum suscipiunt pro saluatore



à culpa : sed non pro saluatore à pœna. Sic etiam quidã  
cum doctrina Christi ludunt. Quæcunq; sine respectu  
aut delectu doctrinæ : ut siue loquatur consentientia  
cum ratione, siue non consentientia.

Erit autem omnis anima.

Comminatio in eos, qui non audierint Christum. Et  
est hæc comminatio omnium grauißima in hac terra,  
in signum longè omnium grauißimæ pœnæ post hanc  
nitam. Omnis anima : omnis homo.

Quæ non audierit prophetam.  
illum.

In Christum nõ crediderit, nec eum pro saluatore su-  
sceperit. Exterminabitur de populo.

Excommunicabitur, aut potius opprimetur morte.

Et omnes prophetæ.

Addit Petrus maioris confirmationis gratia testi-  
monio Moses, & reliquorum Prophetarum uaticinia  
de Christo, & de tempore Euangelij. Enthymema.

Omnes Prophete annunciauerunt dies istos : Ergo  
non temerè adsunt præsentibus. A Samuël.

Sicut à Mose ut primo et insigniori propheta cœpit  
Petrus, ita à Samuële ut insigniori nunc incipit. Per  
Mosen autem & Samuëlem, ut insigniores prophetas  
nonnul intelligit reliquos omnes.

Annunciæ

## Anuunciauēerunt dies istos.

Tempus Euangelij seu gratiæ. Nota prophetas suis naticinijs in unum idemq; finem intendisse: hoc est, ut prophetarent de Euangelij gratia, & de Christo saluatore. Hinc uides quid sint Prophetæ: nimirum annuunciatōres Euangelij seu Christi. Finalem quoq; usum hic spectā ueteris testamenti, qui est testari de Christo seu tempore Euangelij.

## Vos estis filij prophetarum &amp; testamenti.

Ahortatio ad suscipiendum Christum seu Euangelium à prerogatiua Iudæorum. Enthymemata. Vestra est prerogatiua promissionis: Ergo uos participes promissionis facere debetis. **Alia.** Vos estis filij prophetarum: Ergo uos merito suscipitis Christum, & facitis uos participes promissionum prophetarum.

**Aliud.** Ad uos pertinet testamentum cum patribus iustum: Ergo uos illius facere debetis participes.

Argumenta hæc omnia ex cognatis sunt. De hæc prerogatiua Iudæorum Apostolus egit, ad Ro. 3. & 9. cap. ad Ephes. 2. Et Christus in Ioanne, ubi dicit. Salus ex Iudæis est. Estis: singulari gratia, ex uocatione.

Filij prophetarum: quantum etiam ad carnem attinet: deinde filij prophetarum estis, quia uobis prophetæ

phetæ seu patres prophetarunt de Christo. Et testamen-  
ti: id est, promissionis, fœderis, pacti, &c. Ad Rom. 9.  
Quorū est adoptio, gloria, testamēta, promissiones, etc.

Quod disposuit deus ad  
patres uestros.

Deus pactum iniit cum patribus, non patres cū deo.

Falsa ergo est Anabaptistarum opinio, qua sentiunt  
in baptismo nos cum deo inire pacta, non Deum nobis-  
cum. Hanc enim produunt Anabaptistæ opinionem, ut  
ostendant infantes non esse aptos ad ineundum pactum  
cum Deo, ideo nec baptizari debere. Enthymema.

Pactum deus disposuit cum patribus: Ergo pactū  
ex gratia est non ex merito: ergo pactum à præuenien-  
te deo est, &c. Disposuit: alludit hoc uerbo ad or-  
dinem pacti, quod deus nō nudē iniit cum patribus, nec  
nudē patribus dedit, sed ornatum certis legibus & cere-  
monijs, promissionibus certis, &c.

Deus: commendatio pacti à causa efficiente. Ad  
patres uestros: non ad alios populos: ecce prærogati-  
uam Iudeorum. Dicens ad Abraham.

Prima promissio Adæ facta est, secunda Abrahæ, des-  
inde sensim ac sensim & ad reliquos patres transcendit  
& illis innotuit. Nominat autem Abraham tantum,  
quippe cui omnium apertissima & constantissima com-  
tigit

tigit promissio, dicens: Genesis cap. 21. & 22.

Et in semine tuo benedicentur  
omnes familiæ terræ.

Semen Christus est. Ad Gal. 3. Porro Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit, & seminibus, tanquàm de multis, sed tanquàm de uno: et in semine tuo qui est Christus. Locus est promissio. Benedicentur: iustificabuntur. Ad Gal. 3. Prævidens autem scriptura, quod ex fide iustificet gentes deus, prius rem letam nunciauit Abrahæ Benedicentur inquit, inter omnes gentes. itaq; qui ex fide sunt, benedicuntur cum fidei Abraham, &c. Petrus allegatione huius loci ex Genesi. potius respicit ad simplicem promissionem Iudæis ad uerbum factam, ut prærogatiuam Iudeorum stabiliat, quàm ad promissionis effectus est pro gentibus uniuersales. Omnes familiæ terræ: promissio de Christo uniuersalis est pro omnibus hominibus. Et Apostolus ad Rom. 4. Abrahamum patrem uniuersalem omnium facit: inquit. Idcirco ex fide datur hereditas, ut secundum gratiam, ut firma sit promissio uniuerso semini, non ei quod est ex lege tantum, uerumetiam ei quod est ex fide Abrahæ, qui est pater omnium nostrum. Sicut scriptum est: Patrem multarum gentium constitui te, &c.

Vobis



Vobis primum deus suscitans  
filium Iesum.

Urget prerogatiuam Iudeorum à prima missione, qua Christus eis missus fuit. Enthymema. Vobis primò missus est Christus: Ergo uos merito suscipitis eum.

Petrus prerogatiuam carnis tribuit Iudæis, nō prerogatiuam coram Deo, ante quem prerogatiua nulla est, sicut egregie docet Apostolus, ad Rom. 1. et. 3. cap. ubi Iudæos & gentes æquales coram Deo facit. ad Gal. 3. Non est Iudæus, neq; Græcus: non est seruus, neq; liber: non est masculus nec foemina. Omnes enim uos unus estis in Christo Iesu: Et alibi dicit In Christo nec circumcisio, nec præputium ualet. Priore ad Corinth. 7. Circumcisio, nihil est, & præputium nihil est.

Primum: respectu natiuitatis, & earum rerum, quæ circa natiuitatem Christi contigerunt: & postea respectu conuersationis Christi manifestæ inter Iudæos: item respectu prædicationis &c. Suscitans: repetit uerbum promissionis: Deute. 18. Prophetam suscitauit &c. Secundo Regum. 7. Suscitabo semen tuum post te &c. Filium: naturalem Iesum qui est salus & saluator Misit. Ex gratia. Eum dicentem uobis.

Prima Euangelij prædicatione manifesta facta est Iudæis. Ioannis. 4. Quia salus ex Iudæis est. Et exorsus est

est Christus suam prædicationē in Galilea, Matthæi. 4.  
 Ut conuertat se unusquisq; à ne-  
 quitia sua.

Sic enim cœpit Christus prædicare, Matthæi. 4. Respiscite : instat enim regnum cœlorū. Marci. 1. Impletum est tempus, instatq; regnum Dei, respiscite, & credite Euangelio. Conuertat: doleat de peccatis et ab illis desistat: postea & erigat se fide ad remissionem peccatorum, hæc enim omnia ueniunt intelligenda sub uerbo conuertat: nam conuertere tantum à peccatis non efficit remissionem peccatorum ex se, nisi accedat & fides altera pœnitentiæ pars. Unusquisq;: ut gratia uniuersalis est: ita & occasiones ad gratiam sunt uniuersales.

A nequitia sua in: Græco est, ἀπὸ τῶν πονηρῶν ἔργων πορνεία autem non est simplex peccatum seu malum, sed potius interna malitia seu prauitas, quare conuerti à nequitia, est hic propriè ab animi impietate desistere, tanquam à causa omnium aliorum peccatorū teste Apostolo, ad Ro. 1. Et Christo, Matthæi. 15. Nequitia igitur hic propriè sonat impietatem animi, fiducia in propria opera aut merita, sanctimoniam propriam &c. postea etiam externos malæ uitæ mores.

## CAPVT IIII.

**H**VC usq; descripsit Lucas insignes conciones Petri de Christo & regno eius, quibus inuitauit Iudæos ad poenitentiam, tanquàm ad certum gradum quo peruenitur ad Christum & ad regnum eius: describit porrò Lucas, quomodo iusticiarum operum precipui hostes Christi & regni eius, cum Christum unum cum suo regno, tum prædicatores eius exceperint & traxerint. Verum hic fit dictum. Crux fidelissimus est Euangelij comes. Item aliud Confessionem Euangelij sequitur persecutio. Et reuera hæc est fortuna Euangelij, ut hoc ipsum adferat mundo bona, & uicissim à mundo recipiat mala. Causam crucis ut comitis Euangelij, si scire cupias, hæc est. Euangelium annunciat gratuitam in Christo iusticiam: hæc mundanæ iusticiæ contraria est, nec intelligit eam mundus: igitur ad persequendum Euangelium accingitur. Altera est remotior causa priuatum commodum, quod timent hypocrite ad Euangelij prædicationem inuicidere.

Eadem sunt causæ persecutionis confessorum Euangelij. Tertiam quandam causam adiicit Christus ignorantiam, Ioannis. & dum ait: Et hæc omnia facient uobis, quia non nouerunt patrem meum, neq; me

Quarta, hæc esse causa potest, quia Euangelium detegit

tegit mundo impietatem suam, & aperit illi iram Dei propter impietatem Ad Ro. 1. Palam fit enim ira Dei de caelo, aduersus omnem impietatem, & iniusticiã hominũ, qui ueritatem in iniusticia detinent &c. Ioannis 16. Et cum uenerit ille, arguet mundum (scilicet per Euangelium) de peccato, de iusticia, & de iudicio &c.

**Loquentibus autem illis.**

Cohærentia est ex copulatiua particula. Loquentibus illis: scilicet de rebus, quæ extant in præcedenti Capite. Pulchrum quiddam est, in ipsa uerbi confessione statim superuenire crucem. Superuenerunt.

Notat hoc uerbum, ne ipsi imponamus nobis crucẽ aut ne simus de cruce solliciti, modo confiteamur Euangelium, et statim superueniet crux. Esset hic etiã paucis agendũ de materia crucis, quæ debet esse confessio uerbi: unde hæc uoces Christi de materia crucis: propter me: propter nomen meum, Matthæi. 5. & 10. Ioannis Priore Petri. 4. Ne quis uestrum adffigatur, ut fur, homicida &c. Superuenerunt: non absoluta necessitate sed quia Euangelium prædicari audiuerunt.

**Sacerdotes, & magistratus templi,  
et Sadducæi.**

Præcipui hostes Christi sunt & gratuite iusticiæ: sacerdotes, qui religionis & pietatis curam in speciem habent



habent: magistratus templi, qui templorum curam & fucate religionis patronos agunt: & Sadducæi qui humana sapientia præditi sunt, & omnia agunt ex iudicio rationis, qua edocti & strenuè adferunt iusticiam operum, & pro uiribus defendunt. Fuerunt enim Sadducæi homines Philosophi, qui ex argumentis rationis & humane sapientiæ, negarunt mortuorum resurrectionem. Matthæi 22. cap. Sadducæi non uulgariter ex rationis iudicio argumentantur coram Christo, contra resurrectionem mortuorum.

Hæc tria hostium Christi & gratiæ iusticiæ genera, adhuc hodie & Christo, & gratiæ per Christum iusticiæ negotium facessunt.

### Molestè ferentes.

Propter supra dictas causas, quæ sunt molestiæ & persecutionis in impijs occasiones. Nam persecutio molestiæ in impijs effectus est.

Molestè: signanter & cum notatione quadam hæc uoce utitur Lucas. Siquidem Euangelij prædicatio de gratuita in Christo iusticia, reuera acutus gladius est in animis omnium iusticiariorum. Finales molestiæ causæ esse possunt præcipuæ: priuata utilitas, & ne doctrina operum periculum patiatur unà cum operum iusticia. **Quod docebant populum.**

Causa

Causa est molestiæ, doctrina cuius & pars est resurrexio Christi.

Diligenter hic nota generalem & precipuam molestiæ in hostibus ueritatis causam, quæ est doctrina Euangelij: & quæ nunc molestiæ causa est in illis, ea quoque in iisdem causa est persecutionis contra Euangelium et eius confessores. Enthymema à causa ad effectum.

Apostoli docent: Ergo molestè ferunt sacerdotes, &c. Docebant populum: doctrina Euangelij diuersa est à doctrina operum.

Et annunciabant in Iesu resurrectionem ex mortuis.

Docebant populum: in genere hæc dixit de doctrina: & annunciabant, &c. hæc species seu pars quædam est doctrinæ, quam docebant Apostoli populū, et quam ferre non poterant sacerdotes, &c.

Non temerè nolunt sacerdotes annunciari resurrectionem Christi, quia hæc confirmatio erat doctrinæ Christi: unde sic certò colligere potuit populus. Christus resurrexit: Ergo Christus uerè Messias fuit: certa ac uera est doctrina eius: uerè fuit filius dei, &c. In Iesu ut qui ipse resurrexisset, & alijs suæ resurrectionis causa esset. Hanc doctrinā peculiariè molestè tulerūt Sadducæi, qui negabant omnino resurrectionem mortuorū,

et ligabant omnia ad presentem uitam. Et nostri iusticiarij operum, nullum articulum æquè moleste ferunt quàm illum, qui est de uictoria Christi, quam Christo non purè, sed operibus tribuunt.

Et iniecerunt in eos manus.

Habes hic effectum molestiæ in sacerdotibus, magistratibus templi, et Sadducæis, qui est iniicere manus in confessores ueritatis. Enthymema.

Iusticiarij operum hodiè moleste ferunt prædicationem gratuitæ iusticiæ: Ergo iusticiarij operum, modo poterunt, iniicient ministris ueritatis manus.

Porro quia iusticiarij operum hypocritæ sunt: igitur non est mirum, eos prorumpere tandem in tyrannidem. Est enim hypocriseos certissimus effectus, tyrannidem. Exemplo Iudæ, qui osculando prodidit Christum, Herodis, Laban, &c. Apostolus ministrum ecclesiæ doctum esse uult in uerbo, ut queat uincere contradicentes iusticiarij autem operum, nõ uerbo agunt, neq; uincunt sed uerberibus et armis.

Et posuerunt in custodiam usq; in crastinum.

Alius effectus molestiæ in hostibus ueritatis. Hi effectus et similes gradus sunt, et occasiones ad cædem.

In custodiam: quia hypocriseos et impietatis committunt.

mes est timor. Esa. 31. Cōterriti sunt in Zion peccatores,  
 & timor possedit hypocritas.

Erat autem iam uespera

Causa à circumstantia temporis, cur posuerint A-  
 postolos in custodiam usq; in crastinum.

Multi autem eorum, qui audierant  
 uerbum, crediderunt.

Tyrannis occasio est ueritatis non suppressio. Et Cæ-  
 sar ille dixit, è sanguine occisorum Christianorum, nati  
 Christianos. Sed mirabilis res est, & tyrannidem oc-  
 casionem esse ad ueritatem, in illis, qui conuerti debent:  
 in alijs fortassis, qui non debent conuerti, occasio est ty-  
 rannis, ut negligent suscipere ueritatem.

Magnæ fidei & constantiæ exemplū est in his mul-  
 tis, qui in carceratione Apostolorum non offenduntur,  
 sed tamen credunt. Recte ergo est de officio fidei, non  
 confundere, hoc est, nō permittere perire in tentatione.  
 ad Romanos. 10. Omnis qui fedit illi, non pudefiet, id  
 est, non peribit. Multi: ergo non omnes credunt E-  
 uangelio. Qui audierant uerbum: en causam fidei au-  
 dibile uerbum. Ad Rom. 10. Fides ex auditu est: audi-  
 tus uerò per uerbum dei. Ibidem. Quomodo autem cre-  
 dent absq; predicante? Esa. 53. Domine quis credidit  
 sermonibus nostris? Ibidem Paulus ad Rom. 10. uerbū



fidei uocat, ab effectu, qui est fides. Verbum prædicta de Christo. Nota non omne uerbū esse causam fidei, sed tantum uerbum de Christo. Enthymema. Hi uerbum audierant: Ergo crediderunt Anabaptistæ qui subri-

dent uocale et audibile uerbū, facile uincuntur hoc loco. Crediderunt: fides effectus est uocalis & audibilis uerbi. Crediderunt: id est, certa fiducia statuerunt Christum esse uerum deum, Messiam & saluatorem.

Ceterum quanquam fides effectus sit uocalis uerbi, tamen non nudi uocalis uerbi, sed uerbi, per quod operatur spiritus sanctus fidem in cordibus hominum audientium uerbum.

Et factus est numerus uirorum circiter quinq; milia.

Numerus credentū cōmendat nobis potentiā uerbi, quod potens est multos conuertere & facere credere. Verbum legis ē contra impotens est, quod paucos conuertit. Item insinuat numerus credentium qualitatem doctrinæ Euangelij, quæ est grata pro conscientijs.

Enthymema. Euangelio quinq; milia credunt:

Ergo Euangelium grata est pro conscientijs doctrina.

Virorum: ut scias mulieres & pueros unā cum adolescentibus non esse numeratos. Circiter: *auff vnd ab.* Factum est autem.

Impij non sunt contenti, donec uideant iustorum sanguinem: quem ergo ut uideant, pergunt nunc principes, seniores, & scribæ, coram se sistere Apostolos, quò eos successiue perdant unà cum uerbo quod prædicant. Nam hic est etiam omnis amicæ conuersationis hypocritarum finis. Hi principes, seniores, & scribæ, eorum typum gerunt, qui ex suis iudicijs, opinionibus, consuetudinibus, & traditionibus, iustificant uerbum, nec uolunt à uerbo iustificari. Verum hic fit uerbum Christi. Et sapientia iustificata est è filijs hominum.

Apostoli eorum exemplaria sunt, qui propter confessionem uerbi iustificantur, nõ per uerbum, sed per iudicia humana & traditiones hominum.

Postridie: circumstantia temporis ostendit, quod nõ temerè coram se statuerint principes ipsos Apostolos, sed ex deliberatione quadã. Aliàs uel altera die statuisent eos coram se.

#### Ut congregarentur.

Quinquàm aliàs in uarijs sectis mundus perpetuo dissideat, tamen in uno Christo, & super unicam ueritatem facile congregatur. Enthymema.

Impij omnes congregantur: Ergo una impiorum uoluntate struuntur ueritati insidiæ.

#### Principes eorum.

Distributione quosdam aduersarios Apostolorū primum colligit Lucas: postea in genere omnes per hos dictos in distributione complectitur. Qui sint aduersarij pietatis ueræ præcipui, hic uides. Vfus est enumerationis horum aduersariorum ueritatis, ut scias ueritatē non infimos habere hostes, sed autoritate, dignitate, & potentia maximos. Hi aduersarij in mundo perpetui sunt, quando & ubi adest ueritas. Nec id mirum, quia magni in mundo homines, non possunt non uilitate humilis uerbi, & personarum prædicantium illud contemptu offendi. At hoc mirum est, humile uerbum unā cum contemptis suis confessoribus, ubiq; triumphare. Principes hic uocat Lucas, quos supra magistratus templi uocauit: seniores, quos sacerdotes: scribas, quos Sadducæos. Notabis ergo copiam Lucæ. Vel principum seniorum, & scribarum nominibus, intelligit Lucas in genere de sacerdotibus omnes, uti et sequetur: & quotquot erant de genere sacerdotali. Et Amos princeps sacerdotum: ergo congregati fuerunt maximi & potentissimi quiq;. Nomina faciunt ad certitudinem historiæ.

Et quotquot erant de genere sacerdotali.

Aequale contra ueritatem est odium omnibus, quæ speciem religionis habent.

De genere sacerdotali: de stirpe uel officio sacerdotali vñon vñwfferlichem stam ader amut.

Hæc de hostibus ueritatis igitur ita diligenter ob oculos posuit Lucas, ut exaggerata hostium potentia, postea magis illucesceret potentia ueritatis, quæ potuit tam potentes hostes uincere: item ut ostensa hostium potentia, consolaretur pios contra eam, tanquam imbecillam & inuolidam. Spectat huc dictum in libris Esdræ. Forte uinum, fortis rex, fortis mulier, sed omnium fortissima ueritas. Sic fortes principes, fortes seniores, & fortes scribæ, sed omnium fortissima ueritas.

Et statuentes eos in medio.

Ne quid de responsis quicquã eos subterfugere posset: aut ut illis timorem incuterent. Tentant enim omnia impij, ut triumphant contra ueritatem. Vel: in medio: id est, coram. Interrogabant.

Non ut discerent, sed ut perderent ueritatem unã cum eius confessoribus. In qua uirtute aut quo nomine fecistis has res

Quæstio est de uocatione, & potestate: nimirum quis eos uocauerit ad prædicationem, unde suam doctrinam, & officium suum habeant, cuius potestate & iussu prædicent & infirmos sanent &. Accusare ergo nituntur Apostolos propriæ ingestionis, priuatæ doctrine, & officij priuati.



In qua uirtute : querunt de potestate. Aut quo nomi-  
 ne querunt de uocatione. Fecistis hoc : quod docetis  
 populum, infirmos sanatis. Vos : scilicet homines uiles  
 & contempti, obserua fastum in principibus &c. Fas-  
 tus hic comes perpetuus est iusticiæ operum, quæ ubi  
 est, ibi fastus deesse non potest. *Matthæi. 9.* Ecce hic cū  
 peccatoribus sumit cibum &c. *Luca. 7.* Hic si prophe-  
 ta esset, sciret utiq; quæ esset hæc mulier. Verba hæc  
 (in qua uirtute) & estimationis et terroris magni sunt  
 unde meritò concuti debuissent Apostoli, nisi in cordi-  
 bus diligenter uolutassent consolationes Christi. *Mat-  
 thæi. 10.* At cum tradiderint uos ne sitis solliciti, quomo-  
 do aut quid loquamini : dabitur enim uobis in illa ho-  
 ra, quid loquamini. Non enim estis uos illi loquentes,  
 sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. *Ibidem.*  
 Ne metuatis uobis ab his, qui occidunt corpus, &c.

**Tunc Petrus repletus spiritu sancto.**

Petrus respondet cordatè, sed non ex se, sed quia re-  
 pletus spiritu sancto : non igitur est humanarum uirtū  
 aut cordatè respondere posse hostibus ueritatis, aut in  
 cruce subsistere posse. Promissio spiritus sancti est locus  
 paulo ante citatus ex *Matthæo*, quam hic præstat Chri-  
 stus in Petro. Exemplum fidei & constantiæ est in Pe-  
 tro qui minis, estimatione, dignitate, & autoritate pos-

tentiam

tentum illorum aduersariorum, neq; offenditur, neq; terretur. In Petro hic uerum factum est, quod loquitur Dauid, Psal. 119. Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum, nec confundebar, magna res est, non terri magnorum hominum autoritate: sed maior res est, illorum hominum autoritate & estimatione non offendi, ut resiliat à ueritate. Sic enim plerunq; argumentantur conscientie. Hanc doctrinam sequuntur magni homines: Ergo doctrina hæc certa ac recta est.

**E CONTRA.** Hanc doctrinam sequuntur homines contempti: Ergo hæc doctrina incerta est & falsa.

Sic argumentari est doctrinam è circumstantijs atq; adeò ex ipso euentu aestimare, non doctrinam ex seipsa.

Fidei itaq; est in Petro magnorum hominum autoritate non offendi. Constantie est non terri.

Tunc: facta interrogatione. Statim respondent pii interrogati de ueritate, nec sunt solliciti, quomodo aut quid loquantur: iuxta illud, Matthæi. 10. At cum traderint uos, ne sitis solliciti &c.

Repletus spiritu sancto: qui loqueretur pro illo iuxta illud: Non enim uos estis illi loquentes, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Vel repletus spiritu sancto: id est, dona fertitudinis, constantie &c.

Dixit ad eos.

Hoc

Hoc dicere effectus est repletionis à spiritus sancto  
in Petro factæ.

### Principes populi & seniores Israël.

Captat benevolentiam Petrus, uel insinuat se à digni-  
tate personarum. Monet Petrus suo exemplo, ut mun-  
do suos titulos & dignitates relinquant, nec cū Ana-  
baptistis studium magnum propter titulos mundi, po-  
namus releui.

### Siquidem nobiscum hodie expostulatur.

Quamquam extra dubium est, principes sua interro-  
gatione interrogasse etiam de supra dictis rebus, tamen  
ex sponso Petri certi sumus, interrogationē de restitutio-  
ne claudi præcipue factam esse.

Vel, Petrus tantum intellexit interrogationem de res-  
titutione claudi: uel neglectus alijs, ad hoc tantum res-  
ponderere uoluit, ut haberet apertiores uiam ex hoc suo  
responso cōmendandi Christum ut uerum Messiam &  
saluatorē. Petrus suo responso à longè titillat princi-  
pes, seniores, & scribas, tanquam alienissimos à charita-  
te. Et sanè omnes operum iusticiarij, unico hoc uitio ex-  
tremè laborant, quod sint à charitate alienissimi. Vnde  
& adhortatoriæ ille sententiæ apud prophetas, quibus  
inuitant Iudæos, maxime autem iusticiarios illos ad cha-  
ritatem

ritatem. Esa. 1. Esa. 58. Osee 6. Misericordiam uolo, nō sacrificiū, Matthæi 5. et 7. magno studio hortatur Christus Phariseos ad charitatem. Certum est enthymema.

Hi iusticiarij operum sunt: Ergo alieni sunt à charitate. Expostulatur: præter meritum.

Docet Petrus suo exemplo, ut ita patienter feramus nostram accusationem, ne tamen accusati negemus ius nostrum. Sic Dauid patienter fert iniuriam, interim tamen iustam suam causam ubiq; proponit.

Summa est responsi Petri, quod in uirtute & nomine Iesu Christi sanū fecerit claudum, & quod omnes, quicumq; inuocauerint nomen domini fide, salui fieri queant, quia non est aliud nomen, per quod oporteat nos saluos fieri. Enthymemata. Qui malum inferunt, accusari debent: Ergo ego non sum accusandus.

Aliud. Qui beneficium conferunt, laudandi sunt: Ergo ego sum laudandus. Beneficium uocat misericordie opus.

Notum sit omnibus uobis.

Prioribus insinuauit se Petrus, & amouit à se iniusticie suspicionem: nunc porrò respondet ad questionē Notum sit uobis: aperta & simplex confessio, ab Euangelio, quod est aperta & simplex doctrina. Vobis ut rectoribus & capitibus populi.

Et



Et uniuerso populo Israëli.

Subditis uestris. Petrus non ait hypocritam, sed *ap*  
 pertè confitetur quod res est.

Quod in nomine Iesu Christi  
 Nazareni.

Rectè tribuit Petrus Christo, quod Christi est. Pe-  
 trus non ultra sapit, quam debet sapere, nihil alieni sibi  
 arrogat, non querit quæ sua sunt, sed quæ sunt gloriæ  
 Christi. Quod in nomine: hæc forma est, qua perfec-  
 runt miracula Apostoli. In nomine: in uirtute & potes-  
 tate. Marci 16. Per nomen meum demonia eijcient.  
 Lucæ. 10. Domine etiam demonia subiiciuntur nobis  
 per nomen tuum. Iesu, Christi, Nazareni: signanter  
 hæc tria coniungit: nam appellatione Iesu & Christi, os-  
 tendit Petrus quàm potens sit persona in cuius nomi-  
 ne sanum fecerit claudum: appellatione Nazareni des-  
 signat certitudinem personæ, in cuius nomine sanus san-  
 ctus est claudus Nazareni: Nazareth nutriti. Alludit  
 ad contemptam Christi personam, q. d. Petrus, in illius  
 nomine sanum feci claudum, qui coram oculis uestris  
 contemptus fuit, et Nazarenita iudicatus.

Quem uos crucifixistis.

Non ex odio detegit Petrus peccata Iudæorum, sed  
 ex charitate, ut eos ad pœnitentiam inuitet. peccata cog-  
 noscere

noscere faciat, & ad remissionem peccatorum abducatur.

**Quem deus suscitauit à mortuis.**

Præter uestram expectationem, qui sic cogitastis et expectastis. Christus cruci adfixus est: Ergo de Christo actum est. Crucem & resurrectionem inter se opponit Petrus, terroris est & mœroris cruci adfigi Christum: consolationis est & gaudij, eum resurgere à mortuis. Resurrectione Christi probabile seu ut melius loquar, possibile facit Petrus, quod in nomine Iesu Christi Nazareni claudum sanum fecerit: q. d. Christus à mortuis resurrexit: Ergo in Christi nomine possibile fuit sanari claudum. Deus: commendat Christum et resurrectionem eius à causa efficiente Deo patre.

Suscitauit: uerbum potentie. A mortuis: Christus à morte & alijs suis hostibus, captiuus detentus fuit.

**Per quem iste astat coram uobis sanus.**

Per quem: per cuius nomen & uirtutem. Pulchro ordine hæc tria coniungit Petrus: quem crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, per quem iste astat coram uobis sanus. Nam cruci adfixus Christus, uestro iudicio uires ac potentiam amisit, sed in resurrectione tamen ea recepit, unde potens iam fuit sanare hunc claudum.

192 ERASMI SARCERII SCHOL.  
dum, & potens est huius exemplo sanare omnes alios.  
Hic est lapis qui reprobatus est  
à uobis.

Confirmat Petrus autoritate scripturæ, Christum oportuisse mori, & rursus resurrexisse: item Christum oportuisse pati, & rursus glorificari: item interire per crucem, & rursus redire uictoriam. In hunc sensum adducit & Christus presentem Psalmi locum, Matthæi 21. ubi testimonio huius scripturæ confirmat, Christum esse filium à Iudeis è uinea eiectum &c. Petrus. 1. epistola cap. 2. ad aliud institutum utitur hoc loco Psalmi: nimirum Christum esse lapidem positum credentibus in salutem: impijs uerò in offensionem. Hic: quanquam uestro iudicio uilis & contempta persona. Lapis est: dicitur Christus à firmitate lapis. Qui reprobatus est: extreme abiectus tanquam inutilis & nullius usus. Et sanè omnibus incredulis talis lapis Christus est, & adhuc hodie. Priore Petri. 2. Vobis igitur præciosus est, qui creditis. Cæterum ijs qui non credunt, lapis quem reprobauerunt edificantes, hic cœpit esse caput anguli: & lapis in quem impingitur, & petra ad quã offendent: nempe his qui impingunt in sermonem, neque credunt in id, ad quod & instituti fuerant.

Causam si noscere cupias reprobationis in Iudeis  
fuit

fuit offendiculum ex uilitate & contemptu tam persone, quàm doctrine Christi. Et etiam hoc seculo, ex iisdem causis, multi reprobant Christum lapidem, tantum quia uilitate eius offenduntur, & cōtempo uerbo scandalizantur. A uobis ædificantibus: doctoribus legis. Vides hic qui sint præcipui aduersarij Christi, illi non sunt homines plebei, sed principes, seniores, scribæ, doctores legis, sacerdotes &c. A uobis: non agit hypocritan Petrus. Aedificantes dicuntur doctores legis à doctrine successu, qui sensim ac sensim fit, non aliter atq; ædificiorum successus. Quema Imodum enim non uno impetu, aut una hora ædificatur ædificium, sic nec uno impetu, aut una hora docti fiunt homines.

Qui factus est in caput anguli.

Quo coniunguntur Iudæi & gentes. Et de gentibus Christus aperte interpretatur hæc uerba. Matthæi . 21. Quando adijcit è Psalmo: A domino factum est hoc, et est mirabile in oculis nostris. Ideò dico uobis auferetur à uobis regnum Dei & dabitur genti facienti fructus eius. Et Apostolus ad Ephesios . 2. ait. Iam igitur non estis hospites & incolæ, sed conciuues sanctorum, ac domesticum Dei superstructi super fundamentum Apostolorum & prophetarum, summo angulari lapide ipso Iesu Christo &c.



Totus Psalmus è quo transcriptus est hic unus locus, est de morte & uictoria Christi in mortem, & glorificatione eius: quare Petrus ad hæc simpliciter resposxit: nec facile concedendum est, eum hæc uerba (qui factus est in caput anguli) de gentium & Iudeorum condonatione intellexisse, qui infra in 10. Capite primum dicit gratiam Euangelij ad gentes pertinere.

Petro igitur hæc uerba (qui factus est in caput anguli) nihil aliud significant, quam uictoriam & glorificationem Christi, ex morte, quæ duo periphrasticè his uerbis effert, qui factus, &c.

Qui factus est in caput anguli: id est, gloriose resurrexit, ex morte ad gloriam redijt, &c.

### Et non est per aliquem alium salus.

Proclamatur hic Christus solus, ipsa salus, et nostra salutis autor. Similis est locus. 1. ad Cor. 1. Ex eodè autem uos estis in Christo Iesu, qui factus fuit nobis sapientia à deo, iusticiaq; & sanctificatio, & redemptio. Et addit Apostolus causam, cur solus Christus talis sit. Ut quem admodum scriptum est. Qui gloriatur in domino gloriatur ad Ephes 2. Dei donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur, ad Rom. 3. Ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus deo. Correspondet huic presenti loco & ille,

ille, Matth. ei 3. & 17. Hic est filius meus, in quo mihi bene cōplacitum est. Hunc audite. Sententia hæc Petri, decretū est super omnium Conciliorū decreta, in quo proclamatur solus Christus salus et iusticia nostra. Interim tamen multorū Conciliorū decreta extant, quæ Petrum cum sua sententia euertere laborarunt. Enthymemata. Extra Christū nō est salus: Ergo solus Christus saluat.

**Aliud.** Opera non sunt Christus: Ergo opera non saluant. **Aliud.** Cucullus non est Christus: Ergo cucullus non saluat.

Cadunt hic omnium hominū omnia media, per quæ quærent iusticiam. Firma enim stat sententia Petri. Et non est per aliquem alium salus.

Sunt qui nolunt credere huic sententiæ Petri, nisi Cōcilio approbetur, quasi Canonica scriptura per se nō sit certa satis, aut non debeat omnibus Concilijs præponi. Per aliquem alium: excluduntur simpliciter omnia media alia, præter unum, quod est Christus. Salus cum salute synonyma sunt, sapientia, iusticia, sanctificatio, redemptio propiciatio, &c.

**Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus.**

Aetiologia clarius exponit præcedentem sententiam  
Enthymema.

Non est aliud nomen sub caelo datum hominibus  
per quod oporteat nos saluos fieri:

Ergo solus Christus est salus nostra.

Nomen: uirtus aut medium. Sub caelo: in hac  
terra, in qua oportet nos consequi salutem, quae Christus  
est. Datum: à deo patre donatum, propositum, con-  
stitutum. Christus salus donum dei patris est. Hominibus:  
in genere omnibus. Est enim Christus uniuersalis  
saluator & cõmunis salus pro omnibus hominibus.

Per quod oporteat nos sal-  
uos fieri.

Q. d. Petrus: quanquam interim multa sunt alia me-  
dia: sed talia non sunt, per quae oporteat nos saluos fie-  
ri, quale tamen est Christus. Oporteat: ex consilio  
& ordinatione patris. Nos: in genere omnes, qui  
appetimus salutem. Saluos fieri: assequi iusticiam  
remissionem peccatorum, uitam aeternam, &c.

Petes hinc descriptionem Christi, qui paucis ex hoc  
loco descriptus, est salus nostra.

Videntes autem Petri confidentiam  
& Ioannis.

Sequuntur effectus, quos Petrus libera sua & con-  
stanti confessione operatus est in aduersarijs ueritatis,  
quos à persequendi proposito reflexit, et admirari fecit

Cōmendatur hic potentia et efficacia ueritatis, quæ etiam in hostibus suis efficax, atq; potens est.

Totus sequens locus est de uictoria ueritatis contra suos hostes, quos etiam iratissimos, ut oues placidas redire potest. Inuitamur nos hac uictoria ueritatis contra suos hostes, ut festinemus tam uictoriosam ueritatē amplecti, & operum doctrinam unā cum mendacijs, ut res infœlices & inualidas deserere.

Exempla Petri & Ioannis cōsolantur nos, ne in cruce à ueritate recedamus, sed constanter & cordatè confiteamur ueritatem, quæ certo certius dabit nobis contra crucem, uictoriam. Verum hic fit, quod dixit Christus ad Apostolos, Lucæ 21. Dabo uobis os & sapientiam, cui resistere non poterunt omnes, qui aduersantur uobis. Sed hæc uictoria, quam hic Petrus reportat, nō Apostoli, aut apostolicarum uirium effectus est, sed spiritus sancti, quo repletus Petrus cōfidenter cōfessus est ueritatem ad uictoriam: item, effectus est ueritatis, quam Petrus confessus est: item, promissionis à Christo factæ effectus. Dabo uobis os & sapientiā, cui resistere non poterunt, Lucæ 21 ut supra. Videntes: per metaphorā deflectionis, pro cognoscentes seu intelligentes. Confidentiā: in Græco est, π ἀπερησία, quæ uox aliās audaciā, aliās libertatē, aliās confidentiam sonat.



Confidentia hic uirtus est & bonum opus in Apo-  
lis: quippe quod causam habet ueritatem, quæ confiden-  
ter, libere, & cordatè confitenda est. Non probatur ex  
uoce confidentiæ, scurrilis & procax audacia in rebus  
leuibus & sepe mendacibus. Confidentia hic uirtus  
est, qua liberè confitemur ueritatem & sine timore.

Opponitur confidentiæ abiecta pusillanimitas, quæ  
coniunctum timorem habet, & ex qua non audemus li-  
berè confiteri ueritatem.

### Comperto quod homines essent sine literis & idiotæ.

Comperimus certa. Sine literis & idiotæ: peris-  
phrasis Apostolorum, ut hominū, neq; eloquentiæ, neq;  
literarum, neq; artium studijs excultorum: tales enim uo-  
cantur illiterati & idiotæ. Illiteratis & idiotis uo-  
luit uti deus ad ministerium uerbi, ut moneret se contem-  
ptis & humilibus delectari. **OBIECTIO:** Ergo  
& hodie ministri uerbi illiterati & idiotæ esse debent?

**RESPONSIO.** Non Quod enim Apostoli  
illiterati & idiotæ fuerunt ad ministerium uerbi admissi  
& sic ad munus Apostolatus, id non temerè factum est,  
sed propter multas causas. Prima, quia illiteratis et idio-  
tis Apostolis, uoluit ostendere deus, se contemptis, humi-  
libus, & abiectis coram mundo, delectari. Secunda, ut  
ostera

ostenderet uirtutem Euangelij non in eloquentie studijs, aut humanis artibus sitam esse, sed in simplicitate sermonis, & in singulari reuelatione dei. Tertia, decebat Apostolos illiteratos & idiotas esse, quia erant humilis & contempti regni ministri & aulici. Quarta, quia Euangelium erat doctrina noua & mundo incognita: quare opus habebat miraculis, quibus confirmabatur: nõ ergo inter postrema miracula erat & hoc, quod illiterati & idiotæ Apostoli cum magna maiestate loquebantur magnifica dei, & interpretabantur scripturas.

Alia hodie est ratio, Euangelio nunc satis confirmato, quod quia confirmatum est, igitur nõ opus habet illiteratis & idiotis, quibus miraculose confirmetur uerũ literatis, & qui artium & studiorum cognitionem, habent, quò sic per eos uerbum confirmatum conseruetur.

Et facile concedi uis Apostolo: primum illiteratos & idiotas fuisse: ast fortiter negamus eos illiteratos et idiotas permansisse: siquidem diuersum testantur illorum scripta, quæ ad artium et studiorum exactissimam cognitionem conscripta sunt.

Habuerunt autem Apostoli & hanc prerogatiuam præ nobis, quod spiritus sanctus eos miraculose, sine artium & studiorum medijs, doctos reddiderit. De hac uerò miraculosa institutione nos non habemus promissio-

nis uerbum, quare frustra expectamus cum Anabaptis-  
 tas à spiritus sancto miraculose institui, qui non semper  
 facit miracula, sed tantum in grauisimis causis: qualis  
 reuera fuit confirmatio Euangelij unà cum eiusdē pro-  
 pagatione. Est præterea dissimilitudo magna inter  
 Apostolos & inter nos: Apostolatus enim officium fuit  
 singulare, ad quod singulariter uocati fuerunt tantum  
 duodecim persona. Quod officium Christus singulari  
 potestate, Matthæi 10. & singularibus uirtutibus orna-  
 uit, Marci 16. Illiteratura itaq; & idiotissimus tantū  
 ad Apostolos pertinent & non ad nos. Et quàm hoc ue-  
 rum sit, docet Christus Matthæi 13. ubi scribam in reg-  
 no cælorum docti appellatione honorat, & confert cū  
 patre familiā qui depromit ē thesauro noua & uetera,  
 id est, qui cum prudentia, delectu, & iudicio, disso-  
 nit cuncta, alia aliter, & alijs personis, alia. Quæ quæ-  
 sit sine artium præsidio & studiorum cognitione, quis  
 feliciter præstatit? Item, Matthæi 24. ministrum uer-  
 bi fidelem & prudentem uocat Christus, quem præfecit  
 dominus famulatio suo, ut det illis cibū in tempore. Fide-  
 lem appellat, qui fideliter docet prudentem, qui prossi-  
 cere nouit: quid, quomodo, apud quos, & quo tempore  
 prædicet: sicut seruus fidelis & prudens in familia iu-  
 dicio utitur, in dispensando cibo alio tempore & alijs  
 aliter

aliter pro ratione temporis. Verum & hæc quis præstat, artium & studiorum cognitione spoliatus, aut destitutus potius? Imò & Apostolus, & si dicat se sermonis imperium esse, tamen longè melius sentit de artium & studiorum cognitione, quàm Anabaptistæ et alij quidam rustici, qui omnino illiteratos & idiotas ad ministerium uerbi admittendos esse censent. Nam. 1. ad Timoth. cap. 3. episcopum uult esse ad docendū aptum: aptus uerò quis esse potest sine artium et studiorum adiuuamine? didaxiςkov græce uocat, id est, sequentem inter docendum methodum, quam sola Dialectica docet. Quod autem Apostoli illiterati atq; idiotæ methodum secuti fuerint, habuerunt spiritum sanctum doctorem, qui in illis miraculosè operatus est, quod in nobis per certa artium media operari uult. ad Timoth. 2. epistole cap. 4. scribit Timotheum enutritum esse in sermonibus fidei, bonæq; doctrine: ergo commendat in Timotheo literaturam & studia Theologiæ.

Ibidem ait. Donec uenero, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Quibus hortatur Paulus Timotheum ad Theologiæ studia. Sed de his hæctenus. Vide nostram Postillam in euangelia Festiualia, maxime in hoc Euangelium, quod legitur in ferijs Diui Andree. Item, Locos nostros communes, locum in secundo Tomo de Theologia.



**Admirabantur.** Admiratio hæc effectus est, non tam cognitionis, quod essent homines sine literis et idiote, Apostoli, quam cognitionis, confidentiæ, & liberæ prædicationis in iisdem. Miraculum est homines illiteratos & idiotas, doctè ac benè loqui: ergo sine miraculo homines illiterati & idiote, non loquuntur doctè nec benè. Admiratio ut effectus, qui sequitur ad miracula, testatur de miraculi præsentia in Apostolis.

**Et agnoscebant eos.** Hæc faciunt ad mitigationem admirationis, quia agnoscebant eos quod cum Iesu fuerant. *Enthymema.* Agnoscebant eos: Ergo minus admirabatur **Quod cum Iesu fuerant**

Igitur nõ ita mirũ esse, eos sic cõfidenter et libere loqui de Iesu. **Hominem autem uidentes.**

**stantem cum eis,**

Gratitudinis est in restituto claudo, associare se Apostolis. Et rectè se præbet socium communis periculi, qui communis beneficij factus est particeps.

**Nihil poterant contra dicere.**

Hæc insignis ueritatis uictoria est, ad quam homines etiam maximi in mundo, fiunt muti. Eiusmodi uictoriam & Christus reportauit à Sadducæis, Matthæi. 22 quibus obstupuit ora. Item, à Phariseis, eodem capite Matthæi, ubi sic legitur. Et nemo poterat ei respondere.

quic

quicquam, neq; austus fuit quisquam ex eo die eum amplius interrogare. Magnæ maliciæ & pertinaciæ exemplum est in principibus, senioribus, scribis, & alijs, qui nihil possunt contra dicere, tamen non suscipiunt Euangelium. Nihil dubito, quin omnes dicti in suis conscientijs uicti fuerint rei ueritate. Pertinaciæ autem est & maliciæ, sic uictum esse, nec uelle cedere. Sed quæ huius pertinaciæ & maliciæ causæ sint, sæpe aliàs à me dictum est. Timent enim sic uicti, de interitu sui nominis, autoritatis, æstimationis, dignitatis, priuati questus etc. Iusserunt autem eos foras extra concilium secedere.

Prudentiæ carnalis exemplum in Principibus, senioribus, scribis, & alijs, qui uicti in conscientijs rei ueritate, rectè nunc seriò deliberant, quid agendum sit. Tum namq; maxime opus est consilio, ubi disputandum est contra ueritatem, de qua in conscientia uicti sumus.

Iusserunt: rectè, quia magistratus.

Et conferebant inter se.

Seriò deliberabant, tanquã super re ardua & graui.

Quid faciemus hominibus istis

Questio de perditione personarum, quibus sublati, credunt impij, facile perituram & ueritatem, quam personæ confitentur. Enthymema. Perdantur prædicatores: Ergo peribit & uerbum quod prædicant.

Hominibus istis? qui iam auctoritatem magnam cō-  
traxerunt sibi apud populum ex facto miraculo?

Timent principes & alij, ne Euangelij auctoritas ex-  
crescat & roboretur: item, ne ecclesia excrescat.

Finis est huius collationis, ut per dantur prædicator  
res uerbi unà cum uerbo. Causa collationis est peri-  
culum, quod certò futurum erit, si auctoritas Apostolorū  
non diminuatur.

**Q**uoniam quidem conspicuum signū  
factum est per eos.

Actiologia ab aperto miraculo, ex quo Apostoli cō-  
ciliarunt sibi auctoritatem & fauorem populi.

Enthymema. Apostoli conspicuum signum fecerunt: Ergo Apostolorum magna nunc est facta auctoritas. Aliud. Apostoli conspicuum signum fecerunt coram omnibus habitantibus in Hierusalem:

Ergo Apostoli fecerunt sibi adherere totam Hierusalem. Duo timent principes unà cum alijs suis socijs. Alterum, ne Euangelij & Apostolorum auctoritas excrescat. Alterum, ne uulgus Euangelium suscipiat.

Conspicuum: apertum & notum. Signum: miraculum restituti claudi uocant.

Omnibus habitantibus Hierusalem.

Hyperbole, pro multis notum.

Manifestum

Manifestum est, & non possumus negare.

*Enthymema est hic locus. Manifestum est.*

*Igitur non possumus negare.*

*Et non possumus negare: aperta confessio ueritatis quam tamen impij, priuatis comodis impediti, suscipere detrectant. O prauitas, super omnem prauitatem maxima? Ille dixit. Quid non mortalia pectora cogis. Auri sacra fames? Nos dicimus. Quid non mortalia pectora cogitis, priuata commoda?*

**Sed ne amplius diuulgetur in populum.**

*Suis uerbis nunc ostendunt Principes & alij, quid timeant: nimirum ne amplius Euangelij gloria diuulgetur publica & aperta praedicatione.*

*Consilium Principum hoc mitius tamen est consilij nostrorum aduersariorum, qui hodie consultant contra ueritatem & eius praedicatores. Sed ne amplius: condonatio priorum.*

*Diuulgetur in populum: scilicet signum, e quo doctrinam Euangelij simul intelligunt, pro cuius confirmatione factum est signum. Enthymema.*

*Signum non est amplius diuulgandum: Ergo nec doctrina, cuius gratia signum factum est.*



In populum: q. d. qui ignobile uulgus est, & qui cadret iudicio, quiq; facile sine iudicio et delectu rapitur ad omnem doctrinam. **Comminemur eis.**

Pœna ex uerbis. Aduersarij ueritatis nostro seculo poenas ex uerberibus confingunt.

**Ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum.**

Proscriptio ueritatis, contra quam Principes & alij nihil possunt. In Græco est,  $\mu\eta\ \phi\theta\epsilon\gamma\gamma\epsilon\ \delta\tau\omega\zeta$ , quod Annotatore magno illo Erasmo, plus est, quam Ne loquerentur, quasi dicas, ne hiscerent, aut ullam uocem ederent. Prudens hoc consilium est secundum carnem. Nam ubi non est confessio seu prædicatio uerbi, ibi paucos conuerti necesse est, & ibi facile ruere famam uerbi, & eius effectum ipsam fidem. In nomine hoc: de nomine, fama, Euangelij & uirtute Christi. Vlli hominum: prohibitio uniuersalis est. Mera impietas est, quod Principes unâ cum alijs negligunt salutem, & alijs ad eandem occludunt uiam. Ex uerbis Principum horum cognoscis, quæ sit uia ad salutem: uidelicet uocale & audibile uerbum, è quo fides, hæc postea impetrat salutem. Et uocantes illos. Hactenus deliberamus Principes, seniores, scribæ, & alij de genere sacerdotali. Sequitur nunc propagatio & indictio consilij ex de liberatione inuenti.

Præceperunt. Pro autoritate. Præcipere nihil  
magni est: est magnum aliquid est habere præcepti sui  
iustas causas. Ne omnino loquerentur.

Veritati occluditur omnis uia & occasio, id quod  
notat uox omnino. Neq; docerent.

Expolitione clarius exponunt uerbum loquerentur.

In nomine Iesu.

Id est non loquerentur, neq; docerent doctrinam de  
Christo. Nam quid aliud sit, non loqui, neq; docere in  
nomine Iesu, quam non loqui aut docere doctrinam Chri-  
sti non uideo. Præcipuum ergo quod hic prohibent, do-  
ctrina est. Petrus uero & Ioannes.

Quomodo nunc se gesserint Petrus & Ioannes ad  
prohibitionem doctrine, nunc sequitur. Docent nos suo  
exemplo Apostoli, ut Deo potius obediamus, quam ho-  
minibus: item mandata prioris tabule, præferamus  
mandatis posterioris. Instituenda est hic collatio man-  
datorum utriusq; tabule. Pertinent ad hanc collationem  
hæ sequentes regulæ, solutionis gratia. Lex posterior ce-  
dit priori. Lex inferior non præiudicat maiori. Mandata  
prioris tabule, præferri debent mandatis posterioris  
tabule. Lex prioris tabule est. Confiteberis, uerbū no-  
men & gloriam dei. Lex posterioris est. Honora patrē  
& matrem, ut sis longæuus super hanc terram. Ad hæc  
legem

legem pertineat & obedientia erga magistratum Item, monent nos hic Apostoli suo exemplo, quatenus obedire liceat impijs parentibus, magistratibus, dominis, tutoribus, amicis &c: uidelicet, ea tenus, ut non præcipiant contra Deum. Aliàs respondendum perpetuo est sicut sequetur in 5. cap. Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. Magis particula præfert obedientiam potiorrem obedientie inferiori. Exemplum constantiæ est in Apostolis, qui sine timore confitentur ueritatem.

Dixerunt ad eos.

Dicere hoc effectus constantiæ est in Apostolis.

Si iustum est coram deo.

Insinuant se Apostoli cõcessione quadam, qua iudicium rejiciunt in eos ipsos, contra quos agunt. Hac insinuatione, nescio an sit potentius medium ad persuadendum. Ducunt autem Apostoli à iusticia suam insinuationem, ut amoueant suspicionem male causæ.

Enthymema In nostrâ causa uestram sententiam ferre possumus: Ergo nostra causa nihil mali habet.

Si iustum est coram Deo: signanter loquuntur de certa iusticia, quæ coram Deo: est Discernunt ergo inter ea, quæ coram Deo iusta sunt, et quæ coram mundo. Fieri enim potest, quod aliquid iustissimum est coram mundo: coram Deo quod est iniustissimum. Exempli gratia

gratia. Coram mundo summa est iusticia, habere respectū circumstantiarum in beneficiendo vnde mundi sententia. Cui des, uideto. Cui beneficias, curato. Cras redito. Hoc loco me expectato. At coram Deo summa iniusticia est, in beneficiendo circumstantiarum respectum habere. Vel iuxta illud Lucae .6. & Matthaei. 5. Estote misericordes, sicut pater uester misericors est, qui in caelis est, & finit solem suum oriri super bonos & malos, super iustos & iniustos: id est, sine circumstantiarū respectu. Nam ex una circumstantia & reliquae ueniunt intelligendae. Sic iustissimum est coram mundo, multū laboranti, plus mercedis dare, quā laboranti parum. At coram Deo iustissimum est, multum & parum laboranti, dare eundem denarium: idēq; iuxta parabolā, Matthaei. 20. de operarijs in uinea. Coram Deo: cuius iudicia à nostris saepe diuersissima sunt.

Vos potius audire quā deum.

Quaestio Apostolorū est de iure, quod consistit in iusticia corā Deo. Vos potius audire quā Deū: id est, posteriore tabulā preferre priori: obedientiā erga homines, obedientiae erga Deū &c Potius hac particula relinquatur obedientiae erga homines suus honor: nec tollitur obedientia erga Deū, obedientia erga homines Sic Christus Matthaei. 5. his uerbis non tollit iusticiam



operum ( nisi iusticia uestra plus abundauerit, quam iusticia Pharisæorum, non potestis ingredi in regnum cælorum ) sed requirit maiorem in regno cælorum, quæ est iusticia Christi, quæ sola maior est iusticia operum. Nos enim æqualem tantum cum Pharisæis possumus præstare operum iusticiam. **Iudicate.**

Æquo & iusto iudicio, ex uerbo & conscientia comparato, uel etiam ex lege nature.

**Non enim possumus quæ uidimus & audiuius non loqui.**

Actiologia à necessaria uel impossibili, quæ ipsi Apostoli colligunt iustum coram deo esse, quod alij in conscientijs iudicabant: scilicet, deum potius audiendum esse quam homines. Non enim possumus: id est, modo uelimus potius audire deum, quam homines. Item. Non enim possumus: scilicet, quia deus præcepit nobis, ut uisa & audita loquamur.

Aliàs in libera est uoluntate Apostolorum, non loqui uisa & audita, à bono deslectere, & facere malum. Deus siquidem non est autor mali.

Quæ uidimus & audiuius: periphrastica uerba omnium illorum, quæ cognouerunt Apostoli de regno Christi & nomine Iesu.

Vel: non possumus non loqui: quia fides confessionem

nem earum rerum, quas uidimus & audiuimus, urget:  
iuxta illud Dauidis. Credidi, propter quod locutus sum.

**At illi comminantes.**

Impij dum factis non possunt terrere pios, terrent  
saltem minis. **D**, miserunt eos.

En uictoriam ueritatis contra potentissimos hostes.

**Non inuenientes.**

Aetiologia dimissionis à timore populi sumpta. Vi-  
des hic medium quoddam, per quod solet deus liberare  
ueritatē & eius confessores à persecutione, id est timor  
populi, quem persecutores timere coguntur.

Nota itaq; conatus impiorum non esse semper feli-  
ces, sed eos à deo impediri posse, sepe etiā leuissimis oc-  
casionibus. Consolatoriū uerò hoc est, aduersari s ueri-  
tatis quidē potentes esse, & nullos non malos adfectus  
erga ueritatē & huius confessores concipere: at deum  
longē potentiorē esse qui eorū adfectus malos impedire  
potest. Non inuenientes: mirum est homines sapientes,  
& potentes in opprimenda ueritate consilijs destitui.

**Quomodo punirent eos.**

**Qua pœna adficerent.**

**Propter populum.**

Scilicet, quem timebant, & ne eum inflexa pœna A/  
postolis, ad seditionē cōmouerent. Verū hic fit uulgare

illud dictum. Ein schwert behelt / das ander in  
der scheyden. Gladius gladium prohibet.

Qualis hic timor in Principibus & alijs fuerit, scie-  
tis nos hodie nostra tempora monent.

Quia omnes glorificabant deum.

Aetiologia timoris populi à fauore, quo erat populus  
facto miraculo addictus. Enthymema.

Propter miraculum omnis populus glorificat deum:

Ergo non est consultum poena adficere Apostolos  
per quos factum est miraculum. Omnes: hyperbo-  
le pro magna parte.

Glorificabant deum: glorificatio hæc uulgaris esse  
ctus est, qui ad omnia ferè miracula secutus est in præ-  
sentibus. Item, est hæc glorificatio fidei alicuius opus,  
quæ credidit deo ad miraculum, & postea gratam se  
ostendit glorificatione. Glorificare deum, est illi gra-  
tias agere pro tanto miraculo.

In eo quod acciderat.

In facto miraculo, aut propter factum miraculum.

Annorum enim erat amplius  
quadraginta.

Aetiologia glorificationis à circumstantia ætatis il-  
lius hominis, in quo factum fuerat signum sanitatis.

Enthymema. Homo quadraginta annorum clau-  
dus

du, restitutus est sanitati: Ergo merito glorificemus  
deum.

Vel.

Hominem quadraginta annorum claudum restitui  
sanitati, magnum est diuine potentie miraculum.

Merito ergo nos glorificemus deum.

Annorum enim er. et, &c. Circūstantia temporis seu  
etatis exaggerat miraculum seu miraculi potentiam.

Signum istud: quasi dicat, tam potens.

**Dimissi autem uenerunt ad suos**

Liberationem Apostolorum sequitur gratiarum ac-  
tio, cuius summa est. Agit ecclesia deo gratias pro libe-  
ratione Apostolorum & uictoria uerbi, quam habuit  
contra suos hostes & aduersarios.

Dimissi autem: notat uictoriam uerbi.

Enthymema. Dimissi fuerunt: Ergo uicerunt.

Venerunt ad suos: id est, ad alios de ecclesia creden-  
tes.

**Et annunciauerunt.**

In cōfirmationē ecclesie. Nam hic quidā persecutionis  
et liberationis usus est. Alludit Apostolus ad hunc usum  
ad Ephes. 3. Huius rei gratia ego Paulus uinctus sum  
Christi Iesu pro uobis gentibus.

**Quæ ad eos principes sacer-  
dotum & seniores  
dixissent.**



Et uerba hostium ueritatis confirmant ecclesiam de ueritate: igitur ea annunciant Apostoli ecclesie. Sic hodie aduersariorum & uerba & scripta contra ueritatem, magis nos de ueritate confirmant, quam ab illa abducunt. *Quæ*: scilicet, in qua uirtute aut in quo nomine fecissent miraculum: item, ne omnino loquerentur, neq; docerent amplius in nomine Iesu: item, conminantia uerba.

**Illi uerò unanimiter leuauerunt uocem ad deum.**

Disce hic quid sit gratiarum actio uera, altera orationis species: nimirum unanimes leuatio uocis ad deum qua gratias agimus deo, pro hoc aut illo, quocumq; tandem beneficio. Vox unanimiter docet nos de uera forma gratiarum actionis, quæ in hoc consistit, ut in animis simus concordēs, & simul foris. Et ad hanc formam orationis in genere alludit Paulus. 1. ad Timoth. 2. Volo igitur orare uiros in omni loco, sustollentes puras manus absq; ira & disceptatione. Quibus omnibus declarat Apostolus, de recta orationis forma esse ipsam unanimitatem seu concordiam.

Est & leuatio uocis de uera forma. Leuare enim uocem signum est serie orationis.

Ad deum: deus pater persona est, ad quam debet dirigigi

vigi oratio: deus filius est, in cuius nomine oramus: deus spiritus sanctus docet nos recte orare, & sanctificat nostram orationem. Ad deum: in genere ait. Siquidem tota trinitas nostrae orationis fit particeps.

Et dixerunt. Hoc dicere effectus est fidei, quae cum agnouit & sensit dei beneficia, non potest tacere

Domine. Oratio non est petitoria seu inuocatoria, sed gratiarum actio, pro liberatione Apostolorum, & uictoria uerbi, contra suos hostes. Docemur exemplo ecclesiae gratias agentis, ne ad beneficia dei ingrati simus. Est praeterea gratiarum actio, non infima pars cultus dei, quare non est negligenda: imò gratiarum actio non minus est de mandato dei, atque oratio petitoria: ideo gratias agentes, scimus nos rem gratam et acceptam facere deo. Psal. 49. Immola deo sacrificium laudis, &c. Domine: captatio benevolentiae à potentia dei, qui non solum deus est, sed & potens dominus. Est enim dominus potentiae uocabulum. Recte etiam ecclesia utitur hic circa uictoriam potentiae uocabulo.

Enthymema. Domine tu fecisti caelum & terram, &c: Ergo tu potuisti uincere.

Totus locus est commendatio potentiae, imò omnipotentiae dei: quae quia magna est, igitur potuit uincere deus contra suos hostes.

Parta uictoria contra Principes sacerdotum & seniores, non uiribus Apostolorum, sed omnipotentie Dei tribuitur. Monemur ut omnem uictoriam & gloriam Deo adscribamus. Sicut & Dauid docet, quando inquit. Non nobis domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Enthymema. Dominus fecit coelum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt: Ergo dominus omnipotens est. Vocabulis coeli, terræ, maris, & omnium quæ in eis sunt, circumloquuntur omnes creaturas. Enthymema. Dominus omnipotens est: Ergo domino nemo potest resistere.

Qui per os Dauid pueri tui  
dixisti.

Autoritate Psalmi ecclesia congratulatur uictorie q. d. Prædictum est prius, multos hostes futuros contra Christum regem & regnum eius, sed non præualituros neq; uicturos. Id quod etiam hac uice in Apostolis experti sumus Per os Dauid: per uocale & audibile uerbum Dauidis. Pueri tui: qui tibi semper curæ fuit, & quem filij loco habuisti. Enthymema.

Prophete os domini tantum fuerunt: Ergo prophete tantum organa uerbi Dei, non ipsum uerbum fuerunt.

Aliud. Prædicatores os domini sunt: Ergo non ipsum uerbum.

Quare

## Quare fremuerunt gentes.

Psalmus secundus, è quo hæc transcripta sunt, hortatorius est, qui aduersarios Christi regis & regni eius hortatur ad pœnitentiam, ut à persecutione desistant et Christum suscipiant regem. Summa autem est præsentium uerborum Psalmi, hostes Christo machinari quidē insidias, sed frustra: item, conuenire & deliberare contra Christum regem ac regnum eius, uerum frustrari de uictoria. Quare: exordium ab effectu admirationis q. d. David. Mirum est, gentes & populos tentare ita frustranea & inania. Fremuerunt: tumultuati sunt. Verbum fremuerunt ostendit omnia studia conatusq; gentium contra Christum & regnum eius. Fremitus in gentibus effectus est offendiculi, è quo Christus factus est gentibus stulticia: quem uerò nunc stulticiam iudicarunt, contra illum non potuerunt non fremere. Priore ad Corinth. 1. Græcis uerò stulticia. Gentes gentium & populorum nomine uenit intelligendus totus mundus. Gentes illorum omnium typum gerunt, qui ex gentibus aut olim persecuti fuerunt aut adhuc hodie persequuntur Euangelium.

## Et populi meditati sunt inania?

Populi Iudæi sunt, omnium Iudæorum typi, qui persequuntur Euangelium, aut aliquando fuerunt persecuti



Meditati sunt. Vuerbum *meditor* exprimit singulare studium & sedulam diligentiam iudeorum in persequendo Euangelio. Item, respicit uerbum *meditor*, non tam ad externas persecutiones, quam ad serias deliberationes & ad multitudinem consiliorum, quae habuerunt Iudaei contra Euangelium. Inania: id est, gentes suo fremitu contra Euangelium nihil effecerunt, nec Iudaei suis meditationibus: imò uterq; populus spe uictoriae frustratus est. Commendatur potentia Euangelij contra omnes suos aduersarios: commendatur potentia Christi & regni eius, contra omnes hostes suos. Rectè Apostolus ad Rom. 1. Euangelium uocat potentiam Dei ad salutem omni credenti. Consolatorium est nos tam potens uerbum habere. Enthymemata. Contra Euangelium praesumuntur inania: Ergo Euangelium ubiq; triumphat. Aliud. Gentes & populi meditati sunt inania contra Euangelium: Ergo totus mundus nihil potest contra Euangelium.

### Astiterunt reges terræ.

In genere dixit Dauid: gentes & populi meditati sunt inania: & reuera in genere totus mundus aduersatur Euangelio: sed addit. Astiterunt reges terræ &c ut ostendat Dauid, qui sint praecipui hostes Euangelij. Atmirum illi, qui in mundo maximi sunt, ueluti reges, principes

principes, & sacrae religionis sacerdotes Astiterunt: notat studium & diligentiam regum & principum in persequendo Euangelio. Est enim assistere, ex studio ambire proximus esse, ubi agitur contra Euangelium.

Reges terræ & Principes intelligit, cum eos, penes quos ciuili magistratus auctoritas sita est, tū eos penes quos stat summa religionis sacrae

Conuenerunt in unum.

Super Christo ac Euangelio facile in unum coeunt ciuili magistratus & summi sacerdotes, quibus aliàs rarissimè inter se couenit. Mirabilis res est, Euangelium aliàs infensissimos inter se reconciliare, teste uel exemplo Herodis & Caiaphæ.

Aduersus dominum.

Deū patrē, cui aduersatur, qui Christo aduersatur filio. Et aduersus Christum eius.

Contra personam Christi, & omnia Christi.

Conuenerunt enim uerè.

Accommodatio uerborum Psalmi, ad Principes, seniores, scribas, sacerdotes & sic omnes hostes, qui in urbe Hierosolyma conuenerunt et egerunt contra Christum. Confirmatio est hic locus uerborum Psalmi, ab exemplo seu factò.

Cōuenerunt enim: Aetiologia uerborū Psalmi à facta  
seu

seu exemplo. Cernis hic usum quendam citandi scripturæ locos, qui in hoc consistit, ut locos citatos, ad nostros mores & uitæ exempla accommodemus.

Verè: animi studium notat in illis, qui conuenerunt.

In ciuitate ista.

Hierosolymitana. Confirmatio conuentus à circumstantia loci. Ista: scilicet, quæ uult uideri metropolis ueræ religionis. Ista ait cum admiratione quadam.

Aduersus sanctum puerum  
tuum Iesum.

Sanctum: quem tu sanctificasti: item, qui à natura sanctitas est, & ab effectu alios sanctos faciens.

In uoce sancti uidetur ecclesia signanter exaggerare absurditatem facti, q. d. Regum & Principum est officium conuenire contra non sanctos: illi autem obliti sui officij, conueniunt contra sanctos, inò contra tuum sanctum, quem tu sanctificasti, & à quo est omnis sanctitas. Puerum tuum: cuius tu autor es, & curam agis.

Quem unxisti.

Exponit, quem intelligat per sanctum: scilicet eum, quem unxit deus pater & sanctificauit.

De unctione Christi, sic habet Psalmus 44. Sedes tua deus in seculum seculi, uirga directionis uirga regni tui. Dilexisti iusticiam, & odisti iniquitatem: pro-

pterea

pterea unxit te deus oleo leticie præ consortibus tuis.  
Myrrha, & gutta, & casia à uestimentis tuis, &c. Per  
oleum leticie, sacre scripturæ interpretes intelligunt spi-  
ritum sanctum, quo deus pater unxit filium suum Iesum.

Meminit & huius unctionis Christi Esa. cap. 11. Et  
egredietur uirga de radice Iesse, & flos de radice eius  
ascendet, requiescet super eum spiritus domini, spiritus  
sapientie, &c. Enthymema. Iesum tu unxisti: Ergo  
contra Iesum immeritò cõueniunt reges & principes ter-  
ræ. Vnctione Christi intelligimus omnia ea, quæ deus  
pater cõtulit in filium. Enthymema. Christus unctus  
est seu Messias: Ergo Christus suscipiendus est nõ per-  
sequendus. Herodes & Pontius Pilatus.

Nam Christus gentibus traditus est illudendus & cru-  
cifigendus. Cũ gentibus & populis Israël.

In genere complectitur omnes persecutores Christi,  
ex gentibus & iudæis simul collectos.

Quæ manus tua & consilium tuum  
decreuerunt fieri.

Christus non est temerè passus, nec quicquàm cir-  
ca Christum accidit temerè, sed omnia ex consilio & de-  
creto patris. Enthymemata. Christus, ex consilio pas-  
sus est Ergo non temerè. Aliud. Christus ex  
manu dei patris passus est.

Ergo



Ergo Christo omnia contingere concessione & permissione patris Ioannis 19. ait Pilatus ad Christum. Mihi non loqueris? nescis quod potestatem habeam crucifigendi te, & potestatem habeam absoluendi te. Respondit Iesus. Non haberes aduersum me potestatem ullam, nisi tibi datum esset à supernis. Manus tua, potentia tua, permissio, & concessio. Consilium tuum: uoluntas tua. Deceuerunt fieri: contra Christum.

Deus pater potentia sua ordinauit, & consilio suo decreuit, quicquid esset passurus Christus: interim tamen non sequitur, eum sua potentia et consilio fuisse autorem eorum malorum, quæ Christo acciderunt: nec aut gentes, aut populi à Deo patre coacti fuerunt mala exhibere Christo: sed quicquid mali illi exhibuerunt, hoc fecerunt ex propria & libera eorum mala uoluntate. Et sanè aliud est, concedere aliquid, ut ab alijs fiat: aliud quoque est, si ipse aliquid facias, aut alios ad faciendum cogas.

Et nunc domine respice in  
minas eorum.

Sequitur oratio ecclesie petitoria, qua petit ecclesia quò Deus fortunare uelit regnum Christi contra omnes hostes & aduersarios, dare ministris Euangelij, ut cum fiducia & apertione oris cum libertate notum faciant mysterium

mysteriū euangelij mūdo, et ut cōfirmetur euāgelij sig-  
nis & prodigijs. In summa, petit ecclesia per has petiti-  
ones, ut sanctificetur nomen Dei, & adueniat regnū eius

Enthymema. Petit ecclesia ut Deus respiciat in mi-  
nas impiorum: Ergo domū Dei est felix Euangelij pro-  
cessus. Monemur ecclesie exemplo, ut fortunam Euan-  
gelij precibus promoueamus, non armis Et nunc: quia  
necessitas sic postulat. Domine.

Contra hostes rectē utitur ecclesia uoce domini. Est  
enim dominus potentie uocabulum. Domine: cap-  
tant beneuolentiam à potentia personæ Respice in mi-  
nas eorum: id est, prohibe minas hostium Euangelij,  
consilia, & decreta: & fortuna Euangelij successum.  
Idem orat Psalmus. 117. O domine saluum me fac. O  
domine bene prosperare. Benedictus, qui uenit in nomi-  
ne domini. Quorum summa est, ut Deus dignetur felicē  
regni Christi dare successum. Idem orant turbæ, Mat-  
thæi. 21. Hosanna filio Dauid, benedictus qui uenit in  
nomine domini, hosanna in altissimis. Et nos idem ora-  
mus his petitionibus Sanctificetur nomen tuum, adueni-  
at regnum tuum. Minas: per has intelligit omnia consi-  
lia, decreta, comminationes, & persecutiones impiorum  
contra regnum Christi & Euangelium.

Et da seruis tuis cum omni fiducia.  
loqui uerbum tuum.

Alter a pars petitionis, ut ministri Euangelij cum fiducia illud prædicent & confiteantur. Enthymema.

Pro fiducia prædicandi & confitendi Euangelium orat ecclesia ad Deum: Ergo fiducia prædicationis et confessionis Euangelij donum Dei est.

Apostolus ad Ephes. 6. petit ab ecclesia Ephesiana, ut impetret ei fiduciam sermonis, inquit: & ad hoc ipsum uigilantes cū omni sedulitate & deprecatione pro omnibus sanctis, et pro me, ut mihi detur sermo in apertione oris mei cum libertate, ut notum faciam mysteriū Euangelij mei super quo legatione fungor in catena, ut in eo liberè loquar, sicut oportet me loqui. Da: notat donum. Seruis tuis: ministris ecclesie, qui dicuntur serui, quia seruire debent ecclesie, non dominari in eam, à quo uitio per suum exemplum ministros ecclesie alienos esse uult Apostolus. 2. ad Cor. 1. ubi sic ait: Ego uerò testem Deum inuoco in animam meam, quod parcens uobis, nondum uenerim Corinthum: non quod dominemur uobis nomine fidei, sed adiutores simus gaudij uestri: nam fide statis. Cum omni fiducia: sicut Paulus habet, ad Ephes. 6. cum apertione oris & cum libertate. Fiducie opponuntur pusillanimitas, timor, silentium &c. Verbum tuum: cuius tu autor es.

Manum tuam extendens,

Tertia

Tertia pars petitionis ab ecclesia factæ, ut dignetur Deus confirmare Euangelium signis & prodigijs, hoc est; uarijs miraculis. Siquidem hic miraculorum usus quidam est, ut confirmet homines de ueritate Euangelij. Hodie confirmato Euangelio per multa miracula, non opus habemus ulterius signis & prodigijs, nec dantur porro ea: nouissimum enim est externum signum pro confirmatione Euangelij, mors et resurrectio Christi, Matth. ei. 12. Enthymema. Pro extensione manus Dei orat ecclesia: Ergo potentiæ diuinæ opera sunt miracula. Manum tuam extendens: id est, potentiam tuam adhibens, potentia tua iuuans &c. Verba hæc: manum tuam extendens: periphrastica sunt potentiæ diuinæ, quæ omnium miraculorum causa est. Quid ergo sunt ex hoc loco miracula? Respondeo. Miracula sunt opera diuinæ potentiæ, quæ per nomen Christi perficiuntur in hoc, ut per illa confirmetur Euangelium.

Confirmatio Euangelij præcipuus effectus est miraculorum præter quem adhuc alios habent, quales sunt: reconciliare Euangelio ut nouæ ac incognitæ mundo doctrinæ, fauorem, inuitare homines ad credendum Euangelio &c. Sanitatis, signorum, & prodigiorum uocabulis, ecclesia circumloquitur miracula in genere omnia. Sanitatis miracula, ut communiora præponit.



Per nomen sancti filij tui  
Iesu.

Hæc ad formalem miraculorum causam spectant, que in nomine seu uirtute Iesu Christi consistit. De hæc causa satis egimus supra.

Et cum orassent. In genere, pro gratias egissent, & petiissent.

Motus est locus, in quo erant congregati.

In signum exauditionis à deo factæ. Exauditio effectus est orationis in fide factæ, de qua testatur effectus.

Et quia deus exaudiuit ecclesiam, ostendit se sue promissionis de exauditione tenacem esse.

Item, quia hic deus exaudit ecclesiam, monemur, ut oremus, nihil dubitantes de exauditione.

Porrò exauditio ut effectus orationis, non sequitur propter orationem ex opere operato, sed propter promissionem, quam deus orantibus fecit, quam quia fides apprehendit, igitur impetrat exauditionem.

Copiosè dei misericordie signum est hæc loci motio deus enim non solum exaudit ecclesiam, uerum etiam signo de exauditione confirmat. Motio præcedit repletionem spiritus sancti, in hoc, ut sciamus, nos prius moueri, antequam à spiritu sancto confirmemur.

Et

Et repleti sunt omnes spiritus sancto

Id est, certi facti sunt per spiritum sanctum de exauditione, & simul animati fuerunt per spiritum sanctum, ad confitendum Euangelium cum fiducia.

Repleti: notatur liberalitas spiritus sancti & commendantur eius diuitiæ.

Repleri spiritus sancto, est eum hic ex dono accipere in confirmatorem, ut cum fiducia Euangelium confiteamur: deinde est accipere eius donum ipsam confortationem, ut ualeamus cum fiducia confiteri Euangelium.

Omnes: spiritus sanctus pro omnibus est spiritus sanctus, sicut & dona eius.

Et loquebantur uerbum dei cum fiducia.

Loqui uerbum dei cum fiducia, effectus est repletionis spiritus sancti. Enthymema. Repletio spiritus sancti efficit nos loqui uerbum dei cum fiducia: Ergo ante spiritus sancti repletionem, non loquimur uerbum dei cum fiducia. In summa, loqui uerbum dei cum fiducia, donum spiritus sancti est, non nostrarum uirium.

Loqui uerbum dei cum fiducia, est illud cum apertione oris liberè confiteri. Fiducia, quibus opponatur uitijs, paulo ante dixi.

Multitudinis autem credentium erat  
cor unum & anima una.

Quæ nunc sequuntur, de concordia & unanimitate  
ecclesiæ primitivæ agunt: item de charitatis operibus,  
quibus ditiores iuuarunt in primitiva ecclesia minus dis-  
uites: item, de miraculis, quibus confirmarunt Aposto-  
li doctrinam Euangelij.

Vsus uerò omnium horum sequentium bonorum ope-  
rum est, ut ecclesia illis ipsis ostendat se gratã deo pro  
facta exauditione, & alijs beneficijs à deo acceptis, tes-  
tetur de accepta iusticia & de fide: item inuitet alios  
ad suscipiendum Euangelium: Multitudinis autem  
erat cor unum & anima una: id est, ecclesia consenti-  
entibus cordibus, & foris in externæ uitæ moribus con-  
corditer uiuebat. Et hæc uera est charitas, quæ consensu-  
tiente animo, & factis externis simul constat.

Repetit hic Lucas concordiam ecclesiæ, de qua etiã  
supra magnificè meminit. nec sine causa. & illa insigni-  
est enim concordia symbolum ueræ ecclesiæ: præterea  
unum medium inter præcipua, per quæ succrescit uera  
doctrina unã cum ecclesia. Cor unum & anima:  
eyn hertz / eyn syn: eyn he: z / eyn gemüt.

Porrò ut concordia ecclesiæ ad multa utilis est: ita  
discordia omnis mali autrix.

Habes in hac primitiua ecclesia, uiuam imaginẽ semper duraturã uerẽ ecclesię, quę nunquã se aliter habet, atq; primitiua ecclesia.

Nec quisquã eorum, quę possidebat aliquid suum esse dicebat.

Id est, tanta erat in ecclesia, concordia, & ita libera liter inter se uiuebant omnes, opes, fortunas, consilia, & studia ita inter se conferebant, ut non esset inter eos, qui egeret. Quę mea sit sententia de cõmuniõne bonorum satis declarauit supra in 2. cap. quę huc referri possunt.

Nec quisquã eorum: liberalitas hæc effectus est concordie ecclesię, cuius est unum cor & anima una. Nec quisquã, quia omnibus erat cor unũ & anima una.

Quę possidebat: aut ueteri occupatione, aut uictoria, aut lege, aut pactione, aut conditione, aut sorte, aut successione &c. Aliquid suum esse dicebat: scilicet, ita proprium ac priuatum, quasi ex charitate nihil deberet proximo egenti. Siquidem sine peccato dicere possum, hoc meum est: at sine peccato non possum dicere: hoc ita meum est, quod nihil ex charitate debeo de hoc meo, egenti proximo.

Sed erant illis omnia communia.

Hoc est, diuites ex sua copia succurrebant aliorum inopiã. Hęc enim uera est bonorum cõmuniõ, teste Apostolo. 2. ad Cor. 8. & 9.



Communia: respectu liberalitatis, non possessiones.  
 Et uirtute magna reddebant Apo-  
 stoli testimonium de resur-  
 rectione domini Iesu.

Id est, miraculis doctrinam Euangelij cōfirmabant,  
 & testabantur de eius ueritate.

Virtute magna: posita causa, pro ipsis effectibus,  
 hoc est, pro miraculis. Virtus enim causa miraculorum  
 est, de qua supra. De resurrectione domini Iesu: id est,  
 de doctrina Euangelij, posita una parte Euangelij, pro  
 toto Euangelio, seu rebus ad illud pertinentibus. Est au-  
 tem resurrectio potissima Euangelij pars.

Domini: recte utitur Lucas domini uoce circa res-  
 surrectionē, qua factus est dominus supra oues et boues  
 Psalm 8. supra omnem principatum, ad Ephes. i. &c.

Et gratia magna erat in eis,  
 omnibus.

Id est, omnes misericordie operibus excellabant.

Cōmendatur innocentia personarum, in doctrina, et  
 uite moribus, in primitiua ecclesia.

Nec enim quisquam egens erat  
 inter illos.

Aetiologia magnæ gratiæ à liberalitate seu miseri-  
 cordiæ operibus in egentes. Enthymema. Inter illos  
 non

Non erat egens: Ergo inter illos magna erat gratia.

Neque enim, &c. Hæc uerba expositoria sunt cõmunis rerũ, de qua hic loquitur Lucas. Habebant igitur omnia cõmunia: id est, non ferebant inter se egentem.

Quotquot enim possidebant agros  
aut domos.

Aetiologia alia cur non erant inter illos egentes, sumpta à liberalitate. Enthymema. Quotquot possidebãt agros, &c: Ergo inter illos non erat egens. Quotquot enim possidebant: diuites tantum alligantur ad misericordie opera: qui pauper est, nec habet, non alligatur. Posteriore ad Corinth. 8. Non ut alijs relaxatio sit: uobis autem molestia. Ibidem. Vestra copia illorũ succurrat inopie. Possidebant: ex abundantia & copia. Iuxta illud. Vestra copia, illorum succurrat inopie.

Agros aut domos: quaecunq; bona.

Vendentes. Ut possent charitatis operibus inseruire proximo. Afferebant precia.

Præ ardore iuuandi proximum.

Et ponebant ante pedes Apostolorũ.

Exaggeratur charitas & misericordia erga egentes in primitiua ecclesia. Hodie ad charitatis & misericordie opera, nulli magis frigent, quàm qui ex copia liberalissimè possunt inopie sui proximi succurrere.

Ante pedes Apostolorum : in signū se abdicasse animum à diuitijs, & porro se uelle illis ad gloriam Dei et utilitatem proximi uti. Satisfecerunt ergo hic credentes primitiue ecclesie, præcepto Christi de paupertate Euangelica, Matthæi. 19. Vade, uende quæ habes, & da pauperibus : id est, abdicā animū à bonis, et simul tuis bonis iuuā egentē. Est enim euangelica paupertas, abdicare animum, à bonis & illis iuuare proximū egentem

**Diuidebatur autem singulis.**

Et hæc exponunt, quæ fuerit bonorum communio in primitiua ecclesia: nimirū honorū diuisio et distributio

Diuidebatur: Anabaptistica rerum communione quisq; accipit, quæ uult. aut quit us opus habet.

Iesus autem. Illustrat præcedentē liberalitatē primitiue ecclesie, exemplis, quibus & certa facit præcedentia. Exemplum liberalitatis, charitatis, & misericordie in Iesu est: item paupertatis Euangelicæ.

**Qui cognominatus est Barnabas ab apostolis.**

A dono fertassis, quod habuit consolationis, quo potuit præ alijs egregie consolari homines uerbo.

Leuites. Commendatio Iesus à uite conditione.

Cyprius genere. Commendatio à natione seu patria. Spectant hæc commendationes ad genus demonstratiuum

stratiuum

stratium & uult illis ostendere Lucas suam diligentiam  
& simul Iesum commendare.

Cum haberet agrum.

Ex copia. Posteriore ad Corinth. s. uestra copia illo-  
rum succurrat inopia. Vendidit.

Ut posset egenti proximo succurrere.

Attulit præcium. In signum se abdicasse ani-  
mum à bonis, & se iam paratū esse illis iuuandi proxi-  
mum inopia laborantem.

C A P V T V.

**M**ONUIT Lucas circa finē præcedentis Ca-  
pituli de æqualitate rerum qua usa est primi-  
tiua ecclesia, eamq; à suis effectibus faberrimè depinxit  
& illis non parcis, sed liberalissimis. Et ut illius æqua-  
bilitatis rerum uiuam quandam imaginem haberemus,  
exemplum illustre in Barnaba proposuit: porro iam  
instituet sermonem de qualitate æquabilitatis rerum  
apud primitiuam ecclesiam, que non fuit res quedam  
coacta, aut talis, quod quis ex inopia eam exercere co-  
actus fuisset, nec potuisset Christianus esse, etiamsi reser-  
uasset propria sua bona: imò res libera fuit & sponta-  
nea, ut qui ex copia abundaret, liberè & spontaneè im-  
partiret egenti proximo, que uellet: qui autem ipse ege-



ret suis bonis, non daret ex molestia aut necessitate.

Et de hac qualitate æquabilitatis rerum idem sentit Apostolus. 2. ad Corinth. 8. & 9. octauo ait. Facite ut in hac quoq; beneficentia abundetis. Non secundum imperium loquor, sed per sollicitudinem, erga alios etiam uestre dilectionis sinceritatem approbans. Nostis enim beneficentiam domini nostri Iesu Christi, quod propter uos pauper factus sit, cum esset diues, ut uos illius paupertate ditesceretis & c. Ibidem. Nunc autem & illud, quod facere coepistis, perficite, ut quemadmodum uoluntas prompta fuit, ita & perficiatis, ex eo quod potestis. Etenim si prius adsit animi promptitudo, ea iuxta quicquid illud est, quod possidet aliquis accepta est, non iuxta id quod non possidet. Non autem ut alijs relaxatio sit, uobis autem angustia: sed ut ex æquabilitate in presenti tempore, uestra copia, illorum succurrat inopia. & illorum copia uestræ succurrat inopia, ut fiat æquabilitas, quemadmodum scriptum est. Qui multum habebat, huic nihil superfuit: & qui parum habebat, is nihilominus habuit.

Nono Capite sic inquit Apostolus. Vnusquisq; secundum propositum cordis: scilicet det, non ex molestia aut necessitate. Nam hilarem datorem diligit Deus

Quibus uerbis liberat Apostolus æquabilitatem re

rum, quæ debet esse inter Christianos, ab omni coactione molestia, & necessitate, id quod etiam Petrus hic facit dum ait ad Ananiã. Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te spiritui sancto, & fraudare de precio agri. Nonne manens tibi manebat, & uenundatum in tua erat potestate?

Contra hanc nunc prædictam qualitatem seu formã æquabilitatis rerum, peccauit Ananias, qui non liberè neq; spontaneè, sed ex molestia & cum fraude exercuit æquabilitatem rerum.

Non peccasset Ananias, si ipse egens propria ac priuata sua seruasset: nec fecisset peccatũ, si dedisset, quantum potuisset ex abundantia: uerum peccauit, quia ex molestia dedit, & ut hypocrita uoluit decipere ecclesiã non iuuit egentes, quantum potuit ex copia: item, peccauit, quia corde adhesit suis bonis, laborauit auaritia, confisus est in pecuniam, sperauit in eam, & similibus peccatis obnoxius fuit, quæ sunt diuitijs plerunq; cognata uicia.

Ananias ergo unã cum uxore, eorum typus est, qui in ecclesia exercent quidem misericordiæ & beneficentiæ opera in egentes, sed ex molestia, & ut uideantur ab ecclesia esse Christiani: item typus est omnium corũ qui uolunt esse Christiani, interim tamen cordibus adherent

herent suis bonis, laborant auaricia, cōfidunt in possessiones sperant in eas, & cum possunt largiter iuuare egentem proximum ex sua abundantia, tamen id non faciunt: item, eorum t. pus est, qui in ecclesia agunt hypocritas, non aperte, sed cum dolo & fraude agentes omnia. Falsum est Anabaptistarum somnium, Ananiam unā cum uxore idē perijisse, quia non omnia sua bona cōmunia fecit: quare nos debere omnia cōmunia facere, ne similiter pereamus. Si quidem habuit Ananias grauiores sui interitus causas.

Sed quæris causas tam horribilis interitus Ananias & uxoris eius? Respondeo. Ananias unā cum uxore, quæ peccata cōmiserit, paulo ante dixi. Debit autem tam horribili supplicio perire, et sic unā uxor, quia grauiusimè peccauit, non solum coram ecclesia, sed etiam coram ipso deo. Audiuimus enim in quanta unanimitate steterit ecclesia, in quanta concordia, amicitia & integritate: item, quantam beneficentiam operata sit in egenos, & huiusmodi alia bona opera, quibus fidem suam declarauit ecclesia: ab omnibus illis Ananias cum uxore desciiuit postea: quare ut deus ostenderet, quā ualde sibi displiceret Ananias & uxoris eius defectio, & alij in posterum haberent terroris exempla, uoluit eum tam horribili supplicio interire Deus.

Discimus itaq; exemplo Ananiæ uxorisq; eius, quo prompto & hilari animo demus, non ex molestia: & quando ex abundantia possumus, mutum & liberaliter demus: non faciamus fucū ecclesiæ, non fraudemus illam nostra copia, non mentiendo fingamus nos pauperiores, quàm sumus, non agamus hypocritas in ecclesia caueamus nobis, ne corde adhareamus bonis, non laborremus auaritia, non fidamus in pecunia, in ea non speremus, &c. Hæc et similia nõ curauit Ananias, neq; uxor eius, quare in grauissima peccata & simul in grauissimum supplicium inciderunt.

In peccato Ananiæ & uxoris eius uidemus diuites non simpliciter obligari ad misericordiæ opera, sed ita obligari, ut liberaliter dent de sua copia, non defraudent egentes, ut illis ex parte iuuent, ex parte non iuuent sicut fecit Ananias & uxor eius.

Vir autem. Coherentia pendet ex coniunctione copulatiua. Nomine Ananias.

Nomen addit propter historiæ certitudinem, in quæ usum accedit & uxoris nomen.

Vendidit agrum.

Ex abundantia, uel ut hac uenditione uideretur Christianus. Nam hypocrita fuit.

Et fraudauit de precio agri.

Ex



Ex auaritia, & quia adherebat pecunia, in illa fixa  
 debat, in illa sperabat, ex molestia, ex hypocrisi, & ex  
 alijs causis Fraudare de precio agri effectus est præ  
 dictarum causarum. Enthymema. Ananias labora  
 bat auaritia, hypocrisi &c. Igitur Ananias fraudauit  
 de precio agri. **Conscia uxore sua.**

Que ex iisdem causis, ad eandem fraudationem mota fuit.

**Et adferens partem quandam.**

Prædictis causis impeditus una cum uxore.

Adferens partem quandam: id est, cum ex abun  
 dantia posset omnem agri pecuniam adferre.

**Ad pedes apostolorum posuit.**

In hoc ut uideretur esse Christianus, qui tamen in  
 corde non erat. Ad pedes Apostolorum posuit: hypo  
 crita, quantum ad externos gestus attinet, à uerè pijs ni  
 hil discrepant. Verè pijs ponebant suam pecuniam ad  
 pedes Apostolorum: idem faciebat & Ananias. Vis  
 itaq; scire quid sit hypocrisis, hic discite. Hypocrisis, est  
 simia ueræ pietatis, & operum pietatis ueræ. Idem est  
 hypocrita. **Dixit autem Petrus.**

Summa est responsi Petri, eos grauissimè peccare  
 contra Deum, qui cum possunt ex copia ac abundantia  
 iuuare egentem proximum, non iuuant, auaritia et alijs  
 cognatis eis uitijs, impediti: item, qui ex molestia exer  
 cent

cent in mera hypocrisis misericordie opera, in hoc, ut videantur esse Christiani, cum nihil minus sunt in cordibus.

### Anania.

Abruptum exordium sine insinuatione, quo mone-mur, ut ore rotundo sine ullis ambagibus, detegamus hypocritis suas fraudes.

### Cur tentauit Satanus cor tuum.

Questio de causa peccati in Anania, quae Satanus est. Discimus hic à qua causa principali sit peccatum nimirum à Satana, quem etiam Christus Ioannis. s. omnis peccati causam principalem facit: inquit. Vos ex patre diabolo estis, & desiderijs patris uestri uultis obsequi. Ille homicida erat ab initio, & in ueritate non stetit: quia non est ueritas in eo. Cum loquitur mendaciū ex proprijs loquitur, quia mendax est, atq; eius rei pater. Homicida erat: id est, homicidij & sic omnis peccati autor. Veritas non est in eo: ergo peccatū tantum. Mendacium ut una species peccati ponitur pro omnibus peccatis reliquis. Ex proprijs loquitur: haec uerba apertissime testantur Satanam esse autorem peccati, & excusant Deum ut peccati autorem.

Tentauit: tentat Satanus ad peccandum: igitur facilius nos, qui sumus infirmi, ad peccandum commouemur.

Nota diligenter impulsione[m] Satanae ad peccata, uocari tentationem ut scias serio agere Satanã, ut nos faciat peccare. Satanã tentat ad mala seu peccata, nõ Deus. Iacobi. 1. Ne quis cum tentatur. se dicat se à Deo tentari (scilicet ad mala) nam Deus ut malis tentari nõ potest, ita nec ipse quenuquam tentat & c. Satanã: omnis peccati autor. Cor tuum: Ananiã peccatum, cordis peccatum fuit: foris enim noluit ut hypocrita uideri Ananiã peccare. Cordis uocabulo discernit Petrus inter interna peccata et externa: illa scaturigines sunt externarum: hæc fructus seu riuuli defluentes.

Falsa est Monachorũ, & scholasticorum opinio, qui sentiunt externa uicia tantum peccata esse. Petrus enim hic cor sedem peccati facit, et cor ipsum arguit de peccato. Opinioni illius falsæ occasio est, locus hic philosophicus. Deus non iudicat de adfectibus. At iudicat de adfectibus Deus, teste Apostolo, ad Rom. 2. ubi ait. Sci mus autem quod iudicium Dei secundum ueritatem est id est, quod Deus non solum iudicat secundum externa facta, sed etiam cor ipsum. Et Christus Matth. 23. cogitationes ex corde profluentes, peccata facit. Nam ex corde exeunt cogitationes malæ & c.

Cor tuum inquit: ergo intus mali esse sepe possunt qui foris boni in speciem apparent.

Mentiri

## Mentiri te spiritui sancto.

In Græco est, *ψευσαομαι σε το πνευμα το αγιον*, quæ si uertas, sic sonant: mentiri te spiritum sanctum. Est autem mentiri spiritum sanctum hoc in loco, sub prætextu spiritus sancti mentiri: hoc est, uelle uideri ex spiritu sancto agere, cum nihil minus ex illo agas. Sic mentitur fidem qui sub fidei prætextu malè agit. Sic mentitur religionem, qui sub prætextu religionis uult uideri religiosus, qui tamen reuera non est.

Mentitur Ananias spiritui sancto, quia spiritum sanctum suæ fraudis prætextatorem et obpalliatorem facit. Mentuntur omnes spiritui sancto, qui sub prætextu pietatis peccant. Sic hodie mentiuntur spiritui sancto, qui sub prætextu Euangelij suscepti, tamen pessimè uiuunt: qui sub fidei prætextu, nihil nõ mali agunt: qui sub prætextu christianæ libertatis, sequuntur quæ eius carnalia &c. Mendacium ut una species peccati, ponitur pro omnibus alijs, quæ sub prætextu spiritus sancti aut pietatis peraguntur. In summa mentiuntur spiritui sancto, qui foris ex spiritu sancto fingunt se esse, qui in cordibus non sunt.

Et fraudare de precio agri?

Notat hypocrisim in Anania, qui foris in speciem uideri uult pius.

r Fraudare



Frundare de precio agri: id est, partē precij impartiri egentibus, cum posses ex copia & abundantia omne agri precium dare in usum pauperum.

Nōne manens tibi manebat.

Exaggeratio peccati in Anania, à libertate seruandī agrum & non seruandī, & à libertate dandi precium uel non dandi. Monent nos hæc de qualitate cōmunitatis rerum in primitiua ecclesia, quæ non fuit coacta beneficentia, sed libera & spontanea, ut qui abundaret, ex copia, liberè et spontaneè impartiret egenti proximo, quæ uellet: qui uerò ipse egeret suis bonis, non daret ex molestia neq; ex necessitate.

Manens tibi manebat: Hebraismus, quo exprimitur pura libertas seruandī agrum.

Et uenundatum in tua erat potestate?

Vt seruares precium agri, aut dares in usum pauperum. Potest hinc desuuri cōmunitas rerum in primitiua ecclesia, ut supra.

Decuit cōmunitatem rerum in primitiua ecclesia liberam esse, & hodie decet, ne demus ex molestia & necessitate, id quod peccatum est contra ueram formam beneficentiæ in pauperes.

Cōmunitas rerum, quam hodie fingunt Anapaptistæ  
coacta

coacta est, non libera: igitur cōmunitati rerum in pri-  
mitiua ecclesia aduersatur, unde & merito nobis suspe-  
cta esse debet. Enthymemata. Licet seruare sua  
bona: Ergo cōmunitas rerum inter Christianos est  
res libera. Item.

Vendita bona in nostra sunt potestate: Ergo cōm-  
munitas rerum inter Christianos, est res libera.

Quare posuisti in corde tuo  
hanc rem?

Interrogatio cum admiratione, qua Petrus audaciā  
in Anania admiratur, qui ausus fuit tantum peccatum  
in corde concipere. Exaggerat ergo & his Petrus gra-  
uitatem peccati in Anania.

In corde ponere, est in corde concipere uel accipere

Queri hic solet, cum peccatum Anania, cordis pec-  
catum fuerit, quomodo Petrus illud cognoscere potue-  
rit? Respondetur. Ex singulari dei reuelatione, qui suo  
tempore reuelat subinde ecclesie hypocrisim impiorum.  
Nostrarum uirium per se non est cognoscere hypocri-  
tas. Vide parabolam Matthaei 13. de Zizanijs agri.

In corde tuo: qui foris in specie: nihil minus uideri uo-  
luisti. Hanc rem: tam graue peccatū quale est sub pra-  
eceptu spiritus sancti seu pietatis decipere.

Non es mentitus hominibus,  
sed deo.

Spectant & hæc ad exaggerationem peccati in Anania, ab obiecta persona, cui mentitus est.

Enthymema. Qui sub hypocrisis decipiunt, deo mentiuntur: Ergo hypocrisis grauisimum peccatum est. Non es mentitus hominibus: quia non sub hominum prætextu aut titulo mentitus es.

Sed deo: sub cuius prætextu & titulo es mentitus, ac quem in speciem finxisti tui facti autorem.

Apertus est hic locus contra eos, qui negant spiritum sanctum deum esse. Rectè dicitur Ananias hypocrita deo mentitus esse, qui solus cognoscit cordis hypocrisis & eam manifestam facit alijs.

Audiens autem Ananias hæc uerba,  
cecidit & expirauit.

Sequitur horribilis pœna hypocriseos & fraudis in Anania, qua docemur, hypocrisis esse grauisimum coram deo peccatum, & ut nunc hypocrisis, ita & fraudulencia erga egentem proximum, quem cum potes ex copia iuuare, nec iuuas, auaricia, studio et fiducia pecunie impeditus. Causas alias tam horribilis pœna, ut de supra circa initium Scholiorum huius capituli.

Enthymemata.

Hypoc

Hypocrita Ananias miserrimè obiit: Ergo hypocrisis grauiſſimum eſt coram Deo peccatum, & imminet illi grauiſſima poena. Item.

Ananias defraudans pauperes, miserrimè obiit:

Ergo defraudatio pauperum grauiſſimū eſt coram deo peccatum, & defraudatores pauperum miserrimè peribunt, dabuntq; grauiſſimas poenas. Audiens: miſericordiae diuinæ opus fuit, quod non ſtatim obierit Ananias, uerum prius audierit deteſtionem ſui peccati.

**Cecidit & expirauit.**

Coniunctio cauſæ & effectus, ut ſignificetur modus mortis, & mors perfectæ. Cadere cauſa eſt. Expiratio effectus. Vtinam hodie expenderent ſupplicium Ananias, qui ſub hypocrifi & pretextu pietatis decipiunt homines.

**Et factus eſt timor magnus ſuper omnes qui audierunt.**

Timor hic res cognata eſt, quæ ſolet ſequi periculofos euentus. Prodeſt hic agere de finali cauſa tam horribilis euentus cum Anania, qui in hoc contigit, ut timor incuteretur eccleſiæ, et daretur illi occaſio cauendi ſibi de hypocrifi, de fraudatione egentis proximi, & alijs uicijs, & hypocrifi & fraudationi commexis.

Obſerua in Ananias poena, uſum generalem omnium



periculosorum euentuum in impijs, qui est, ut inde discant timere pij, & ab impietate sibi cauere. Enthymema consolatorium pro pijs. Peccatorum uindex deus est: Ergo peccatores non erunt impuniti. Magnus: exaggeratio timoris ex qualitate. Super omnes: exaggeratio timoris à circumstantia personarū. Audierunt auditus causa timoris fuit.

### Surgentes autem iuuenes.

Exemplum charitatis seu hospitalitatis in his iuuenibus est. De natura charitatis uera est, non respicere inter diligendum circumstantiam personarum, sed exemplo dei patris coelestis, qui sinit solem suum oriri super bonos & malos, inseruire alijs Et Apostolus ait, ad Gal. 6. Itaq; dum tempus habemus, operemur bonum, cum erga omnes, tum uerò maxime erga domesticos fidei.

### Factum est autem quasi horarum trium spacium.

Cohærentia à circumstantia temporis.

Exemplum Saphiræ simile est per omnia cum exemplo Ananiæ ex similibus causis & effectibus, monens nos, quantum peccatum sit, sub prætextu pietatis mentiri, & quam horribilis pœna, mendacium illud sequatur

Horæ

Horarum trium spacium: circumstantia temporis certam quoq; reddit historiam.

Et uxor ipsius (nesciens quod factum fuerat) introiuit.

Ex consilio ac dispositione Dei. Nesciens quod factum fuerat: ignara obitus mariti.

Dixit autem ei Petrus.

Interrogat Petrus & uxorem Ananiæ, ut hanc saluam retineat, modo confiteatur ueritatem, id quod charitatis est in Petro, qui cupit eam lucrari deo.

Dic mihi mulier.

Questio de precio uenditi agri.

Tanti ne agrum uendidistis?

Quanti illum uenditum confessus est maritus tuus?

At illa dixit. Auaritia, studio, cura, fiducia pecuniæ, & alijs cognatis uitijs commota.

Exemplum hypocrisicos & posita fiducia in diuitias in Saphira. Etiam tanti.

Idem mendacium uxoris atq; mariti, contra spiritum sanctum, quo ductore et autore uterq; falso gaudet.

Petrus autem ait ad eam.

Confessione maritæ doctus & certior factus.

Cur conspirastis inter uos.

Tribuit Petrus peccatum liberæ uoluntati & Ananiæ & uxoris.

Conspiratio hæc effectus est tentantis Satanae.

Tentare spiritum domini?

Id est, sub prætextu spiritus sancti seu pietatis menti  
ri, quasi oblationem partis precij de agro, in uobis ope  
ratus sit spiritus sanctus, & uos ex uera pietate exerce  
atis misericordiae opera, cum interim in mera hypocrisis  
faciatis omnia? Spiritum domini: quem mittit dominus,  
aut qui à domino procedit Tentare spiritum domini, est  
eum falso adducere causam operis, cuius ipse causa nõ  
est. Ecce pedes eorum.

Ecce os presentes. Loquitur hæc Petrus ex singula  
ri Dei consilio ac reuelatione, ex qua certus erat de in  
teritu Saphiræ. Non debet interitus Saphiræ tribui uin  
dictæ humane in Petro, sed diuine uindictæ, sicut & in  
teritus Ananiæ.

Qui sepelierunt uirum tuum.

Comminatio poenæ & interitus Saphiræ.

Confestim. Circumstantia temporis cõmen  
dat potentiam ac efficaciam comminationis in Petro, et  
ostendit quàm potens atq; efficax sit uerbum in pijs, et  
quàm potentes ac efficaces sint piorum preces.

Oblique commendat circumstantia temporis & pot  
tentiam clauium in ministris uerbi. Enthymema.

Ad uerba Petri confestim cecidit mulier: Ergo uer  
bum in ministris potens est. Cecidit

**Cecidit.** Casus effectus est fidei in Petro, quæ certè statuit casurã Saphiram ex permissione Dei. Est etiam casus hic occasio quædam ad mortem. Oportuit enim cadere mulierem, quæ debuit expirare.

**Expirauit.** Emisit spiritum. Emittere spiritum theologicæ uoces sunt, sicut fundere animã philosophicæ & poëticæ. Vsus interitus Saphiræ, idem est cum interitu Ananiæ, de quo supra.

**Intrantes autem iuuenes.**

Et in his iuuenibus exemplū charitatis & hospitalitatis est. Et fuit timor magnus in uniuersa ecclesia.

Ex hoc timore collige finalem usum interitus impiorum, qui est, ut uerè pij inde timere discant, & sibi cauere, ne in similem interitum incidant: Magnus: hæc uox exaggerat timorem. In uniuersa ecclesia: scilicet uera.

**Et in omnibus alijs, qui audierunt hæc.**

Etiam in illis, qui non erant de ecclesia uera. Auditus timoris causa fuit in uniuersa ecclesia et in alijs omnibus: ergo & in nobis causa eiusdem esse debet. Hæc de interitu Ananiæ & Saphiræ.

**Per manus autem Apostolorum.**

Autem conestendi particula est.



Porro quia Euangelium erat noua ac mundo incognita doctrina: quare sequuntur nunc miracula, per quae Apostoli illam confirmarunt. Hic namque omnium miraculorum finalis quidam usus est. Per manus Apostolorum: tanquam per instrumenta & organa, in quibus Deus operabatur miracula. **Signa & prodigia multa. Varia miracula. In plebe.** Pro confirmanda plebe, & ut ad Euangelium plebs prouocaretur. **Et erant unanimiter omnes in porticu Solomonis.**

Orandi causa congregati. *Vnanimitas animorum, est & externae concordiae. Est praeterea unanimitas de formali causa orationis uerae, quae sine disceptatione & rixa fieri debet.* 1. ad Timoth. 2. Volo igitur orare uiros in omni loco, sustollentes puras manus absque ira & disceptatione. In porticu Salomonis orant ex nulla superstitione loci, sed tantum quia Deus uerbo se ibi exauditurum preces Iudaeorum promiserat. Hodie sublato uerbo promissionis, libertatis Christianae est, in omni loco orare. Ioan. 4. Mulier, crede mihi, uenit hora quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis patrem. Vos adoratis, quod nescitis, nos adoramus, quod scimus: quia salus ex Iudaeis. In porticu Salomonis conueniunt oraturi Apostoli: igitur in publico or-

ne non semper est peccatū, sed tum peccatū est, quando fit oratio ad ostentationē, Mat. 6. Et cū oraueris, nō eris quemadmodū hypocritæ. Nam illi solent in conciliabulis & in angulis platearum stantes orare, quo confitebuntur sint hominibus. Solomonis : ab ædificatore.

**Cæterorum autem nemo audebat se adiungere illis.**

Terebantur enim metu Pharisæorum. Exemplum infirmitatis in his, qui ex metu crucis aut non audent suscipere Euangelium, aut susceptum non profiteri. Hi eorum typum gerunt, qui cruce territi, non audent palam confiteri ueritatem, quam certam tenent, iustificanti eā & pro iusta doctrina cognoscunt. Audebat : ex metu territus. Coniungere illis : aperte, aut suscipere aut confiteri doctrinam Apostolorum.

**Sed magnificabat eos populus.**

Et personas confitentes ueritatem, & ipsam ueritatis doctrinā cōmendabat, & pro certa ac uera tenebat. Magnificare est hic in precio habere. Viel von den aposteln vnd ihrer lehr halten.

**Magis autem augebatur credentium in domino multitudo.**

Id est, sic cooperante domino, & liberante homines à metu, ut non timerent amplius se adiungere Apostolis suscipere Euangelium, & confiteri illud. Magis

*Magis : à domino confortatus populus.*

*Augebatur : ecclesia sensim ac sensim fit auctior.*

*Verbum augebatur commendat gratiam.*

*Credientium in domino : certa fide statuentiū, Christum esse dominum mortis diaboli, peccati, &c.*

*Multitudo : commendatur potentia uerbi & miraculorum in Apostolis, quibus inuitantur homines ad credendum Euangelio.*

### **Virorum ac mulierum.**

*Sine respectu personarum. Ante deum enim non est, προσωποληψία.*

### **Ita ut in plateas efferrent infirmos.**

*Sequuntur effectus credentium in domino, qui sunt in plateas efferre infirmos, & ponere in lectulis & grabatis. Siquidem postquam credidit in domino multitudo uirorum & mulierum, statuit Apostolos per dominum, potentes esse sanare infirmos.*

*Efferre infirmos in plateas, & ponere eos in lectulis ac grabatis, effectus sunt fidei, certo statuentis de sanitate infirmorum, impetranda à domino, in quem crediderant. Est charitatis quoq; efferre infirmos & ponere in lectulis ac grabatis. In plateas : nihil dubitantes de restitutione infirmorum. Infirmos quoscunq; :*

*Lectuli*

Lectuli & grabbata exaggerant infirmitatem in infirmis, ut postea magis illucescat potentia uerbi, quo curarunt Apostoli infirmos.

**V**t ueniente Petro, saltem umbra illius obumbraret aliquem illorum.

Commendatur magnitudo fidei in credentibus, quæ tanta fuit quod certissime sibi persuaserit de sanitate infirmorum, per Petrum et Apostolos, ut certa media per quæ esset deus operaturus eam, impetranda.

Ridiculum est opinari, credentes fiduciam aut spem aliquam sanitatis in umbra Petri posuisse. Vide ea, quæ dixi in 9. cap. Matthæi, de muliere simbriam uestimenti Christi attingente.

Saltem umbra illius, &c. Periphrasis magnæ fidei, atq; certæ, quæ nihil dubitauit de sanitate infirmorum.

Et per umbram rectè intelligimus præsentiam Petri & reliquorū Apostolorum, ut sit sensus: credentes certò sibi persuasisse de sanitate infirmorū, modò præsens sit Petrus unà cum Apostolis qui eam uerbo perficiant.

Supra confessus est Petrus cap. 3. quod in nomine Iesu restituerit claudū: ergo non sit uerisimile, quod passus sit Petrus, suæ umbræ tribui, quod solius uerbi aut uirtutis Iesu fuit.



Christus ipse Matth. ei. 8. legitur malè habentes uerbo sanasse non sua umbra, unde multo minus Petri umbra sanitatem reddidit infirmis. Verba Matth. ei sunt. Et eiecit spiritus uerbo, omnesq; malè habentes sanauit.

Ceterum qui simpliciter inhaerent uerbis ipsius textus, eos oportet concedere in credentibus exemplum infirmitatis, ex qua haeserunt in persona Petri & aliorum Apostolorum, quemadmodum & illi supra cap. 3. ad quos dixit Petrus. Viri Israëlita quid miramini in hoc, quasi nostra uirtute aut pietate fecerimus hunc ambulare? **Conueniebat autē & multitudo.**

Scilicet ex audito rumore, quod Apostoli in uirtute nominis Iesu curarent egrotos, mota multitudo.

Enthymema. Multitudo conueniebat: Ergo multitudo audierat de rumore, quod Apostoli curarēt egrotos.

Argumentum ualet ab antecedentibus ad consequentia. Multitudo: hæc uox exaggerat potentiam & efficaciam rumoris sparsi de Apostolis passim infirmos sanantibus. Natura Euangelij hic expressa est, quod est letus rumor seu nuncium letum de sanitate, ad quod multitudo conuenit. Lex autē tristis rumor est, & nuncium triste de infirmitate, ad quod pauci hoc est, tantum Iudei & si qui sunt profecti, conueniunt Enthymema.

Ad Euangelium multitudo conuenit: Ergo est potens efficax, & leta doctrina.

Afferentes

**Afferentes ægros.** Ex fide ut causa moti, qua statuerunt allatores de sanitate egrorum in uirtute Christi per Apostolos impetranda. Enthymema. *Afferunt ægros: Ergo fide statuunt de sanitate. Aegros: uox hæc genus est omnium malè habentium.*

**Et uexatos à spiritibus immundis.**

Addit Lucas unam speciem egrorum, ad significandum reliquas omnes. *Uexatos: exaggeratio morbi. Est enim uexari miserè tribulari. Seruit exaggeratio morbi ad cõmendationem potentiæ uerbi, quod potens fuit uexatos à spiritibus immundis sanare. Spiritus immundos uocat, quia natura sunt immundi, et alios immundos faciunt. Natura: scilicet, qua nunc post lapsum sunt præditi.*

**Qui curabantur omnes.**

*En potentiam & efficaciam uerbi, omnes infirmos curare potentis. Commendatur uerbum à potentia sua ac efficacia: item à potentibus & efficacibus.*

*Enthymema. Verbum omnes curat: Ergo uerbum potens atq; efficax doctrina est. Scire uerbi potentiam ac efficaciam, ad hoc utile est, ut discamus tam potenti et efficaci uerbo adherere, quod reuera est uirtus Dei, ad salutem omni credenti, ad Rom 1.*

*Porro ut nunc potentia ac efficacia uerbi, ad hoc ipsum amplectendum, inuitamur: ita præpotenti & efficaci hoc uerbo discimus impotentem inefficaciam*

cem doctrinam, quæ est humanarum traditionum desererere. Subministrat præsens locus definitionem Euangelij quod est doctrina curans omnes. Potest & circa hunc locum institui collatio Euangelij & legis.

Illud est doctrina curans omnes. Hæc doctrina patios curans, & illos tantum in corpore. Ad Hebræos. 9. Quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum reddere cultorem, in cibis duntaxat, & potionibus, & diuersis ablutionibus ac iustificationibus carnis, usq; ad tempus correctionis imposita. ibidem. Nam si sanguis taurorum & hircorum, et cinis iuuencae aspersgens inquinatos, sanctificat ad carnis purificationem &c. Curabantur, scilicet uerbo, aut uirtute nominis Iesu. Sic Christus ipse Matthæi. 8. eiecit spiritus uerbo, & male habentes sanauit. Sic supra cap. 3. in uirtute nominis Iesu leguntur Apostoli sanasse infirmos.

Exurgens autem princeps sacerdotum.

Quomodo augeri cœperit ecclesia, & per miracula confirmata fuerit, nunc aliquamdiu audiimus: sequitur porro, quomodo impij hypocrite laborarint, atque gentium & confirmationem ecclesie impedire. Et hæc sanè perpetua Euangelij fortuna est, quod nunquam obstaculis caret et impijs persecutoribus, qui noctu dieq; manibus pedibusq; nituntur, ne Euangelium feliciter succedat.

Causa

Causæ quibus mouentur impij ad impediendum Euangelium in in suo cursu, priuatæ sunt: timent enim ne ad felicem Euangelij successum, operum & humanarũ traditionum doctrine, periculum patiantur: item, ne illis de sua æstimatione, dignitate, et honore aliquid decedat: timoris res cognata est inuidia, qua impij hypocritæ inuidet Euangelio gloriam. His causis addi debet zelus quidam sed non secundum scientiam. Timor itaq; inuidia & zelus causæ sunt, ex quibus commouentur impij ad ponenda obstacula contra Euangelium.

Sed rectissimo ordine sequitur augmentum & confirmationem ecclesiæ, ipsa crux, quam tantum bene ferre possunt, qui sunt in ecclesia, & qui satis de ueritate confirmati sunt. Verum hic fit. Euangelij diligentissimus comes est crux. Vfus aerò crucis est, ut inde probetur ecclesiæ fides. Priore Petri. Nunc ad breue tempus adflicti uarijs exprimentis, si opus sit, quò exploratio fidei uestre multo præciosior auro, quod perit, & tamen per ignem probatur &c.

Exurgens: timore, inuidia & zelo motus.

Princeps sacerdotum unà cum Sadducæis omnibus qui cum eo sunt, illorum typus est, qui ex timore inuidia & zelo quodam erga religionem, persequuntur Euangelium & gratuitam iusticiam, uerum ex zelo non se-



cundum scientiam, sicut & Apostolus ait de Iudæis, ad Rom. 10. Fratres, propensa quidem uoluntas cordis mei & deprecatio, quæ fit apud deum, pro Israël est ad salutem. Testimonium enim illis perhibeo, quod studium dei habent, sed non secundum scientiam. Nam ignorantes dei iusticiam, & propriam iusticiam quærentes constituere iusticiæ dei non fuerunt subditi. Princeps sacerdotum: precipui hostes Euangelij sunt, qui sacratæ religionis curam agunt.

Et omnes qui cum eo erant.

Diligenter hæc adiicit Lucas propter historię certitudinem.

Quæ est hæresis Sadducæorum.

Signanter facit Lucas mentionem Sadducæorum, quorum doctrina ad honestatem uitæ præsentis tantum tendebat: unde ingratißima erat illis gratuita iusticia sine operibus paranda.

Repleti sunt zelo.

Absq; scientia parato. Non enim satis est habere zelum pro religione, nisi addas iudicium, ut zelum pro uera religione habeas. Hunc zelum Paidus uocat zelum secundum scientiam.

Repleti sunt zelo: huius zeli causa est in Sadducæis

cis: ratio, quæ non nouit aliam iusticiam, quàm operũ  
nec doctrinam aliam, quàm eam, quæ est operum: item  
quæ prorsus ignorat Euangelium & gratuitam iusti-  
ciam: id quod Apostolus ad Rom. 10. his uerbis expres-  
sit. Habent quidem studium, sed non secundum scien-  
tiam. Ignorantes iusticiam dei, & propriam iusticiam  
querentes constituere, &c.

Veri ac boni zeli in pijs, causa est, Euangelii, quod  
solum nos docet de gratuita iusticia.

Refert hic distinguere inter zelum secundum scien-  
tiam, & inter zelum non secundum scientiam. Et po-  
test hic utriusq; zeli methodica collatio institui.

Repleti: hæc uox ostendit magnum esse zelum in  
hypocritis.

### Et iniecerunt manus in Apostolos.

Effectus hi sunt zeli, qui est non secundum scientiã,  
inijcere manus pijs, & ponere eos in custodiam. Diuer-  
sos ab his effectus sortitur zelus, qui est secundum scien-  
tiam. Siquidem piorum zelus, qui est secundum scientiã  
non ui aut armis agit, sed gladio spiritus fide & oratio-  
ne oppugnat impios & doctrinam impiam. De quibus  
armis consule Apostolum, ad Ephes. 6. Et penultimum  
Psalmum Dauidici carminis. Et Esa. cap. 11.

Et posuerunt eos in custodiam.

*Impietas & hypocrisis ut nunquam carent timore: ita nec impij hypocritæ unquam à timore sunt alieni: quare Apostolos in custodiam ponunt, timentes, ne auferantur. In custodiam publicam: nullus habetur respectus Apostolorum & ciuilitate flagitiosorum hominum: sed in eandem custodiam includuntur utriq;.*

*Facit & circūstantia loci ad certitudinem historię.*

Angelus autem domini.

*Hactenus de incarceratione Apostolorum, sequitur nunc de illorum liberatione è carceribus.*

*Plenum mœroris atq; tristitię fuit, iniici Apostolis manus, & poni eos in custodiam publicam: at consolatorum est eosdem rursus liberari.*

*Crucis duę partes sunt: passio ad tempus, & liberatio. Qui priorē partē tantū intuetur, facile desperat: uerum qui utramq; simul intuetur, à desperatione tutus est. Sequens hic euentus de liberatione Apostolorū, est confirmatio omnium promissionū dei de liberatione ex cruce. Nam sic argumentari oportet.*

*Deus liberauit Apostolos ex cruce: Ergo deus nos pios omnes è cruce liberabit. Vsus est huius loci de liberatione Apostolorum, ne in cruce desperemus, aut de præsidio dei addubitemus.*

*Item*

Item, quia deus liberat è cruce Apostolos, cōmendatur nobis cura dei erga nos, quam pro nobis habet, non solum foelicitatis tempore, sed etiam in ipsa cruce.

Spectant huc promissiones scripturæ, quæ addicunt pijs liberationem in cruce.

Personæ seu media, per quæ nos liberat deus, angeli sunt, quibus deus utitur in suo ministerio, idq; nostra causa, unde & nomen angelis tribuit scriptura, uocans eos administratorios spiritus, ad Hebræos 1. Qui creauit angelos suos spiritus, & ministros suos ignis flammam. ibidem. Nōne omnes sunt administratorij spiritus, qui in ministerium emittuntur propter eos, qui hæredes erunt salutis?

De cura angelorum pro nobis, extat pulcherrimus locus, Matth. ei 18. Dico enim uobis, quod angeli eorum in coelis, semper uident faciē patris mei, qui in coelis est.

Possunt angeli ex præsentī euentu sic describi. Angeli sunt, qui à domino mittuntur, ut liberent pios è cruce.

Angelus autem domini: angelum domini appellat Lucas, à domino missum.

Angelus missum sonat seu nuncium: ergo angeli nihil faciunt ex priuato.

Per noctem aperiens ianuas  
carceris.



Hypotyposis liberationis Apostolorum.

Liberatio Apostolorum miraculum est, illis in confirmationem de ueritate uerbi factum.

Aperit ianuas angelus, cum tamen Apostolos etiam non apertis ianuis educere posset: ut commendet nobis media, quæ ubi præsto adsunt, non sunt negligenda.

Et educens eos. Eductione hac ostendit Lucas perfectam liberationem et integram. Monemur deum perfecte liberare. **Dixit.**

Spiritus non habet os, quomodo ergo dixit angelus? Respondeo. Creditur secundum Theologos in huiusmodi ministerijs, angelos assumpsisse corpus, in quo loqui potuerunt. Vide Tertullianum de carne Christi.

**Ite & stantes loquimini populo.**

Finis sequitur, in quem fuerunt Apostoli liberati: nimirum in hunc, ut porro constanter confiterentur Euangelium populo. Est autem hic finis, cõmunis finis omnis liberationis, qua liberantur pij ex cruce à deo.

Mundus incarceratos propter Euangelium, in hoc liberat, ut postea taceant, nec amplius confiteantur Euangelium. Finis ergo liberationis è cruce à deo facta est, constantius postea confiteri ueritatem. **Item.**

E cælo mandatum est confiteri ueritatem, nec curare ire furorem mundi.

Et stantes : requirit angelus in Apostolis seriam curam uerbi, & seriam confessionem eiusdem

Docemur, ne segniter confiteamur ueritatem.

Loquimini : uocale uerbum est, quo conuertuntur homines contra Anabaptistas, qui usum uocalis & audibilis uerbi ex ecclesia tollere moliuntur. Populo : homines sunt ad quos fit uerbum.

Populus generalis uox est, qua hic non negligenter utitur Lucas, ut ostendat Euangelium esse doctrinam uniuersalem pro omnibus hominibus.

### In templo.

Angelus in templo uult loqui Apostolos, quò significet Euangelium esse apertam doctrinam, quæ in aperto loco, non in angulo prædicari debet : item, quo declarat Euangelium esse certam doctrinam : certæ namq; est doctrine, non horrere lucem, Ioannis 3. Omnis enim qui mala agit, odit lucem, &c. Vox templi insinuat etiam qualis doctrina sit Euangelium : nimirum talis, quæ ad conscientias erudiendas tantum pertinet, non ad formandas politicas.

### Omnia uerba uitæ huius.

Id est, omnia uerba Euangelij, quod est doctrina uitæ. Omnia uerba ait : ut doceat, nihil omittendum esse de Euangelio, nihil dissimulandum esse, &c. Et

rectè quidem. Vt enim nihil addi debet Euangelio : ita nihil omitti debet de Euangelio. Vitæ huius: positio effectus pro causa, id est, vitæ pro Euangelio, quod est vitæ causa. Dicitur dupliciter uita Euangelium. Primum, quia natura est uita: secundo, quia alios uiuere facit. Definitio Euangelij ex hoc loco talis est.

Euangelium est doctrina vitæ.

Doctrinam vitæ prædicare Apostolos uult angelus ostendens populum mortuum esse. Et reuera ante Euangelij prædicationem, omnia sunt mortua.

Qui cum audissent, intrauerunt diluculo in templum.

Exemplum obedientiæ in Apostolis, qui uerbis angeli statim acquiescunt. Est uerò fidei statim acquiescere, quæ non deliberat cum carne & sanguine, neq; tarda est ad exequendum mandata Dei. Est & constantiæ exemplum in Apostolis, qui metu crucis non concutuntur, sed liberati semel è cruce, constantius confitentur ueritatem. Effectus igitur est liberationis constantius cõfiteri ueritatem. Apostoli præponunt priorem tabulam posteriori, hoc est, obedientiam erga Deum, obedientiæ erga magistratum. Spectant huc regulæ. Posterior tabula cedit priori. Lex prior præiudicat posteriori.

Intrare in templum effectus est obedientiæ fructus

fidei.

Diluculo

Diluculo : circumstantia temporis notat oportunitatem tractandi uerbum. In templum : quia erant docturi apertam & certam doctrinam, ad conscientias tantum, non ad forum pertinentem.

Et docebant.

Docere effectus est fidei, obedientie & constantie in Apostolis. Enthymemata. Apostoli docent uerbum

Ergo crediderunt uerbo. Item.

Apostoli docent uerbum : Ergo obediunt mandato de docendo uerbo. Item.

Apostoli docent uerbum, prohibiti ab aduersarijs : Ergo constantes & fortes sunt.

Adueniens. Impie hypocrite non feriantur, donec prorsus perdant ueritatem & eius possessores : igitur aduenit Princeps sacerdotum, & qui cum illo sunt. Studium ergo perdendi ueritatem & eius confessores, ponitur nobis ob oculos in Principe sacerdotum & socijs eius. Conuocauerunt concilium.

Exemplum humane prudentie in principe sacerdotum & socijs eius, qui non temere presumunt agere contra Apostolos, sed ex seria deliberatione. Finis est conuocationis, ut perdatur ueritas una cum illis, qui eam profitentur. Concilium : huius concilij conuocatione iustificatur sapientia à filijs hominum, qui merito ab ipsa



sapientia iustificari debent. Concilium: id est, personas ad concilium spectantes.

Et omnes seniores filiorum  
Israël.

Exponit uocem concilij, & quæ personæ fuerint ad concilium uocatæ. Seniores: ætate seniores & primarij, in populo præcipui sunt hostes ueritatis. Item ex senioribus conuocatur concilium, quia illi autoritate, æstimatione, dignitate, honore & iudicio pollent præ alijs

Et miserunt ad carcerem.

Missio ad carcerem effectus est congregati concilij. Miserunt: ex spe certa se ibi in carcere reuerturos Apostolos. Nota impios multa sibi concipere de interitu piorum, sed frustra, ignorantes Deum stare à piorum partibus. Ut adducerentur.

In hoc, ut accusarentur & prudenter. Nam pijs non patet ulla occasio elabendi.

Seniores typum eorum gerunt, qui præcipiunt aliquid contra pietatem & eius sectatores. Ministri illorum typum gerunt, qui impia præipientibus obtemperant. Ministri hi posteriorem tabulam præponunt priori, id est, obedientiam hominum, obedientie Dei.

Cum autem uenissent ministri.

Consolatorium est impios spe sua frustrari. Obserua

Itaq; impiorum conatus non esse semper felices.

Reuersi nunciauerunt.

Cœcitatatis est in ministris ad tantum miraculum nõ conuerti: est & cœcitatatis exemplum in magistratibus templi et sacerdotum. Cœcitatatis postea comes est indu ratio cum pertinacia. Dicentes.

Hoc dicere effectus est nunciationis.

Carcerem quidem inuenimus.

Res quas nunciauerunt ministri.

Clausum cum omni diligentia.

Hæc & sequentia exaggerant cœcitatem tam in ministris, quàm magistratibus templi & principibus sacerdotum. Merito sic cogitare debuissent magistratus templi, principes sacerdotum, & ministri.

Carcer clausus inuentus est: Ergo potentia diuina liberati fuerunt Apostoli. Item.

Carcer omni diligentia clausus inuentus est:

Ergo opus Dei est liberatio Apostolorum. Item.

Custodes extra stantes ante fores inuenti sunt: Ergo diuino præsidio liberi sunt facti Apostoli. Magna est cœcitas in impijs: quare non est mirũ, etsi extreme persequantur ueritatẽ, etsi fremant prorsus cõtra ueritatẽ.

Ut autem audierunt.

In ipsa sapientia stulti & insipientes fiunt impij:

& uti

Et ubi sperant maxime, ibi quoque maxime frustrantur.

Nota humanam sapientiam ibi foedissime impingere, ubi presumat aliquid aduersus ueritatem. In salmo 2. Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania. Ibidem. Qui habitat in caelis, irridet et eos, et dominus subsannabit eos, ad Rom. 1. Sed frustrati sunt per cogitationes suas, et obtenebratum est insciens cor eorum. Cum se crederent esse sapientes, stulti facti sunt, etc.

Verum et hic fit. Veritas ubique triumphat.

Nihil magis consolatorium est quam impios suis consilijs et cogitationibus in nihilum redigi.

Ambigebant. Ambigere effectus est humane sapientiae, quae a deo inanis reddita est.

Ambigebant: deficit consilium sapientes mundi, dum inuito agere contra ueritatem.

De illis quid nam fieret.

In quem euentum essent cessurae res Apostolorum.

Adueniens autem quidam

Exemplum proditoris in hoc quodam est, qui Apostolos prodit magistratus templi et principibus sacerdotum. Spectat haec proditio ad quintum praecipuum, contra quod fit. Nam hic finis est proditoris huius, ut perdantur et trucidentur Apostoli.

Hic quidam eorum typum gerit, qui prodicionibus nituntur Euangelij curam impedire.

Adueniens: falso zelo erga religionem, uel alij causis motus. Nuncia ite eis

In hunc finē, ut denuo caperentur Apostoli & perderentur. Quid ecce uiri.

Simplex proditio sine ambagibus.

Sunt in templo stantes & docentes populum.

Proditio personarum & officij. Officij proditio simul accedit, ut inde magistratus templi unā cum principibus sacerdotū magis contra Apostolos cōmoueantur

Tunc abiit magistratus cum ministris

Tunc: scilicet postquā audierat Apostolos in templo stare & docere populum. Siquidem ille auditus abitionis causa fuit in magistratu. Nota ergo præcipuā causam, ex qua abeunt aduersarij ueritatis, ad struendas ueritati insidas Enthymema. Audiuit magistratus in templo docere Apostolos: Ergo abiit.

Magistratus & huius ministri, eorum typum gerunt, qui omnem mouent lapidem, ut tollantur pij doctores unā cum doctrina pia.

Abiit:



Abijt: scilicet quàm statim sine procrastinatione. Exprimitur uehemens studium contra ueritatem in aduersarijs. Magistratus cum ministris, non abiijt solus magistratus, sed cum ministris, ut suas impios hypocrisis nunquàm carere timore.

Et eduxit illos sine ui.

Nouerunt impij crudeles suos affectus moderare et frenare, ubi opus est, & postulat periculum. In summa, impij nouerunt iuxta uulgare prouerbium Pallium obsertere uento. Timebant enim.

Aetiologia educationis sine ui, à timore sumpta, ex quo timebant populum, ne lapidarentur. Timor & impietas unà cum hypocrisi perpetui sunt comites.

Obserua diligenter impiorum conatus non esse semper felices: imò Deū posse illos, uel ex facili etiam causa facillimè impedire.

Timor hic certum medium est, quo Deus reprimit furorem magistratus impij contra Apostolos. Eiusmodi multa media & adhuc hodie quidem subinde mittit Deus, quibus tyrannidem aduersariorum uerbi reprimit. Consolatorium est aduersarios ueritatis in suis institutis impediri. Timor hic à domino est, quo percutit dominus magistratum.

Est quoq; hic timor in magistratu signum male conscientie.

scientiæ, quæ timet, ubi non habet iustas sui instituti causas. Latitia è contra signum est bonæ conscientie quæ letatur certa de iustis sui instituti causis. Populū : qui nunc de ueritate per Apostolos institutus adheret at Apostolis. Statuerunt in concilio.

Effectus educationis, Modestie est in magistratu, nō statim incarcerare et damnare Apostolos, sed prius eos sistere in concilio. Et recte quidē. Decet enim cognoscere causam prius, & postea damnare. Hodie damnantur pij, sepe nec audita nec cognita causa. Vnde & heretica prauitatis inquisitorum sententiæ. Heretici non sunt audiendi. Cum hereticis non est disputandum &c Sed uocant hereticos, nondum quidem de heresi conuictos.

Et interrogauit eos princeps sacerdotum.

Hic princeps sacerdotum, eorum imago est, qui ex falso zelo, quem habent pro religione, nihil non laboris subeunt, ne Euangelium propagetur.

Interrogatio principis sacerdotum, effectus est falsi zeli, qui non est secundum scientiam, pro religione.

Iure interrogat princeps sacerdotum, penes quem summa debet esse religionis cura. Dicens.

Questio est de facto. Accusantur Apostoli hac questione, ut inobedientes erga superiores & eorum præcepta.

Princeps

Princeps sacerdotum præfert sua interrogatione posteriori tabulam, priori, hoc est, obedientiam hominū obedientiæ erga Deum.

Nonne etiam atq; etiam.

Diligenter ac serio. Præcepimus

Magna emphasis est in hoc uerbo: præcepimus: scilicet nos, penes quos stat summa religionis cura.

Enthymema ab autoritate. Nos præcepimus.

Ergo obedire debuistis Vobis.

Vt contemptis & humilibus personis: item, imperiis rerum sacrarum.

Ne doceretis in nomine isto?

Præceptum fuit non profiteri Euangelium, id quod est non docere in nomine isto. Prohibitio doctrine & officij simul. In nomine isto: cum contemptu quorundam hæc dicit princeps sacerdotum, qui non dignatur Iesum sua appellatione. In nomine isto: hoc est, istius tã contemptæ ac uilis personæ, quæ Iesus est. Nota Euangelium in oculis mundi esse contemptam ac humilẽ doctrinam, quæ quia contempta. & humilis est, igitur facile illa ostenditur mundus, quò minus illam suscipiat.

Pertinet huc primum caput ad Corinthios. i. epistole de uerbo humili & contempto.

Et ecce. Q. d. præter nostram expectationem

Est

Est enim Ecce particula hoc sanè in loco, inopinantis.

**Repleuistis.** Exaggeratio transgressi præcepti.

Enthymemata. Repleuistis Ierusalem doctrina uestra

Ergo non leuiter estis transgressi præceptū. Item.

Repleuistis Ierusalem doctrina uestra: Ergo nihil curastis præceptum nostrum. Ierusalem.

Emphastixōis, ubi templum Dei est, ubi uera ac certa doctrina est, ubi sunt ueri interpretes legis &c. Exaggerat ergo princeps sacerdotum transgressionem Apostolorum à circumstantia loci. **Doctrina uestra.**

Noua et incognita, cuius uos estis autores, nō Deus Doctrina uestra: Per contemptum. **Et uultis.**

Nobis etiam nolentibus. **Inducere.**

Persuasibilibus argumentis. **Super nos.**

Vt nouit se excusare hypocrisis.

**Sanguinem hominis istius.**

Tam uilis ac contempti. Istius inquit cum inuidioso seu potius odioso contemptu. Obserua diligenter Euangelium ciere in hominibus acerbissimum contemptum, inuidiam maximam, & profundissimum odium.

**Respondens autem Petrus & Apostoli.**

Summa est responsi Petri & Apostolorum, se non male fecisse, quod præceptum de non docendo sub no-



mine Iesu, transgressi sint: quippe humanum præceptum  
 & id propterea, quia prior tabula præponi debet po-  
 steriiori, hoc est, obedientia erga deum, obedientie erga  
 homines. Docent Apostoli suo responso, ut prioris  
 tabule præcepta, posterioris tabule præceptis præpo-  
 namus. De posteriore tabula præceptum est. Non doce-  
 re sub nomine Christi. De priore præceptum est, docere  
 sub nomine Christi. Vides hic quatenus obediendum  
 sit magistratui: nimirum donec non prohibeat pia, &  
 donec non præcipiat impia. Potest hic commodè in-  
 stitui collatio utriusq; tabule utra dignior sit.

Petrus: quem uerè dicas per Euangelicas historias,  
 Apostolorum os.

Dixerunt. Dicere hoc effectus est fidei &  
 constantie in Apostolis.

Fidei est, non tacere ad impietatem. Constantie est,  
 magnorum hominum autoritate non concuti: quò mi-  
 nus confitearis ueritatem.

Obedire oportet deo magis  
 quàm hominibus.

Id est, oportet strenuè confiteri ueritatem, etsi hoc  
 ipsum prohibeant homines.

Apostoli hoc suo responso non tollunt obedientiam  
 posterioris tabule erga homines, sed tantū eam postpo-  
 nunt

nunt obedientiæ erga deũ. Et in hunc usum accedit particula magis. Obedire : intus consentiente corde, & foris externo factõ. Oportet : necessitate decori : quia hoc decorum est, ut magis obediamus deo, quàm hominibus impia præcipientibus. Deo : qui longè dignior persona est, quàm homines. Magis : discernit hæc particula inter obedientiam & obedientiã, & præfert eam quæ erga deum est, obedientiæ erga homines.

*Enthymema.* Deus est dignior persona:

Ergo deo : magis obedire oportet, quàm hominibus

Quàm hominibus : maxime impia præcipientibus, quanquam & aliàs etiam magis obedire oporteat deo, quàm hominibus.

### Deus patrum nostrorum suscitavit Iesum.

In genere una sententia & illa certissima à necessitate decori sumpta. Ostendit Petrus, neq; se, neq; reliquos Apostolos, malè fecisse, quod in nomine Christi docuerint, & repleuerint Ierusalem sua doctrina : item, quod noluerint sua prædicatione inducere super Iudeos sanguinem hominis Iesu : nunc porrò Petrus clarius & se & reliquos Apostolos de malo factõ excusat. Excusationis processus sic habet. Iesum deus patrũ nostrorum suscitavit : Ergo Iesum meritò cõfitemur. Item.

Iesum principem & saluatorem deus exaltauit dex-  
 tera sua ad dandam poenitentiam Israëli, in remissionem  
 peccatorum: Ergo Iesum meritò confiteamur. Argu-  
 menta ualent ab autoritate dei patris, et dignitate Chri-  
 sti filij. **Item.** Testes nos sumus suscitati & exalta-  
 ti Christi: Ergo testemur meritò de Christo suscitato,  
 & exultato. Valet argumentum à decoro officij, ex  
 cognatis. In summa duo agit Petrus sequenti apologes-  
 tico sermone: Christū dignū esse probat, de quo loquatur  
 unā cum reliquis discipulis: deinde urget peccatum Iu-  
 deorum de occiso Christo. Deus patrum nostrorum  
 insinuatio, qua se Petrus mentione ueri dei & patrum  
 insinuat Iudeis. Deus patrum nostrorum: discernit in-  
 ter uerum deum & non uerum. Deum patrum intelligit  
 eum, qui patribus fecit promissiones de Christo. **Item,** à  
 persona patris extollit Petrus dignitatem Christi, qua  
 probata, non potest de Christo iniusta esse confessio.

Suscitauit: per gloriam, ad Rom. 6. & per poten-  
 tiam, ad Ephes. 1. Suscitauit: ut oppressum morte, dia-  
 bolo, peccato, &c.

Verbum suscitauit monet nos de potenti oppressione  
 qua fuit oppressus Christus.

Iesum: ad breue tempus morte oppressum & hūmili-  
 atum. Quale argumentum hinc fluat, uide supra.

Quem

## Quem uos interemistis.

Urget Petrus peccatū occisi Christi in Iudæis, q. d. quanquā excusetis uos de sanguine Christi, nec libenter audiatis super uos induci sanguinem Christi, tamen interemistis eum, & estis facti rei sanguinis eius.

Enthymema. Vos interemistis Iesum: Ergo super uos recte inducitur à nobis sanguis Christi. Exemplum constantis prædicationis in Petro, qui ueritatē nō dissimulat, rumpantur etiam uel ilia impijs.

## Suspendentes in ligno.

Speciem mortis addit Petrus, ut exaggeret peccatū occisi Christi in Iudæis: q. d. Iesum filium dei, contemptissima morte adfecistis, quem amplecti ac suscipere meritò debuistis.

## Hunc.

Quanquā interemptū à uobis, & in ligno suspensum.

Principem & saluatorem deus exaltauit dextera sua.

Sensus horum præsentium & præcedentium uerborum est: Christum interemptum à Iudæis, et in ligno suspensum tamen esse saluatorem mundi.

Proclamatur hic Christus unicus & solus saluator. Consentes loci sunt hi. Matthæi 3. & 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. Priore ad Corinth. 1. Ex eodem uos estis in Christo Iesu.



qui factus fuit nobis sapientia à deo, iusticiâq; & sancti-  
ficatio, & redemptio. Principem: in Græco est,  
& πρῶτος, quæ uox etiam ducem & autorem sonat. Et  
sic rectè quidem Christus ab effectu dux & autor salu-  
tis dicitur, ipse per se salus.

Principis uocabulo cōmendatur potentia Christi, de  
qua sic loquitur Psalm. 8. Gloria & honore coronasti  
eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.  
Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues uniuersas,  
insuper & pecora campi, &c. Ad Ephes. 1. & sede-  
re fecit ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem  
principatum ac potestatem, & uirtutem & dominium,  
&c. De eadem potentia uide & 1. ad Colossenses.

Enthymema. Christus princeps à deo constitutus  
est: Ergo iuuare & tueri potens est. Principis uox  
& naturæ & officij est in Christo: nam natura est prin-  
cipatus seu potentia, & alios principes seu potentes fa-  
cit. Et saluatorem: & saluator naturæ & officij ap-  
pellatio est in Christo, qui natura est salus, & alios fa-  
cit saluos. Deus: commendat dignitatem Christi ab  
autoritate patris dei. Exaltauit: postquàm illum sa-  
tis humiliasset pro hominum salute.

Christum exaltauit deus: Ergo Christus humiliat-  
tus fuit.

In uerbo exaltant ostenditur crucem sequi gloriam  
 Dextera sua: exaltatio Christi opus fuit potentiae pa-  
 tris, ad Ephes. i. Qui credimus secundum efficaciam ro-  
 boris fortitudinis eius, quam exercuit in Christo, cum  
 suscitaret eum ex mortuis, & c. Dextera sua: id est, po-  
 tentia. Quia dextera sua deus exaltant filium suum  
 Christum: ergo hic potentibus hostibus oppressus fuit,  
 ut diabolo, morte, & c.

### Ad dandam poenitentiam Israëli in remissionem peccatorum.

Finalis causa exaltati Christi, ut poenitentes per  
 Christum accipiant remissionem peccatorum, ad Rom.  
 4. qui traditus fuit propter peccata nostra, & excita-  
 tus est propter iustificationem nostri.

Colligitur & hinc finis concionis Petri praesentis,  
 qui est, ut inuitet Iudaeos, quibus loquitur, ad poenitentiam  
 in remissionem peccatorum.

Occupatione quadam haec coherent cum praecedens  
 tibus, ne quis putet exaltati Christi nullum esse usum.

Enthymema.

Christus exaltatus est dextera dei ad dandam poe-  
 nitentiam in remissionem peccatorum: Ergo Chris-  
 tus occasio est salutis non interitus.

Ad dandam: nota poenitentiam esse donum dei. Hic.

Postquam ostendisti mihi, percussi focum meum.  
 Posteriore ad Corinth. 2. Ne forte Deus det illis poenitentiam &c. Vel : ad dandam poenitentiam : scilicet, per spiritum sanctum, quem Christus poenitentibus mittit, ut uere poenitentiam agant. Poenitentiae uocabulo hic intelligitur contritio et fides erigens se ex contritione ad remissionem peccatorum. Est igitur Poenitere, dolere ex corde de peccatis, cum proposito mutandi totam uitam in melius, & rursus fide se e peccatis erigere.

Israël : recte tantum Israël inquit : quia nondum sciuit Petrus, aut non expendit, gratiam Euangelij ad gentes pertinere : infra enim cap. 10. signo e caelo demisso, primum didicit, Christum & gentium saluatorem esse.

### In remissionem peccatorum.

Finalis haec poenitentiae causa est, remissio peccatorum, quam impetrat altera poenitentiae pars ipsa fides spectant & haec praedicta uerba ad consolationem Iudeorum, quibus loquitur Petrus, ne ideo desperent, quia Christum interemerint, & in ligno suspenderit : imo poenitentiam agant, hoc est doleant de peccatis, & credant Christo ad remissionem peccatorum.

Habes quoque hic duas Euangelij partes expressas : poenitentiam & remissionem peccatorum. Luc. 24.  
 Praedicate sub nomine meo poenitentiam & remissionem peccatorum

peccatorum. Est itaq; Euangelium doctrina, constans  
pœnitentia & remissione peccatorum.

**Et nos sumus testes horum  
uerborum.**

Scilicet Deum patrum nostrorum suscitasse Iesum :  
uos interemisse, et in ligno suspendisse Iesum: Iesum prin-  
cipem & saluatorem à Deo exaltatum esse &c.

Nos sumus testes : ad testandum ab ipso Christo cle-  
cti ac deputati. Ioannis . 15 . Quin & uos testis estis,  
quia ab initio mecum esis. Acto. 1 . Et eritis mihi testes  
in Hierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & usq;  
ad extremum terræ. Horum uerborum, quæ nunc dixi  
de suscitato & exaltato Christo. Testis officij uox est in  
Apostolis.

**Et spiritus quem dedit deus omnibus  
obedientibus sibi.**

Et spiritus : scilicet testis est suscitati & exaltati  
Christi. Ioannis 15. Cum autem uenerit paracletus, quæ  
ego mittam uobis, à patre, spiritus ueritatis, qui à patre  
procedit, ille testimonium perhibebit de me.

Testimonium Apostolorum in auribus est: testimo-  
nium autem spiritus sancti in cordibus. Sic prædicatores  
omnes testes sunt Christi suscitati & exaltati, sed in au-  
ribus tantum. De testimonio spiritus sancti sic loquitur



Apostolus ad Rom. 8. Idem spiritus testatur unà cū spiritu nostro, quod simus filij Dei.

Placet hic scire, qui sint prædicatores: sunt testes suscitati, & exaltati Christi. Item placet scire ab una parte, quis sit spiritus sanctus: est testis suscitati & exaltati Christi. Enthymema.

Resurrectionis Christi testis est spiritus sanctus.

Ergo resurrectio Christi res certa est.

Quem dedit Deus: spiritus sanctus donum Dei est spiritus sanctus à Christo mittitur, & à patre procedit Ioannis. 15. Quem ego mittam uobis à patre spiritus ueritatis, qui à patre procedit &c. Datur spiritus sanctus hac forma & hoc progressu. Credendum est Euangelio, in Euangelio promittitur Christus, qui fide apprehensus, donat credentibus spiritum sanctum. Vnde & propheta dixit: Nisi credideritis, non intellegitis.

Dedit: in eum finem, ut per illum credentes certi fiant de resurrectione Christi, & quod sint filij Dei. ad Rom. 8. Idem spiritus sanctus testatur unà cum spiritu nostro, quod simus filij Dei, ad Ephes. 1. In quo etiam posteaquam credidistis, ob signati estis spiritu promissionis sancto, qui est arrabo hereditatis nostræ &c.

Omnibus obedientibus sibi: id est, credentibus. Nā sine fide non contingit spiritus sanctus. Iuxta locum

Propheta.

Prophætæ. Nisi credideritis non intelligetis. Item iuxta prædictum ad Ephesios locum in quo etiam posteaquã credidistis &c. Hæc autẽ cum audissent.

Auditus hic causa est sequentis dissecationis. Vis ergo scire, unde ad dissecationem & iram commoueantur impij, hinc intelligis: nimirum ex auditu de gratuita iusticia per Christum. **Dissecabantur.**

Dissecatio hæc effectus est auditus gratuite iusticiae. In Græco est, *ἀνεργιστοῦ*, quod uerbum Rectè uertunt dissecabantur. Est autem hic dissecari in corde concuti & intus in corde commoueri.

**Et cogitabant illos interficere.**

Cogitatus hic effectus est dissecationis. Nota Euangelium acerbissimos & crudelissimos cogitatus ciere in hominibus. Obserua hic quoq; arma aduersariorum ueritatis, quæ sunt persecutionis, cædes & alia huiusmodi, quibus defendunt suam impiam doctrinam.

Cogitare de interfectione Apostolorum est in uiribus magistratus templi & principum sacerdotum: at Dei est cogitare illud disponere pro sua uoluntate. Iuxta illud. Homo cogitat de uia sua: Deus autẽ dirigit gressus eius. Finalis huius cogitatus spes est: interfectis Apostolis, peribit & doctrina. Sic hodie cogitant inimici uerbi perdamus personas profitentes uerbum, tunc sua sponte corruet & doctrina. **Surgenus**

## Surgens autem quidam.

Sequitur in euentu Gamalielis, quomodo deus cogitatus impiorum de Apostolorum cæde impediærit. Et est hic sequens euentus confirmatio illius loci. Homo cogitat de uia sua: deus autem dirigit gressus eius.

Ante omnia itaq; hic notandum uenit, impiorum cõsilia, conatus, & cogitatus, non esse semper foelices, nec perpetuo sortiri foelicem successum, id quod consolatorium est, ne de cura dei erga nos ad dubitemus.

Verum media, quibus deus impedit impiorum, consilia conatus & cogitatus, duplicia sunt: aut enim sunt rerum: aut personarum. Medium ex rebus fuit paulo ante timor populi, ne lapidarentur. Medium personarum est hic persona Gamalielis.

Gamaliel eorum typus est, qui ex prudenti & seria deliberatione, modeste agunt contra ueritatis professores, quam licet non probent, tamen insectari nolunt, experientia & usu rerum certi, mala diu subsistere non posse, & e contra bona euertere non posse.

Consilium Gamalielis prudens & sapiens est, quod ex prudentia & sapientia tanquam ex causis oritur, quas fulcit experientia cum rerum usu coniuncta, quæ non potest non prudenter & sapienter agere.

Exemplum modestiæ est in Gamaliele, quam doctri-

na, & rerum cognitio parit, uel Poëta este.

Adde quod in genus didicisse fideliter artes

Emollit mores, nec sinit esse feros.

E contra quod àlij immodesti sunt & cogitant Apostolos interficere, hinc accidit, quia neq; legis: neq; artium, neq; rerum cognitionem habent, aut si quam habent, ea apud illos non est in usu sed obducta torpedine.

Summa consilij Gamalielis pendet ex experientia, & rerum cognitione tanquam ex causis, quæ efficiunt, ne quid temerè agamus, cuius postea nos poenitere possit. Sunt adhuc hodie, postquam renata est sincera ueritas, pauci quidam Gamalielei, sed plures, qui cogitant de cæde professorum ueritatis.

Docemur exemplo Gamalielis, ne ante cognitionem extinguamus ullum dogma, uerum sinamus omne dogma currere in suo cursu, donec seipsum aut euertat, aut fulciat. Quanquam interim uerbis cuiq; dogmati occurrere liceat.

Spectat uis totius consilij ipsius Gamalielis ad hanc sententiam, usu & experientia probatam. Euentus acta probat. Porro ut nunc euentus probat acta ita idem, probat & doctrinam. Pertinent huc & aliæ similes pro modo sententiæ. Quales causæ, talis effectus. Omne generabilia



generabile, corruptibile est. Quod æternum est, in æternum manet. Sola pietas, quæ Deum autorem habet, durabilis est. Nihil humani circa pietatem, æternū est &c. Spectat huc &c. 3. cap. 1. epistolæ ad Corinth. de fundamento, super quod uarij uaria superstruunt.

Porrò consilium Gamalielis est commendatio ueritatis ab æternitate, de qua &c. Esaias loquitur cap. 40. Verbum domini manet in æternū. Et Dauid Psal. 118. distinctione Lamed. In æternum domine uerbū tuū permanet. A generatione in generationem ueritas tua &c.

Surgens: prudentia, sapientia, modestia, experientia rerum usu, & scripturæ cognitione, ut causis motus.

### Pharisæus nomine Gamaliel.

Nominis mentionem facit Lucas propter historiam certitudinem. Quis Gamaliel, & quanta eruditione præditus fuerit, cum ex hoc loco, tū ex illo Acto. 22. liquet, ubi Paulus fatetur se ad pedes huius Gamalielis perdidicisse legem. Lucas diligenter describit personam Gamalielis, ut autoritatem et pondus addat consilio, quod dedit Gamaliel. Enthymema. Gamaliel Pharisæus fuit & legis doctor: Ergo potuit tam prudens consiliū dare: ergo non leue fuit eius consilium.

Pertinet descriptio personæ Gamalielis, ad genus demonstratiuum, cuius est commendare personas.

Pharisæus:

Phariseus: commendatio à uitæ genere seu conditione

Enthymema Gamaliel Phariseus est: ergo uir probus & inculpate uitæ.

Nomine Gamaliel: commendatio à nomine. Sonat autem Gamaliel retributionem Dei, seu camelum Dei, quod nomen in hoc sortitus est, quod deberet aliquando fortiter & magnanimiter portare ueritatem Dei, sicut & fecit, modo uera scribant Chrysostomus et Beda qui aiunt Gamalielē fuisse in fide Apostolorum socium.

Legis doctor: commendatio ab eruditione & eruditionis insignibus. Doctoratus enim insignia sunt eruditionis & doctrine. Doctor legis: interpretes legis, & qui alios legem docebat.

Honorabilis uniuerso populo: commendatio à præmijs quæ sunt secuta probitatem & eruditionem Gamalielis: sunt autem præmia honos, æstimatio, autoritas, esse gratum & acceptum omnibus: hæc præmia probitatis & eruditionis res sunt cognate. Honorabilis: id est, gratus & acceptus. Uniuerso populo: exaggeratio. Iussit. Certus de suo consilio.

Dixit ad illos.

Oratio Gamalielis suasoria est ab exemplis.

Sed quia Gamaliel exemplis utitur, uolens persuadere igitur sciendum est, exemplorum magnam esse in persuadendo vim, & magnam exempla habere in persuadendo vim, & magnam exempla habere in persuadendo vim.

dendo gratiã . Finis orationis Gamalielis est, ne Apostolorum institutum temerè supprimatur, sed relinquatur euentui. **Viri Israëlitæ.**

Captatio beneuolentiæ à genere.

**Attendite uobis.** Nihil temerè agite, nihil uolenter. Nota modestiam in Gamaliele.

**Super hominibus istis.**

Apostolis istis : scilicet, de quibus nondum certò cognouistis. Vult Gamaliel, ut nihil agant temerè cõtra Apostolos, nondum cognita causa aut certò perspecta.

**Ante hos enim dies extitit Theudas.**

Exemplum mali euentus seditionis horribiliter finitæ. Theudas exemplar seditiosorũ est, qui omnes proprio quodam factò miserè perire solent.

Quem exemplar Græcum Theudam, alij Theodan uocant, qui homo magus, suis promissionibus magnificis multos Iudæorum excitauit, ut arreptis facultatibus suis se sequerentur : quem demum Fadus Iudææ præfectus unà cum suis seditiosis asseclis, extinxit. Vide Iosephum Antiquitatum lib. 20. cap. 4. Est præterea hystoriam de Theuda diligentissimè profecutus Bullingerus, in hoc caput scribens.

**Dicent se esse aliquem.**

Modus hic quidem loquendi est, pro eo, quod est  
mendicans

uenditans se pro homine multarum rerum perito, iactans se magnum Dei prophetam, sicut habent historie pollicitans multa prodigiosa: nimirum se mandaturum ut Iordanis funderetur pluuius, quò facilius esset transitus &c. Hæc et similia de se iactabat Theudas, testantibus id historijs.

**Cui adhæsit numerus uirorum circiter quadringentorum**

Qui acceptis suis facultatibus, secuti fuerunt Theudam. Siquidem arreptionem bonorum docuit Theudas

Adhæsit: corde & facto foris. Numerus &c. Numero eorū, qui Theudam secuti fuerunt: exaggerat Gamaliel potentiam Theudæ & felicem successum doctrine eius. Nota impiam doctrinam ferè semper habere feliciorum successum, quàm doctrinam sanam.

Enthymema. Numerus uirorum circiter quadringentorum adhæsit Theudæ: Ergo potens & efficax fuit, & potentem ac efficacem habuit doctrinam.

In historijs leguntur multi ex Iudæis adhæsisse Theudæ, unde fortassis credendum est, certum numerum hic positum esse pro incerto, quadringenti uiri, pro multis uel pluribus etiam quadringentis.

Viri saltem exprimentur numero, Hebræorum more, qui mulieres & liberos raro includunt numero.



Circiter rectè additur incerto numero.

### Qui occisus est.

A Fado Iudææ præfecto, qui immixta equitum cohorte, quosdam cœpit, quosdam trucidavit, duce inter primos sectione capitis multato, idq; secundum historias.

Spesta hic pœnam seditiosorum & hominum sceleratorum. Enthymemata. Theudas seditionis autor occisus fuit: Ergo autorem seditionis mirabilis est exitus. Item. Omnes qui Theudæ autori seditionis adhaeserunt, dissipati sunt & redacti in nihilum.

Ergo omnes qui faciunt se participes seditionis peribunt. Dissipati sunt: sicut habent historiæ, partim capti, partim trucidati.

### Post hunc extitit Iudas Galilæus.

Altero exemplo idem agit Gamaliel: nimirum ne Apostoli supprimantur temere, sed relinquuntur euentui, qui tandem acta probare solet, & sicut in alio plus quam uulgaris dicto fertur. In fine uidetur cuius toni sit contus. Iudas hic Galilæus eorum exemplar est, quorum est Theudas, nisi quod Iudas proprius seditiosorum typus est, qui moluntur publicam obedientiam & tranquillitatem auferre. Iudas enim inter Iudæos ingentē seditionem excitauit. Siquidem negauit tributum Cæsari pendendum esse, & tributū nihil aliud esse dicebat, quā integram seruitutem.

De hoc Iuda consule Iosephum lib. 20. cap. 5. & lib. 18. cap. 1. Galileus: ab oppido Gamalas oriundus, & Gaulonites siue Galileus dictus, teste Iosepho.

Circūstantia loci, è quo ortus fuit Iudas, Lucas certā reddit historiam.

**Eo tempore cum census ageretur.**

Circūstantia temporis seruit ad certitudinem historie. Actio census occasionem præbuit Iudæ suæ seditio- nis. Caulonitica secta perniciosa admodum fuit, & quanquam Iudas autor sectæ extinctus esset, tamen serpebat postea usq; ad tempora Christi, qui & ipse quaes- sione de dando censu tentatus fuit.

**Et auertit populum post se.**

Docens populum non esse dandum tributum Cesari Iudas populum facile auertere potuit. Quid enim plau- sibilis corā uulgo, quàm negare magistratui censum?

Et ipse periit. A Cyrenio & Copinio uiris consularibus, in Syriam missis, extinctus unā cum secta- toribus suis, quem admodum testantur historie.

Obserua seditiosorum tristem esse obitum.

**Nunc itaq; dico uobis.**

Accommodatio exemplorum ad institutum Aposto- lorum, quos Gamaliel non uult temerè opprimi, sed ut re- linquantur euentui, qui suo tempore instituta Apostolo- rum probabit.

Nunc : quia cognouistis è productis exemplis, euentum probare acta. Dico uobis : qui uultis interficere Apostolos, nondum cognita aut perspecta causa.

Discedite ab hominibus istis.

Ne ante cognitionem cause faciatis illis iniuriam. Istis : quorum causa adhuc in ambiguo est.

Et finite illos

Donec euentus illorum causam probet. Ceterum quanquam euentus acta probare dicatur, tamen in rebus theologicis non perpetuo uerum est illud dictum : Sic non sequitur. Euangelium crucē habet comitem :

Ergo Euangelium est falsa doctrina. Item.

Euangelium calamitosum habet euentum : Ergo Euangelium seditiosa est doctrina. Item.

Euangelij professores comitatur crux : Ergo Euangelij professores sunt seditiosi. Imò sic contra argumentari oportet. Euangelium habet crucem comitem : Ergo Euangelium uera est doctrina.

Item. Euangelij studiosi plectuntur : Ergo non sunt seditiosi.

Monemur ergo, ut res theologicas non tam ex euentu, quam ex genuina illarum natura aestimemus.

Quoniam. Aetiologia cur Iudæi discedere debeant ab Apostolis, & sinere illos : sumpta ex causis

consilij aut operis Apostolorū, quod pro ut habet causas, sic stabit etiam.

Aetiologia constat contrarijs sententijs ex causariā oppositione coniunctis. Si est ex hominibus: si causas habet homines, si inuectores. Nota nihil humani esse perpetuo durable. Consilium aut opus: id est, quicquid agunt Apostoli. Dissoluetur: non erit durable.

Multi mirantur hodie, qui fiat, quod pompæ & traditiones Pontificum non sint durabiles: respondetur: quia sunt hominum inuenta. Incipit hæc dissolutio ad prædicationem Euangelij. Et sicut Apostolus ait 1. ad Corinth. 3. Dies enim declarabit, &c. Magna uis persuasionis consistit in argumentis, quæ spontaneos interitus, & sine labore faciles producant.

Enthymema. Si consilium Apostolorum ex hominibus est, non potest durare: Ergo sinendi sunt Apostoli. Si uerò ex deo est.

Alter a causa cur sint sinendi Apostoli ab inutili seu impossibili. Enthymema. Si consilium Apostolorum ex deo est, non potest dissolui: Ergo sinendi sunt Apostoli. Ex deo est: deum autorem habet.

Non poteritis dissoluere: ab inutili seu impossibili.

Nota æternum esse uerbum, quod deum autorem habet.



Commendatur uerbum ab eternitate.

Ne forte & deo repugnare  
uideamini.

Cui nemo resistere potest. Enthymema.

Deo nemo resistere potest: Ergo contra deum frustra pugnatur. Commendatur potentia dei, quæ coram omnipotentia subsistere potest.

Assensu sunt autem illi.

Specula eloquentiæ uires, quas egregiè expressit Vergilius lib. 1. Aeneidos, quando dixit. Tum pietate grauem, ac meritis si forte uirum quem Conspexere silent, arrectisq; auribus astant. ille regit dictis animos, & petora mulcet, &c. Assensus hic effectus seu fructus est eloquentiæ, qui testatur de eloquentiæ efficacia.

Cælis præceperunt.

Gamaliel suo consilio apud furiosos impios, potuit liberare Apostolos à cæde, sed tamen non à uerberibus, id quod signi est, impios etiam si sapientibus cõsilijs uincantur: quò minus prorsus perdant ueritatem & eius professores, tamen non possunt non aliquid agere contra eam, quare hic Iudæi cædunt Apostolos. Præceperunt: ostendunt hoc præcepto Iudæi, quàm ualde assensu sunt consilio Gamalielis, qui quanquàm suasit sinendos esse Apostolos, tamen nihil admodum efficit.

Præcep

Præceptum impietatis est, quo prohibetur Euange-  
lij prædicatio, peccatum contra priorem tabulam.

Ne loquerentur in nomine  
Iesu.

Ne prædicarent Euangelium.

Et dimiserunt eos.

Triumphum ueritatis hic rursus spectata, quo trium-  
pho nihil celebrius, quia reportatur à potentissimis ho-  
sibus, quales sunt: magistratus populi & principes sa-  
cerdotum. Consolatorium est ubiq; & semper trium-  
phare ueritatem. Et illi quidem ibant.

Dimissi abierunt Apostoli, nec fuerunt pertinaces,  
quemadmodum hodie sunt Anabaptistæ, qui è carceri-  
bus dimissi & iussi ut abeant, nec tamen abire uolunt.

Monemur exemplo Apostolorum, ne simus contra  
aduersarios uerbi pertinaces, & ne præcipitemus nos in  
pericula, ubi sine contumelia nominis dei, & sine offensi-  
culo proximi, aufugere possumus.

Gaudentes. Gaudere est de uera forma ferendi  
crucē, ad Ro. 5. Nec id solū, uerū etiā gloriamur super  
adfluctionibus. Ad Philip. 2. Omnia facite sine murmu-  
ratione. Iacobi 1. Pro summo gaudio ducite fratres mei  
quoties in tentationes incideritis uarias, & c. Murmura-  
tio & molestia in cruce opponuntur gaudio & gloria  
tioni.

## Quod digni habitii essent.

Aetiologia gaudij sumpta à gratia, qua iudicauit  
Deus dignos Apostolos cruce. Digni : ex gratia.

Apostoli gaudent se dignos esse factos, pati aliquid  
pro nomine Iesu : ergo non omnes sunt digni, ut pro no-  
mine Iesu patiantur. Habiti essent : exprimitur gratia  
Habiti scilicet à Deo. Pati contumeliam.

Cædi propter Christum, & alia contumeliosa ferre  
Quotidie autem non cessabant.

Exemplum constantiæ in Apostolis, qui præcepto  
Iudeorum non commouentur ut taceant ueritatem.

Præferunt Apostoli obedientiam prioris tabule, obe-  
dientiæ tabule posterioris. Discis itaq; hic magistratui  
impia præcipienti, non esse obtemperandum idq; Apo-  
stolorum exemplo. Quotidie: circumsstantia temporis  
declarat in Apostolis studium & diligentiam. Non ces-  
sabant : scilicet quanquam à Iudeis prohibiti essent.

In templa & circa domos,

Publicè & priuatim. Docere & Euange-  
lizare Iesum Christum.

Profiteri Euangelium. Euangelizare uerbum ostendit,  
qualem doctrinam docuerint Apostoli, cum quo fru-  
ctu docuerint, & quod non leuiter docuerint : uerum  
ita quod pacificârunt per doctrinam Euangelij conscien-  
tias.

**H**ACTENVS audiuius primitiue ecclesie  
 ortum & incrementum: nunc porro audiemus  
 quomodo Satan laborarit ecclesie incrementum impe-  
 dire, & ecclesie pacem disturbare. Nam eò seruit mur-  
 mur, quod excitauit Satan in Græcis aduersus Hebræ-  
 os. Docemur hic quàm non dormiat Satan, ut ecclesiã  
 dissidere faciat: id ergo quia scimus: quare cauendum  
 est, ne à Satana ad dissidia prouocemur.

In diebus autem illis.

Cohærentia ex circumstantia temporis.

Crescente numero discipulorum.

Incrementum ecclesie præbuit Satane occasionem  
 excitandi murmur in ecclesia. Enthymema. Numerus  
 discipulorum crescit: Ergo Satan non feriat. Cre-  
 scente: ecclesia non surgit uno impetu, sed sensim ac sen-  
 sim fit auctior. Insignis metaphora est in uoce crescen-  
 te. Enthymemata. Ecclesia Papistica uno impetu  
 surrexit: Ergo non est durabilis. Aliud.

Nostra ecclesia crescit hodie: Ergo est durabilis.

Factum est murmur.

Autore Satana impellente Græcos ad murmur ad-  
 uersus Hebræos. Exemplum infirmitatis est in Græcis  
 qui impellenti Satane ad murmur obsecundant.



Nota primitiuam ecclesiam in murmur incidisse ex leui saltem occasione: quid ergo mirum est, hodie nam ecclesiam non esse ita perfectam? Finis huius murmuris à diabolo excitati fuit, ut perturbaret ecclesie pacem. Murmur peccatum fuit in Græcis: igitur creditum non est difficile, diabolum fuisse murmuris huius autorem. Siquidem Satan omnis peccati autor est, qui tentat nos ad peccata, donec adsequamur Græcorum: in Græco est, ἑλληνοσῶν, ut factionem intelligas e Iudeis non in Iudæa, sed ex Græcia natis: alioqui si ad nationem tantum respicias, non potest subsistere locus quando certum est, gentes hoc tempore nondum fuisse ad ecclesiam admissas. Græcorum: id est, Iudeorum ex Græcia natorum. **Aduersus Hæbreos.**

Reliquos Iudeos ex Iuda, ortos.

**Eo quod despicerentur in ministerio quotidiano uiduæ eorum.**

Aetiologia murmuris in Græcis sumpta à despicientia pauperum Iudeorum ex Græcis. Eò quod despicerentur &c. id est, negligerentur, nec esset equalis cura omnium pauperum. Causa murmuris, quanquam perse iusta esse uidetur, tamen murmur ipsum nõ caret peccato, postquam Christianos non decet murmur, sed amicitia. Despectio hæc notat infirmitatem primitiue ecclesie

ecclesie, quæ etiam habuit sua uitia, quæ diligenter hodie opponenda sunt illis, qui prorsus uolunt ecclesiam in hac uita ab omni macula alienam esse.

In ministerio: *ἡν τὸ δὲ δωρεὰν ἐστὶν*: sonant autem *δὲ δωρεὰν* hic beneficium seu subministratiōem.

Quotidiano: quod quotidie distribuebatur.

Nota curam primitiue ecclesie pro pauperibus.

Vidue eorum: id est, pauperes. Nam uidue in scriptura nonnunquam absolute ponuntur pro pauperibus. Aut ponuntur hic uidue, ut species pauperum, pro omnibus pauperibus in genere.

### Conuocantes autem duodecim.

Exemplum Christiane prudentie in Apostolis, qui pro sua prudentia statim laborant excitatum in ecclesia murmur compescere, certi uel ex rerum experientia aliis non posse seruari publicam ecclesie pacem.

Est & charitatis exemplum in Apostolis, qui student fratres murmurantes lucrari Deo. In iisdem & exemplum philanthropie est, qui fratres murmurantes non reiiciunt, sed ducunt eos benigne ad meliora. Et ane sic inuicem unus alterius infirmitatem portare debet: quia de re pulcherrime monet Apostolus, ad Gal. 6 & Christus Matthæi. 7. Conuocantes: publica ecclesie pace, charitate, & alijs causis moti. Enthymema

Conuocant

Conuocant Apostoli ecclesiam propter murmur tantum: Ergo conuocatio ecclesie multo magis propter grauiores disensiones fieri debet. Statuendum est hic, Apostolos magna ex prudentia instituisse ecclesie conuocationem. Vt enim charitas uinculum perfectionis est quo pax ecclesie seruetur, sincera doctrina, & alia commoda: ita murmurationibus & disensionibus pax ecclesie publica, sincera doctrina, & alia commoda pereunt. In exemplum uoca Corinthiacam ecclesiam, quae propter disensiones, & pacem publicam, et sinceram doctrinam ferè amisit.

Habes hic secundum Concilium, quod celebrarunt Apostoli. Primum habitum est supra cap. i. in electione Mathie in locum iudae proditoris. Secundi huius Concilij causa est necessitas ex uitae moribus: sunt namq; duae praecipuae causae, propter quas debent celebrari Concilia: propter sanam doctrinam retinendam & propter ecclesie pacem & uitae integritatem custodiendam. Ad illas causas prima patrum Concilia instituta fuerunt: postea mundo sensim ac sensim ad impietatem flectente, habuerunt antecessores nostri, alias suorum conciliorum causas, sanguine descendas. Multitudinem discipulorum: totum ecclesiam non tantum in ministros uerbi, aut qui studiorum cognitionem habent.

Vox multitudinis notat libertatem Conciliorum ad que tota ecclesia conuocari debet laici & clerici pariter, nulla fideli persona exclusa, que audiri requirat Vide nostrum Dialogum de Synodis. **Dixerunt**

Oratio Apostolorum excusatoria est, qua excusant de neglectu pauperum, & dant causas cur non sit habita æqualis omnium pauperum cura. Excusatio procedit ab impossibili. Siquidem impossibile est, posse homines æque bene simul curare res duas, hoc est prædicare & simul curare eleemosynas, docere & distribuere in pauperes simul beneficia. Qua de impossibilitate & Poëta dixit. Pectora nostra duas non admittentia curas. Et Christus de eadem sic est locutus Matthæi. 7. Nemo potest duobus domini seruire. Malè itaq; agunt hodie, qui ministros ecclesiæ plus æquò grauant multis ministerijs, qui eos prædicare & arare simul uolunt, hoc est qui uni imponunt quod uex tres aut quatuor rite expedire possunt. Monemur igitur in exemplo Apostolorum omnes uerbi ministri, ne sinant se multis ministerijs grauari in ecclesia. Et id propterea, quia impossibile est unum simul posse rectè duabus conditionibus inseruire. Nam si Apostoli non potuerunt rite docere & dispensare collationes ecclesiæ simul: multo minus nos pro dignitate expediemus duo officia simul.

Item



Item si Apostoli duobus officijs occupati potuerunt in negligentiam incidere: multò magis & nos possumus. Habes hic causam multorum ministeriorum in ecclesia, quæ olim fuit negligentia, et quæ hodie causa est quod distincta sunt in ecclesia ministeria. Commodè imponerentur uni ministro plura officia, nisi negligentia diuersum suaderet, quæ ad plura officia, in una persona, perpetuo sequi solet. Sed quia negligentia circa ministeria pessimum & periculosissimum est uitium: quare ut hoc ipsum caueatur, nemini debent plura in ecclesia imponi officia, modo officia debeant rectè et sine negligentia perfici. Ante hæc tempora, cum ageremus sub impietatis regno, decem ministris imponebatur, quod uel duo expedire potuissent: hodie uni imponitur, ad quod uix decem suffiunt. Vnde timendum est, ne ecclesie ministri pluribus officijs onerati, in extremam negligentiam incidant, et non aliter atq; equus plus æquo sarcinis grauatus, sub oneribus succumbant. Imò in foribus iam est negligentia. Pauci enim sic pluribus in ecclesia ministerijs grauati, rectè expediunt commissa.

Possunt hic multa ordine dici de utilitatibus distinctorum officiorum in ecclesia: & è contra de incommodis, quæ ex confusione plurium officiorum oriuntur.

Gaudet his temporibus Germania, quia ex parci-

te, ne faciat magnos sumptus, uni imponit, quod multo-  
 rū est: ast flebit aliquando, ubi negligentia irrumperere  
 coeperit, quæ non potest abesse, ubi ministri pluribus  
 officijs sunt grauati. Post quæ omnia rogo obtestorq;  
 per misericordiã domini nostri Iesu Christi uiros Christi-  
 anos & bonos omnes, ne distincta ministeria in eccle-  
 sia intercidere sinant, ad cauendum uitium periculo-  
 sissimum, quod est negligentia, credantq; Apostolis, nõ  
 esse æquum relinquere uerbum Dei & ministrare men-  
 sis, hoc est, simul occupari pluribus officijs: postea uer-  
 tant oculos ad infortunia illa, quæ præsto iam sunt, in  
 illis Germaniæ partibus, ubi prædicatores docere &  
 arare simul coguntur. **Non est æquum.**

Excusatio ab iniquitate ad impossibile. Neq; enim  
 æquum est, neq; possibile duobus officijs simul ritè inui-  
 gilare posse. Non est æquum: ergo iniquum est mini-  
 stros ecclesiæ pluribus ministerijs grauare. In Græco  
 est. ὄντι ἀρεστέον, quod sonat n est placitum, neq; eius  
 modi res quæ nobis placere possit. Displicentiæ causa  
 est negligentia, in quam incurrere oportet eū qui pluri-  
 bus officijs grauatur.

Nos relinquere uerbum Dei: id est, docendi officium  
 intermittere. Vnum officium et illud maximum, & ad  
 quod

quo d uocati erant singulariter eligunt Apostoli. Decet exemplo Apostolorum quemq; inuigilare suæ uocationi, ad quam uocatus est. Perinent huc loci in Apostolo, qui in exemplo Thimothæi, ad officium doctrinæ tantum hortantur ministros uerbi: quales sunt hi. Donec uenero attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Ibidem. Attende tibi ipsi & doctrinæ, & in his persiste.

Et ministrare mensis: præesse elemosynis & collationibus ecclesiæ. Recusant Apostoli simpliciter plura officia. Hodie stulto mundo sic uolente, oportet unum ministrum ecclesiæ, simul docere, distribuere sacramenta, esse à cōfessionibus, curare infirmos, agere diaconū, canere, æditiui officio fungi, arare &c. Mensas per metonymiam ponit pro rebus ad mensas pertinentibus, & sic ad uictum & sustentationem pauperum.

### Curate ergo fratres.

Adhortatio ad distinctionem officiorum in ecclesia cuius causa impossibilitas: quia impossibile est unum posse simul rectè duo expedire officia. Præbuit & distinctioni officiorum in ecclesia occasionem, negligentia, propter quam uitandam, suaserunt Apostoli distinguere officia. Enthymema.

Non est æquum nos relinquere uerbum Dei, & ministrare mensis: Ergo curate de diaconis.

Curate:

Curate: quia iniquum est & periculosum pluribus officijs occupatum esse Fratres: insinuatio. VIROS Virilis sexus ad officia ecclesie aptior est.

Ex uobis. Sine personarum delectu, modo personæ sint boni testimonij, pleni spiritu sancto &c.

**Boni testimonij septem.**

Sequitur quales esse debeant personæ, quibus diaconatus officium committendum est. Descriptio qualitatibus personarum eo spectat, ne temerè quivis ad ecclesie ministeria admittantur. Petenda est hinc forma quædam eligendi ministros ecclesie, maxime eos, qui in alijs rebus præesse debent ecclesie, quam in ministerio uerbi

Sed quæris causam, cur Apostoli uoluerint boni testimonij uiros &c. eligi? Respondetur. Ne ministerium bonum male audiret, propter personas malas.

Boni testimonij: ut bonum testimonium habeant et doctrinæ & uitæ. Septem: & numerus, uidetur à longe probitatem in eligendis ostendere. Siquidem septenarius numerus, perfectionis numerus est.

**Plenos spiritu sancto.**

Qui à spiritu sancto regantur & ducantur, & in quibus quàm plurima spiritus sancti dona reluceant: qualia sunt: fides, charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, mansuetudo, temperantia, sapientia, prudentia



Prudentia, cura, diligentia, & similia alia dona, quæ  
Apostolus ad Gal. 5. fructus spiritus uocat.

Plenos spiritu sancto: id est, qui plenarie spiritum  
sanctum habeant ductorem & rect. rem: & postea ple  
ni sint spiritus sancti donis, quæ ostendunt foris, qui sint  
pleni spiritu sancto, & qui eo ut doctore & rectore u  
tantur. **Et sapientia.**

Donum hoc spiritus sancti seorsim ponunt Apostoli  
nec sine magna causa: in diacono enim præcipue re  
quiritur sapientia cum prudentia coniuncta, ut sciat,  
quid dispenset, quomodo, apud quos, quo loco & quo  
tẽpore: quæadmodũ sapiens ac prudens dispensator in  
dicio utitur in dispensando cibo, alio atq; alio tempos  
re, & alijs atq; alijs aliter pro ratione. Porro quia sa  
pientiam requirunt in diaconis Apostoli: ergo non sa  
tis est ad diaconatus officium subeundũ aliquẽ habere  
bonũ testimoniũ doctrinæ & uitæ, & plenum esse spiri  
tus sancto, nisi & ciuilitè sapiens ac prudens sit, ne impe  
ritus rerum malè disperdat opus pauperum.

**Quos constituamus, super hanc ne  
cessitatem.**

Constituamus inquit: ergo ministri ecclesiæ non de  
bent seip, os constituere, aut in ministeria intrudere.

In Græco est: ἐπὶ τῆσ̄ χρείας τούτων quod in  
hoc usu potius sonat, quàm super hanc necessitatẽ amo

tatore magno illo Erasmo Roterodamo.

Super hanc necessitatem: scilicet dispensandi collationes ecclesie, aut agendi curam pauperum.

Nos uerò orationi & ministerio instantes erimus.

Occupatione hec accedunt, ne ecclesia putet Apostolos uelle otari omnino.

Nos: qui etiam peculiariter ad ministerium uerbi sumus uocati à Christo. Orationi & ministerio uerbi: duobus potissimum inuigilare debent prædicatores exemplo Apostolorum, orationi & ministerio uerbi.

Oratione impetrare oportet prædicatores, sincerum uerbi intellectum, felicem uerbi successum, incrementum ecclesie, constantiam & similia.

Ministerium uerbi dicitur, quia non est dominium in conscientias: unde Apostolus 1. ad Corinth. 4. uult se & alios ministros uocari, non dominos. Et Christus Lucae 22. ait contra Apostolos de dominio altercantem. Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eas benefici uocantur. Vos autem non sic, sed qui maior est in uobis, fiat sicut iunior, & qui princeps est, sicut qui ministrat. A dominandi suspitione se alienum esse testatur Apostolus, posteriore, ad Corinth. 1. inquitens. Ego uerò testem

inuoco deum in animam meam, quod parcens uobis nō  
dum uenerim Corinthum, non quod dominemur uobis  
nomine fidei, sed adiutores, sinus gaudij uestri, quia  
fide statis.

Instantes erimus: notatur studium, cura & diligen-  
tia. Promittunt enim Apostoli suam diligentiam. Et pla-  
cuit hic sermo. Hodie nihil magis displicet quàm di-  
stinctio officiorum in ecclesia.

Et elegerunt. Diaconi non intruserunt se,  
sed electi accesserunt ad diaconatum. Nomina electo-  
rum faciunt ad certitudinem historie.

Stephanum uirum plenum fide  
& spiritu sancto.

Qualis Stephanus fuit, tales fuerunt & reliqui. Pre-  
ponitur & Stephanus, quia donis fortassis excelluit re-  
liquos: sex. Fide & spiritu sancto: id est, uarijs spi-  
ritu sancti donis præditum.

Et Nicolaum profelytum.

Recte & ex profelytis eligitur diaconus, quia pro-  
felyti Græci murmurarunt contra Hebræos, eò quod de-  
spicerentur in ministerio quotidiano uiduæ eorum. Nota  
diligenter ex certa prudentia elegisse apostolos Ni-  
colaum profelytum, quò commodius exortum murmur  
sedaretur.

Antiochenum : nationem adilit Lucas , ut Nicolaus certo cognoscatur profelytus fuisse.

Resert fortassis & hic paucis explicare etymon uocabuli, qui dicatur diaconus. Sciendum igitur est, diaconum à puluere nomen habere, qui Græcis κόνις appellatur : hinc diaconatus non tam dignitatis officium est, quàm laborum, & illorum puluerulentorum. Quare diaconus est, qui perpetuo pro suo officio uersatur in pulueribus & sctoribus pauperum infirmorum.

### Nos statuerant ante conspectum Apostolorum.

In hoc ut illis imponerentur manus, & in suscepto officio confirmarentur.

Et orantes. Pro confirmatione & constantia, pro sedulitate & diligentia electorum.

Orandum est, ut sedulo curent ministri ecclesie, commissa officia.

### Imposuerunt eis manus.

In confirmationem officij. Fuit enim manuum impositio signum commisi officij, & certo impositi.

Imponere manus est in officio confirmare.

Forma eligendi ministros ecclesie in primitiua ecclesia, hæc olim ex presenti loco fuit. Totæ ecclesia elegit ministros, & Apostoli confirmauerunt electos.



Quæ forma & postea aliquamdiu mansit in ecclesia. Nam & paulus Timotheo suo scribit. .i. epistola ca. 5. Manus citò ne cui imponas.

Et uerbum domini crescebat.

Hæc iterum spectant ad augmentum ecclesie, quæ crescere dicitur, non uno impetu aut momento fieri.

Et uerbum domini crescebat: id est, sensim ac sensim gloria uerbi propagabatur.

Crescendi uerbo cõmendatur potentia uerbi, quod quia crescit: ergo potens et efficax est. Enthymema.

Verbum crescit: Ergo potens atq; efficax est.

Domini uerbũ uocat à domino missum aut progressum: & quia dominus fortunat illud.

Verbum domini crescit: at uerbum hominũ facile propagatur, & fit auctior. Notatur itaq; crescendi uerbo, tarditas uerbi domini in progrediendo.

Et multiplicabatur numerus  
discipulorum in Ierusalem ualde.

Multiplicatio numeri discipulorum effectus est crescentis uerbi. Singule penè uoces huius textus, cõmendant potentiam uerbi. Enthymema.

Ad uerbum crescens multiplicabatur numerus discipulorum in Ierusalem ualde.

Ergo

Ergo uerbum potens & efficax est. Ad legē non multiplicatur discipulorum numerus: quare necesse est eam esse impotentem & inefficacem ad salutem, doctrinam. Numerus discipulorum: id est, credentium qui soli uerbum crescens apprehenderunt. In Ierusalem: à circumstantia loci ostendit difficultatem: quasi dicat, quanquam in Ierusalē credere uerbo esset difficile: quippe ubi locus Iudaicam religionem cōmendabat, tamen ibi multiplicabatur discipulorum numerus. In Ierusalem, inquit Lucas quasi cum admiratione.

Sic admiratione dignū est, quando audimus Romæ conuerti aliquem, ubi regnat ipsa impietas unā cum hypocrisi profundissima. Valde: exaggerat hæc particula mirificè potentiam uerbi.

### Multa etiam turba sacerdotum obediēbat fidei.

Et hæc mirificè exaggerant atq; cōmendant potentiā uerbi, quod non solum potest est conuertere plebem, sed etiā sacerdotes, qui egerrimè à sua uetere doctrina auelantur. Et reuera nihil difficilius est, quàm eas, qui agūt curam fucate religionis ad euangelium conuerti.

Et hic singulæ penè uoces exaggerant & commendant potentiam atq; efficaciam uerbi.

Enthymema. Verbum potest conuertere sacerdos  
tes: Ergo uerbum potens est. Item.

Verbum turbam sacerdotum multam conuertere  
potest: Ergo uerbum potens est.

Locus communis hic tractari potest de potentia uer  
bi. Consolatorium est nos tam potens habere uerbum.

Sacerdotum: hominum agentium curam fucate re  
ligionis. Obediebat fidei: id est, fide amplectebatur uer  
bum seu credebat Euangelio. Obedire fidei, est fidem  
ducem sequi, nec deliberare cum carne & sanguine,  
neq; sequi carnem & sanguinem. Potest hic fides ut  
effectus accipi pro uerbo seu Euangelio ut causa.

Obedire fidei effectus est crescentis uerbi.

Stephanus autem plenus fide &  
potentia.

Audiuimus huc usq; uocationem seu electionem dia  
conorum: audiemus porro, quomodo Deus per unum  
diaconum Stephanum nomine, gloriam suam coram iu  
deis exhibuit. Item audiuimus huc usq; de incremen  
to ecclesie: sequetur nunc audiendum, quomodo fi  
deles, conuersi, & effecti ecclesie membra, fidem suam  
confessi sint. Est enim in Stephano pulcherrimum exem  
plum confessæ fidei, qui quia credidit, igitur est locutus  
non solum ad suam priuatam, uerum etiam ad aliorum  
salutem

salutem. iuxta illud. Corde creditur ad iusticiam: ore autem fit confessio ad salutem. Et David dixit. Credidi propter quod locutus sum.

Recte quoque sequuntur incrementum ecclesie prodigia & signa, quorum non postremus est usus, credentes confirmare & conseruare in fide.

Stephanus autem: parasceue ad sequentem euentum cum Stephano, seu occasio potius.

Plenus fide & potentia: id est, uarijs & multis insignibus donis spiritus sancti ornatus.

Fidem hic accipio pro miraculosa fide, quae potens est perficere miracula, de qua loquitur Christus Matthaei. 17. Si habueritis fidem ut granum synapis, & dixeritis monti huic, demigra hinc illuc, et demigrabit, neque quicquam impossibile erit uobis. Item Marci. 16. Porro signa eos, qui crediderint, haec subsequuntur. Per nomen meum demonia eijcient &c. Meminit & huius miraculose fidei Apostolus. 1. ad Corinth. 12. ubi ait. Alij uero fides per eundem spiritum. Caeterum ut nunc per fidem hic intelligo donum illud spiritus sancti faciendi miracula: ita per potentiam donum illud efficaciae faciendi miracula intelligo: de quo dono meminit etiam Paulus. 1. ad Corinth. 12. his uerbis. Alij uero efficaciae potentiarum.



Faciebat prodigia & signa magna in populo.

Prodigia & signa magna effectus sunt fidei & potentie in Stephano. Enthymema.

Stephanus plenus fide & potentia.

Igitur facit prodigia & signa magna.

Faciebat: ex fide & potentia aut causis. Faciebat in confirmationem credentium, & ut illi, qui non credebant, miraculo prodigiorum et signorum crederent.

Prodigia & signa: species miraculi, quas generaliter pro ipsis miraculis ponit. Magna exaggeratio prodigiorum et signorum, qua commendantur illorum cause ab efficacia & potentia. In populo: ad inuitandum populum nondum credentem, ad credendum Euangelio & ad confirmandum iam credentes in fide. Euangelium noua tum doctrina fuit: ergo habuit opus miraculis, quibus reconciliaretur illi gratia & fauor.

Surrexerunt autem quidam de synagoga.

Comicus dixit. Veritas odium parit: sic Euangelium non solum odium, sed etiam extremam inuidiam persecutionem parit, quemadmodum postea uidebimus in euentu cum Stephano Euangelij professore & ueritatis amatore. Veritas & odium ueritatis se inuicem concommutantur.

Enthymema.

Enthymema. Veritas adest hodie.

Ergo eius odium non deest. Nota ueritatem subie-  
tam esse cruci & calumnijs hominum secundum carnem  
sapientum Disputatores hi eorum typum gerunt, qui se-  
cundum carnem sapientes, non possunt acquiescere hu-  
mili & contempto uerbo. Surrexerunt: humili & con-  
tempto uerbo offensi: item ex odio & inuidia erga ue-  
ritatem, ut causis moti. De synagoga: circumstantia  
loci exaggerat potentiam disputantium, qui non fuerunt  
homines leues, sed homines de synagoga, hoc est, docti  
& eruditi in uerbo uiri. Exaggeratio disputatorum hic  
fit, ut postea magis innotescat potentia uerbi, quod po-  
tuit tam potentes aduersarios reprimere ac uincere.

Per homines de synagoga, intelligis recte homines  
secundum carnem sapientes, qui non possunt non uili ac  
contempto in speciem uerbo offendi. Verisimile fit ex  
hoc loco, Hierosolymæ fuisse studiosorum collegia, non  
aliter atq; adhuc hodie sunt, ubi sunt Vniuersitates, ut  
uocant. Libertinorum synagoga fuit collegium, in quo manu-  
missi dederunt literis sacris operam. Nam & Valla pu-  
tat libertinorum uocem conditionis, non regionis esse.  
Et Cyrenensium & Alexandrinorum  
& eorum, qui erant à Cilicia  
& Asia.

Id est

Id est, in qua synagoga morabantur Libertini è Cyrenis, Alexandria, Cilicia & Asia. Hos omnes ex profectis fuisse credendum est. Nec rarum hoc est, ab hominibus, nationibus, & regionibus appellari Collegia. Sic Lipsiæ Bauororum collegium est: item Misnensium: item Saxonum &c.

Disputantes cum Stephano.

Ab his disputantibus ut filijs hominum iustificatur sapientia spiritus. Et non poterant resistere sapientia, & spiritui qui loquebatur.

Disputare contra ueritatem non est difficile: at contra ueritatem disputando aliquid officere, hoc opus, hic labor est. Verum hic fit dictum promissionis à Christo factæ. Dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes qui aduersantur uobis.

Nota ueritatem ubiq; triumphare, unde cõmendatur potentia ueritatis, cui nemo resistere potest. Consolatorium est nos tam potens habere uerbum, cui nemo resistere potens est. Sapientia: id est, uerbo, quod loquebatur Stephanus, & quod est sapientia. Verbum sapientia est à natura: deinde quia alios sapientes facit

Et spiritui qui loquebatur: scilicet in Stephano. Matthei. 10. At cum tradiderint nos, ne sitis solliciti, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim uobis in illa hora  
quid

quid loquamini Non enim uos estis illi loquentes, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Non sine causa scribit Lucas non poterant resistere sapientie et spiritui, qui loquebatur: ut scias uerbum et spiritum sanctum a persona Stephani discernere, cui per se facile resistissent disputatores. Pulchre dicitur uerbum et spiritum sanctum in personis uincere, ne quid tribuatur nostris uiribus. Monemur nos potentia uerbi et fortitudine spiritum sancti uincere, aduersarios nostros, non nostris uiribus. Tunc submiserunt uiros, qui dicerent.

Malicie exemplum in disputationibus, qui cum nihil possunt ueritate contra ueritatem, tentant ueritati obesse mendacijs. Gerunt ergo eorum exemplaria disputantes qui destituti ueritate qua oppugnent uerbum, moliuntur id mendacijs efficere.

Ex his disputantibus specta naturam omnium aduersariorum ueritatis, etiam illorum qui hodie agunt contra eam. Tunc frustrati de uictoria. Submiserunt impij non desistunt persequi ueritatem etiam uicti semel: unde exprimitur studium persequendi ueritatem in impijs. Submittere est ex dolo et mendacio subordinare in submittendi uoce ostenditur hypocrisis, que est fidelis impietatis comes. Viros hi uiri eorum typum gerunt,



gerunt, qui magnorum hominū autoritate permittunt  
se moueri ut contra ueritatem mendacijs agant.

Se audiuisse eum dicentem uerba  
blasphemix in Mosen &  
deum.

Quid subordinarint disputatores, nunc sequitur.

Verba blasphemix: quæ autoritati Mosis & gloria  
Dei detrahunt. Siquidem uerba blasphemix hic dici  
possunt, quæ uergunt in dehonestationem autoritatis  
Mosis & gloriae Dei. In Mosen: prophetam à Deo peculiariter  
uocatum, & prodigijs ac signis clarum.

Et Deum: cuius gloriam defendere & pro totis uiribus  
tueri æquum est. Mosis & Dei dehonestatione  
non sine magno consilio utuntur disputantes: quid enim  
magis ualidum est ad commouendum homines, quàm  
diuorum & Dei ipsius dehonestatio? Pietatis  
enim est colere diuos, & gloriam Dei defendere. Si  
milibus mendacijs adhuc hodie ludit mundus contra re-  
natam ueritatem, nec immerito: sunt namq; eiusmodi  
mendacia ualidissima ad commouendum imperitū uul-  
gus, quæ à diuorum autoritate & gloria Dei petuntur.

Commouerunt itaq; populum & se-  
niores & scribas.

Effectus mendacij prætextu pietatis ornati est com-  
motio

motio populi seniore[m] & scribarum. Voco autem mendacium prætectu pietatis ornatum, quod inuitat sub pietatis prætectu ad pietatem, ut. Stephanus blasphemauit & Mosen & Deum. Contra Stephanum ergo commoueamini. Commouerunt: quia pium est tueri diuorum æstimationem & Dei gloriam. Nota uulgius imperitum, imò & seniores una cum scribis mendacio commoueri, quod si uerū est, sicut non dubito, quid ergo mirum est, ante hæc tempora, in genere ferè omnes mendatijs falsæ religionis deceptos fuisse? Populū commoueri ut uulgius rerum sacrarum imperitum, non est mirum: at mirum est seniores unā cum scribis commoueri mendacio. Et seniores.

Qui sapientia iure alius excellere debebant, nec ita ad mendacia facile credere. Et scribas.

Quos eadem sapientia docebat. Et inuadentes

Effectus commotionis ex mendatio, inuadere Stephanum. Obserua constantem uerbi confessionem, sequi crucem, & premium constantis confessionis esse persecutionem. Vera est crux & legitima, quæ ex confessione uerbi tanquam causa oritur. Falsa est crux & illegitima, quæ oritur ex flagitijs.

Inuadentes rapuerunt eum: aduersarij ueritatis omnia ex uolentia agunt.

Et

Et adduxerunt in concilium.

Adductio hæc raptionis effectus est. In concilium:  
ut iustificaretur tanquam blasphemus in Mosen et deũ.

Et produxerunt falsos testes.

Veritas impugnatur mendacijs. Monentur iudices, ut diligentem curam super testibus habeant, ne sint falsi. Falsi hi testes eorum sunt exemplaria, qui in gratiam magnorum hominum contra ueritatem loquuntur mendacia.

Homo iste.

Testimonium hoc falsum est falsorum testium.

Iste: cum contemptu inquit.

Non cessat loqui.

Id est, frequenter & sedulo loquitur. A sedulitate falsi testes aggrauant causam Stephani.

Verba blasphema.

Que cadunt in debonestatione loci sancti & legis.

Aduersus locum sanctum &  
legem.

Duo accusant falsi testes in Stephano: debonestationem templi: & prophanationem legis. Et ad hæc duo respicit totum sequens caput, in quo potissimum duo agit Stephanus, allegat legem cum prophetis, ne uideatur aut legem aut prophetas auferre, aut diuersa ab eis docere, & respondet de usu templi.

Locum

Locum sanctum & legem: ex rebus magnis aggrauant falsi testes causam Stephani. Per locum sanctum intelligunt simul templum & omnes ceremonias, quæ pertinent ad templum: per legem, legem ipsam et prophetas.

Audiuimus enim eum dicentem.

Aetiologia ab auditis, quibus falsi testes nituntur probare falsa testimonia sua.

Quod Iesus Nazarenus hic.

Per contemptum hæc efferunt. Contemptus petitur à circumstantia loci q d. Ille Iesus qui est à Nazareth, cuius ortum & parentes scimus. Notabis hic causas, quibus impij hypocritæ ad falsa testimonia & ad persequendam ueritatem, & pios ueritatis professores commoueantur: causæ duæ sunt: Altera ex timore est: timet enim ne fugentur: nam destructo illo loco, timuerunt fugationem. Sic & Herodes Matthæi 2. fugare Christum ex timore maluit, quam ipse fugari: sed iniuriosa hæc causa est, quia neq; ueritas, neq; Christus, neq; pij quenquam fugant. Siquidem ueritas est doctrina pro conscientijs tantum. Christus rex spiritualis in regno spirituali pro conscientijs tantum. Pij ueritatem tantum prædicant quæ est pro conscientijs, non fugant ea homines. Altera est causa, quia timent ne ueritate & gratia Christi iusticia admissa illorum traditiones periculans



culum patiantur, è quibus querunt iusticiam.

**Destruet locum istum.**

Quo destructo, nos fugabimur.

Quia de loco falsum testimonium perhibent falsi testes: quare oportet Iudeos ualde hæsisse in loco, & ad eum deum ipsum, sanctitatem omnem, synceram doctrinam, & uerum cultum dei alligasse. De eadem re & Christus falso accusatus est.

**Et mutabit traditiones.**

Ecce curam pro traditionibus.

**Quas tradidit nobis Moses.**

En pretextum pietatis. Præhendunt enim traditiones Moses, ut suas humanas defendant.

Valde mouent quæ ab autoritate magnorum hominum et ab ipsa pietate ducuntur. Autoritas in Mose certatur: pietas in traditionibus à Mose datis. Ast pietatē tueri atq; defendere, quis nõ piũ ac iustũ simul iudicat?

**At intuentes eum omnes, qui sedebãt in concilio, uiderunt faciem eius tanquàm faciem angeli.**

Glorificatio hæc Stephani in cruce, signum est innocentie eius & ostendit deum suorum curam agere in cruce. Fit autē hæc glorificatio, non tam propter ipsum Stephanum, ut per illam confirmetur, quàm propter impios

pios Iudæos, ut ad eam glorificationem retro cogitant,  
& innocentem dimittant.

Intuentes : disponente ac mouente Iudæos domino.

Viderunt faciem eius, tanquam faciem angeli : periphra-  
sis clarissima glorificationis.

Seruit hæc glorificatio Stephani ad consolationem  
piorum, ut sciant deum suorum curam agere in cruce.

Monet quoq; hæc Stephani glorificatio, crucem se-  
qui gloriam, que scire ualde prodest, ne in cruce despe-  
remus, neq; impatienter seruiamus crucem. Notatu dignū  
est circa hūc locū, gloriā piorū etiā impijs innotescere.

## CAPVT VII.

**O**RATIO Stephani apologetica est, qua contra  
falsam accusationem falsaq; testimonia se defen-  
dit. Defensio sic respondet accusationi. Falsi testes de  
duobus accusarunt Stephanum : de destructione templi  
& de mutatione legis, quorum neutrum uerum esse cō-  
cedit : imò ostendit se non contra templum loqui, sed ue-  
rum templi usum docere : nec se loqui, contra legem,  
sed uerum legis usum interpretari.

Consistit ergo tota sequens oratio in hoc, ut legis et  
prophetarum scriptis declaret Stephanus, se non tollere  
legem, neq; diuersa à lege & prophetis docere : imò le-  
gis & prophetarū uerū usum proponere tantū : deinde

se non destruere templum, neq; ceremonias templi: neq; se predicare Christum illud manu destructurum, sed uerum templi & ceremoniarum usum ex presentia Christi docere. Sunt qui querant de finali causa allegata legis & locorum ex prophetis per Stephanum adductorum, quae illa sit. Respondeo. Finalis haec causa est, ut allegatione legis et prophetarum ostendat Stephanus se non contra legem et prophetas loqui, uerum & legis & prophetarum tantum docere uerum usum, qui est monstrare Christum unicum saluatorem & iustificatorem: Item se non docere contra templum, sed templi & ceremoniarum uerum usum ostendere, quem in fine orationis fideliter exprimit Stephanus, dum deum a terreno templo liberat.

**Dixit autem princeps sacerdotum.**

Autem connectendi particula est. Princeps sacerdotum eorum imago est, qui ex hypocrisis iuris speciem praetendunt, ne uideantur aperte ex dolo & iniuria agere.

**An haec ita se haberent.**

De iure est audire utramque partem. **Qui ait.**

Exemplum constantis confessionis de ueritate in Stephano, qui quod in corde credidit certo, id foris ore constanter confessus est. Iuxta illud Davidis. Credidi, propter quod locutus sum. Del et oratio Stephani ad lo

eum cōmunem de cōfessione ueritatis referri. Qui ait:  
ex fide ut causa. Viri fratres & patres.

Captatio beneuolentiæ à dignitate auditorum, quibus se amicis & gratis appellationibus insinuat.

Docemur exemplo Stephani uenerari & reuereri nobis superiores, & non contemptim cum illis agere.

Audite. Reddit attentos, significans tacite se de magnis & utilibus rebus dicturum: nimirum de uero usu legis, prophetarum, templi, & ceremoniarum.

Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahamæ.

Vsus ad quem tendit Stephanus sequentibus locis diligenter & quasi in promptu habendus est: scilicet totum uetus testamentum, promittere Christum unicū saluatorem & iustificatorem, unā cum gratuita iusticia.

Ordo sequentium locorum scripturæ sic habet. Stephanus uult ostendere ante datam legem gratuitam in Christo iusticiam esse promissam: igitur legem non iustificare: deinde data lege, nedum quidem ex lege iusticiam esse. Scopus itaq; omnium sequentium locorum referendus est ad locum communem de gratuita iusticia.

Idem nititur Apostolus ostendere, ad Rom. 4. quando, inquit. Beatificatio igitur hæc in circumcissionem



tantum, an & in præputium deuenit? Dicimus enim quod imputata fuerit Abrahamæ fides ad iusticiam. Quomodo ergo imputata est, cum esset in circumcissione, an cum esset in præputio? Non in circumcissione, sed in præputio. Et signum accepit circumcissionis signaculum iusticiæ fidei, quæ fuerat in præputio, ut esset pater omnium credentium per præputium, ut imputaretur & illis iusticia, & pater circumcissionis, ijs qui non solum genus ducebant à circumcisis uerum etiam ingrederentur uestigijs fidei, quæ fuit in præputio patris nostri Abrahamæ.

Hactenus declarauit Apostolus, gratuitam iusticiam in Christo ante datam legem fuisse promissam.

Quæ porro sequuntur declarant & sub data lege, gratuitam esse iusticiam.

Idem agit Paulus & in 3. capite ad Galatas, in quo asseuerat gratuitam iusticiam, & ante datam legem, & post legem datam.

Refert hic circa præsentem locum à Stephano productos, multis disputare de gratuita iusticia ante datam legem, & de gratuita iusticia etiam sub lege data, quæ non in hoc data fuit, ut iustificaret, uerum ut esset ad gratuitam iusticiam occasio. Iuxta illud. Lex pædagogus noster usq; ad Christum.

Porro Stephanum ad prædictum scopum tendere, apertum est

est ex epilogi uerbis, quem annectit in fine orationis, cuius uerba hæc sunt. Quæ prophetarum non sunt persecuti patres uestri? Et occiderunt eos qui prænu-  
ciabant de aduentu iusti, cuius uos nunc proditores & ho-  
micide fuistis: qui accepistis legem per dispositionem  
angelorum, & non custodistis: id est, uerum legis usum  
ignorastis & adhuc ignoratis.

Deus gloriæ: narratio cui inclusa est pars propo-  
sitionis de gratia. Deus gloriæ: qui natura est gloria, et  
alios gloriosos facit. Deus gloriæ: id est, cui merito cre-  
dendum est. Commendatione Dei reconciliat sue narra-  
tioni auctoritatem Stephanus. Apparuit: ex gratia præ-  
ueniente. Verbo apparuit, alludit obiter Stephanus ad  
gratuitam iusticiam ante datam legem. Incipit Step-  
hanus ab historia Abrahamæ, dicturus de gratuita iusticia,  
quia Abrahamæ omnium clarissima de Christo & gratui-  
ta iusticia facta est promissio. Patri nostro Abrahamæ et  
secundū carnē & secundū promissionē seu fidem. Non  
sunt filij, qui secundū carnē Abrahamū habent patrem  
sed qui Abrahamum secundum promissionem patrem  
habent. Cum esset in Mesopotamia.

A circumstantia loci commendat Stephanus gratuitā  
iusticiam ante legem datam.

Cum esset in Mesopotamia, ad Ro. 4. in præputio

Ad Galatas. 3. Hoc autem dico, testamentum ante comprobatū à Deo erga Christum, lex quæ post annos quadringentos et triginta coepit, non facit irritum, ut abroget promissionem. Ad Hebræos. 11. Per hanc enim testimonium meruerunt seniores &c. Priusquã moraretur in Charran. Idem sibi uult Stephanus et hac circumstantia loci, quod præcedete, ut gratuitã iusticiã ante datã, legem ostendat. In Abrahamo exemplum fidei est & gratuitæ iusticiæ, quo hoc sibi uult Stephanus. Abrahã ante datam legem iustificatus est, ergo Abraham non est iustificatus lege: ergo legis non est iustificare.

Et dixit ad illum.

Ex mera gratiã. Exi de terra tua.

Hec & simul prædicta præparatoria sunt ad promissionem. Abrahæ factam. Exi: præceptum, quo iubetur Abrahã charissima quæq; nomine Dei postponere: qualia sanè sunt, patria, cognatio, domus patris, &c. Præceptum hoc exprimit legis naturam, quæ est præcipere carni molesta & auara. De terra tuã: exaggeratur grauitas præcepti à patria

Et de cognatione tua.

Exaggeratur grauitas præcepti à cognatis. Vsuus est huius exaggerationis, ut postea commendetur fidei magnitudo in Abrahamo, qui simplici uerbo se cõmisit.

Et ueni in terram quam monstra-  
uero tibi.

Locus est promissionis, qua rursum Deus solatur Abrahamum ad meliorem habitationem. Monstra uero tibi: id est, quam me duce & ductore accipies.

Tunc. Facta uocatione. Fidei exemplum in Abrahamo est, qui non diu deliberauit cum carne & sanguine, sed credidit simplici per uerbum uocationi.

Monemur exemplo Abrahæ, ut per uerbum uocati, statim cōmittamus nos uocanti uerbo. De natura fidei est statim sequi uocanti uerbo, nec diu cum carne et sanguine deliberare. Exijt: fide ut causa motus.

De terra Chaldæorum. De Mesopotamia.  
Et habitauit in Charram.

Ciuitate Mesopotamiæ.

Et inde postquã pater eius mortuus.

Stephanus à Mose dissidet in expositione historiæ de morte patris Abrahæ, de quorũ reconciliatione uide Augustinum lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 15. Pater: Thare

Transtulit illum in terram istam, in  
qua nunc habitatis.

In terram Chanaan. Transtulit: ex gratia, ut commendat gratuitam iusticiam. Nam Deus, qui omnia ex gratia fecit & patribus & successoribus, gratuitam



quoq; iusticiam & patrum & successorum esse uoluit  
 Et non dedit illi hæreditatem  
 in ea.

Vt disceret Abraham ad cœlestem patriam aspirare, nec herent in admiratione rerum terrenarũ, in eisq; spem poneret. Vult inferre Stephanus: ergo nec uos in rebus terrenis, sanctis locis, & huius farine rebus externis, hærebitis. Et non dedit illi hæreditatem in ea: spe clarunt hæc ad probationem fidei in Abrahamo.

### Nec passum pedis.

Magna fidei probatio. Enthymema.

Abraham credidit promissioni de hæreditate, etsi de eane passum pedis acciperet, nec daret illi Deus: Ergo Abraham magnam fidem habuit, nec hæsit in terrenis, sed in nuda promissione.

Sed promisit. Scilicet tantum.

### Cum nondum haberet filium.

Omnia exaggerant fidem in Abrahamo, ex qua placuit Deo antequam etiam daretur lex, quæ non potuit Abrahamũ iustificare: quia antequam daretur lex, placuit

Deo & iustus fuit. Cum nondũ haberet filiũ: id est, nihil minus tamen sub spe præter spem credidit, Deum seruaturum promissionem: unde & iustus factus est: uel sicut Paulus ait ad Ro. 4. Quapropter etiam impunitatum est illi ad iusticiam.

Locutus

Locutus est autem ei deus.

Annectit Stephanus historiam de seruitute in Aegypto, ut ob oculos ponat, quomodo Deus fidem Abrahamæ et seminis eius cruce probauerit exercueritq; & postea semen Abrahamæ rursum liberauerit iuxta suam promissionem. Commendat Stephanus fidem in Abrahamo & semine eius, ex qua placuerunt Deo ante datam legem quæ si faceret placere Deo, oportuisset eam habere Abrahamum & semen eius: sed eam non habuerunt: ergo non ex lege, uerum aliunde placuerunt Deo.

Locutus: ex gratia præueniente.

In terra aliena. In Aegypto.

Et seruituti eas subiicient.

Alludit ad seruitutem Aegyptiacam.

Et malè tractabunt.

Exaggeratio seruitutis à uehementia eius, et à diuturnitate. Et gentem cui seruerint iudicabo ego.

Promissio liberationis ex Aegypto.

Iudicabo ego: pressuram piorum iudicat Deus.

Dicit deus. Ergo uerum est. Deus enim mentiri & fallere non potest: quia est ipsa ueritas.

Et post hæc exhibunt. Finitis annis quadringentis. Et seruient mihi in loco isto.

Vsum

Vsum hic quendam uides instituti populi Israëlitici, qui est seruire domino in terra Chanaan. Seruiunt: usq; ad Christum, qui legis finis est, & omnium ceremoniarum cultusq; omnis apud Iudeos, quos Deus populū suū instituit certisq; ceremonijs et cultu certo ornauit, ut in illo custodiretur promissio de Christo saluatore & iustificatore facta.

### Et dedit illi testamentum circumcisionis.

Post factam promissionem, & cum iam esset iustificatus Abraham ex fide. Vult insinuare Stephanus, iusticiam contigisse Abrahamæ ante circumcisionem, ergo legem non iustificare, nec legem propterea datam esse.

Testamentum circumcisionis uocat, non quod circumcisio testamentum fuerit, sed quod circumcisio secuta sit testamentum, & signum testamenti extiterit. Vnde Apostolus ad Ro. 4. definit circumcisionem signaculum iusticiæ fidei, hoc est, testans de iusticia per fidem accepta, et admonens Abrahamum de iusticia fidei, eumq; conseruans apud eam.

Vides hic expressum usum signorum & omnium ceremoniarum, qui non est iustificare, sed esse signacula iusticiæ fidei, id est, notæ quæ incurrunt in oculos ad cōmonefaciendum nos ad credendum, sicut uerbum incurrit in aures, ut moueat cor ad credendum, & sunt testes

re acceptæ iusticiæ. Vfus circumcisionis in Abrahamo hic fuit: Abraham habebat uerbum promissionis, habebat & signum circumcisionis, hæc nota quasi scripta in eius corpore admonebat eum promissionis, ut in omnibus tentationibus intuens in hanc, commonesceret & erigeret se fide. Quare sacramenta seu signa, sunt instrumenta, per quæ fides excitatur, erigitur, & confirmatur. Vide D. Philipum in. 4 ad Rom.

Dedit: in excitationem, erectionem, & confirmationem fidei: item in testimonium acceptæ iusticiæ per fidem. Testamentum circumcisionis: id est, circumcissionem signum testamenti, hoc ipsum confirmans, & de ipso admonens Abrahamum: quare & Apostolus circumcissionem appellat signaculum iusticiæ fidei.

Et hic. Abraham fide iustificatus ante circumcissionem & datam legem. Genuit Isaac.

Filium in fide sibi similem, & eiusdem gratuite iusticiæ participem. Est & in Isaac fidei & gratuite iusticiæ exemplum ante datam legem.

Et circumcidit eum die.

Vt Isaac ubi excreceret, haberet signaculum iusticiæ fidei, quo excitaretur, erigeretur, & confirmaretur fides illius: item quo certus de gratuita iusticia fieret.

Deinde Isaac Iacob.



Qui & ipse credidit exemplo patris Isaac, & iusticie gratuite particeps factus est ante legem datam. Et in Iacob exemplum fidei est & gratuite iusticie

Et Iacob duodecim patriarchas.

Imitatores parentis sui et in fide et in gratuita iusticia sunt in duodecim patriarchis exempla fidei & gratuite iusticie.

Et patriarche emulantes Ioseph.

Orditur Stephanus à Ioseph, cuius fides, constantia, & integritas magna fuit. Fides, qua ad iusticiam firmiter credidit semper. Constantia, ex qua in cruce non defecit. Integritas, qua de fide & accepta gratuita sua iusticia testatus est. Usus uenditi Ioseph hic esse potest secundum sensum Stephani. Deus Ioseph uenditi curam elegit, & celebrem fecit: ergo Ioseph placuit Deo: si placuit, ut puta ante legem datam: igitur non est de usu legis iustificare. **Vendiderunt.**

Sic fide iustos proponit Stephanus patriarchas, ut tamen eos infirmos esse sinat.

Et erat deus cum eo.

Id quod non esset factum, si lex iustificaret, aut faceret nos placere Deo: quippe cum tum non esset lex data. Enthymema. Ante datam legem fuit Deus cum Ioseph: Ergo ante datam legem fuit Ioseph iustus, & placuit Deo. **Et**

Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius.

Clarius exponit Stephanus, Deum fuisse cum Ioseph id quod à multis beneficijs in Ioseph à Deo collatis, probat. Vfus est horum sequentium beneficiorum omnium, ut declaret Stephanus, Ioseph placuisse Deo ante datam legem, ergo & iustificatum fuisse sine lege.

Eripuit: potenter liberavit. Ex omnibus: commendatur omnipotentia Dei & fauor eius erga Ioseph.

Enthymema. Ioseph eripuit Deus ex omnibus tribulationibus ante datam legem: Ergo Ioseph iustus fuit & placuit Deo sine lege.

Dedit ei gratiam & sapientiam

Enthymema. Ioseph dedit Deus gratiam & sapientiam ante datam legem: Ergo Ioseph iustus fuit & placuit Deo sine lege. Gratiam & sapientiam  
gunst vnd kunst.

Et constituit eum principem.

Enthymema. Ioseph constituit Deus principem &c. ante datam legem: Ergo Ioseph absq; data lege iustus fuit. Venit autem fames.

Prosequitur Stephanus cœptam historiam.

Fames hæc plaga Dei fuit, qua voluit Deus probare patrum fidem. Vsum huius historię de fame si spectes

spectes, hic est, ut doceat Stephanus, quomodo deus patrum curam egerit tempore famis, & quomodo patres constanti fide curæ dei adhæserint.

Enthymema. Patrum curam deus egit tempore famis ante datam legem: Ergo patres iusti facti sunt absq; operibus legis. Venit: sic uolente domino.

Fames: quæ occasio fuit descensus in Aegyptum, ut impleretur promissio. Gen. 15. de seruitute in Aegypto tolleranda usq; ad quadringentos annos.

### In uniuersam Aegyptum & Chanaan.

Exaggeratio famis à circumstantijs locorum.

Et tribulatio magna.

Et hæc spectant ad exaggerationem famis, sicut & sequentia: & non inueniebant cibos patres nostri.

Pertinet exaggeratio famis eò, ut hac exaggerata postea magis innotescat potentia dei, qua potuit deus seruare patres, ne fame perirent: item ut magis inclarescat fauor dei erga patres, ex quo seruauit eos, inuentis medijs, quibus parauerunt sibi frumenta.

Cum autem audisset Iacob.

Deo sic disponente. Audisset: cognouisset occasionem parandi frumenta.

Misit patres nostros.

Oblatam occasionem non negligit Iacob.

Agnitus est Ioseph à fratribus suis,  
Domino sic disponente. Et manifestatum  
est Pharaoni genus Ioseph.

Ordinante sic domino, et quò sic commodius com-  
pleretur promissio de descensu in Aegyptum.

Mittens autem Ioseph.

Nihil hic temerè fit, sed omnia ex consilio Dei, & ut  
satis fiat promissio de descensu in Aegyptum.

Animas septuaginta quinque.

Gene. 46. sexaginta sex. Exodi. 1. septuaginta. Gene.  
45. numerantur animæ sine Ioseph, uxore, filijs & ne-  
potibus. Exodi. 1. Ioseph, uxor, filij & quidam nepotes.  
Stephanus plures nepotes addit, & efficit septuaginta  
quinque animas. Et descendit.

A Ioseph filio accersitus.

Et translati sunt in Sichem.

Genesis ultimo. Et portantes eum in terram Chana-  
an, sepelierunt in spelunca duplici, quam emerat Abra-  
ham cum agro in possessionem sepulchri ab Ephran-  
theo contra faciem Mambre. De qua spelunca uide  
& 25. cap. Geneleos. Variant ergo Stephanus et Mo-  
ses. Fieri potest quod scriptori dum hæc scriberet in-  
mentem uenerit ille ager quem Iacob emit ab Emor pa-  
tre



tre Sichem, cuius meminit scriptura, Genes. 33. Sed re-  
conciliationem Stephani & Mosis uide apud D. Bullin-  
gerum in hoc caput Actorum, ubi multa uerisimilia ad-  
ducit, pro reconciliatione horum locorum.

Volo & te Lectorem scire scriptores noui testamen-  
ti, potius referre sensum allegatorum ex ueteri, quam  
uerba. Qua de re aliquoties monui in Scholijs nostris,  
quæ scripsi in Euangelistis.

### Cum autem appropinquaret tem- pus promissionis.

Cohærent hæc historiæ: igitur noluit Stephanus ea  
intermittere. Vfus uerò sequentium hic est usq; ad ap-  
partitionem in monte Sina. Deus ex Aegypto liberauit  
patres ante datam legem, & quia liberauit, placuerunt  
ei: ast, quia placuerunt: ergo absq; lege iusti fuerunt.

Autem connectendi particula, qua connectitur histo-  
riæ series. Tempus promissionis: de liberatione ex  
Aegypto facta, Gen. 15.

### De qua iurauerat deus Abrahæ.

Nota quàm se accommodet deus infirmitati nostræ,  
ut etiam iuret nostro nomine, qui aliàs à natura non po-  
test fallere. Creuit populus.

In signum deum seruaturum promissionem Abrahæ  
factam de multiplicatione seminis eius instar arenæ.

Donco

Donec surrexit alius rex.

Nō ex æquo omnis magistratus fauet pietati et pijs.

Hic varias fraudes machinatus  
est contra genus nostrum.

De quibus agit primum caput Exodi. Exemplū  
tyrannidis in rege est. De his fraudibus prædixerat  
deus Abraham, Genes. 15.

Afflixit

Exaggeratur tyrannis regis, ut postea innotescat  
magis potentia dei, qui potuit Patres à tanta tyrannide  
liberare. Ut exponerent infantes suos.

παιδὸς à circumstantia personarum seu ab ætate.

Eodem tempore natus est Moses,  
& placebat deo.

In hoc Mose simpliciter proponitur exemplum fidei  
dei & gratiæ iusticiæ ante datam legem.

Enthymema. Moses ante datā legē placuit deo:

Ergo Moses iustificatus est sine operibus legis. Placebat deo: ex fide ut præcedente causa. Nam sine fide  
quicquid fit peccatum est, ad Rom. 14. Et impossibile  
est placere deo sine fide, ad Hebræos 11.

Qui nutritus est tribus mensibus  
in domo patris sui.

Amor erga liberos præfertur impio mandato de necandis liberis, aut de illorū expositione ad necē: & licet

34<sup>o</sup> ERASMI SARCERII SCHOL.

Pater seruauit ex pietate erga filium Mosen: tamen postea tyrannide coactus exposuit eum.

Exposito autem illo.

Vincit tyrannis pietatem in liberos.

Sustulit eum filia Pharoonis.

Seruatur deus suos mirabiliter, & præter captum rationis. Nō debuit perire Moses, ut seruaretur promissio de liberatione ex Aegypto.

Et eruditus est Moses.

Pietas est summa in liberos, ut quā optime educeretur, & ad optima. Pertinent hæc ad commendationem Mosis, à cognitione rerum, & felici illarum usu, quo usus est res cognitæ.

Cum autem completum esset quadraginta annorum tempus.

Id est, cum Moses esset factus quadraginta annorum.

Ascendit in cor eius.

Disponente & ordinante sic domino.

Vt uisitaret. Id est, ut se illorum assumeret.

Et cum uidisset quendam.

Ex Israëlitis. Ultionis de iniuria fratris exemplū in Mose, qui non temerè ultionem præstitit, sed ut à longe significaretur, Mosen futurum liberatorem Israëlitis ex seruitute Aegyptiaca.

Exemplum huiusmodi ultionis non est nobis priuatis personis imitatorium, sed tantum publicis personis, hoc est, magistratui, qui debet ulcisci de iniuria.

Existimabat autem intelligere fratres suos.

Finis hic fuit factæ ultionis, quam non temerè perfecit Moses, uerum ut illa ipsa significaret Israëlitis, iam in scribis adesse executionem promissionis de liberatione ex Aegypto, & se Mosén eum esse, per quem dominus uellet Israëlitis liberare. Existimabat: putabat aut uolebat. Intelligere: factum ultionis.

Quod deus per manum ipsius daret salutem illis.

Quod per ipsam esset deus liberaturus Israël ex seruitute Aegyptiaca.

At illi non intellexerunt.

Exemplum cœcitatatis in Israëlitis, qui iam serè obliuerant promissionis de liberatione ex Aegypto Abrahæ & semini eius facta.

Sequenti uerò die illis litigantibus.

Exemplum pacificationis, ut sic loquar, in Mose, qui non tantum pro se pacis studiosus est, sed etiam alios ad



pacem hortatur. Qui sic dediti sunt paci pro se & pro alijs, uocamus pacificos. Est & charitatis in Mose litigantes inter se reconciliare.

Viri. Captat beneuolentiam à sexu.

Fratres estis. Adhortatio ad pacē à decoro: & dehortatio à litibus ab indecoro.

Enthymema. Fratres estis: Ergo præter decorum læditis uos inuicem.

Cur læditis inuicem.

Q. d. cum hoc non sit decorum.

Qui autem iniuriam faciebat proximo, repulit eum.

Qui faciunt iniuriam, non possunt æquo animo ferre reprehensores. Repulit eum: auersatus est.

Quis te constituit principem & iudicem super nos?

Questio de autoritate interponendi se inter litigantes: q. d. iniuriosus, qui uult cōponere lites, illum oportet etiam habere commissionem suæ compositionis.

Numquid interficere me tu uis.

Aegerrimè ferunt reprehensionem iniuriosi, & putant sibi iniuriam fieri, ubi cohibentur ab iniuria.

Fugit autem Moses propter uerbum istud.

Exemplum timoris in Mose ex quo fugit.

Fuga hæc pertinet ad probationem fidei de liberatione Israëlitarum, & in Mose & in alijs.

Et completis annis quadraginta.

Huc usq; ostendit Stephanus ex exēplis patriarcharum ante datam legem, homines per fidem gratuito fuisse iustificatos sine lege: nunc ostendet, etiam data lege, homines per fidem gratuito sine operibus legis iustificari, id quod probat ab autoritate Mosis, qui ipse de Christo fide in Christum, & gratuita iusticia prophetauit, quando dixit: Prophetam suscitabit uobis, &c.

Spectant hæc ad uocationē Mosis, cuius hic est usus Moses à deo uocatus fuit, & per Mosen dedit deus legem: ergo & sub lege data, placuit deo Moses, & per consequens iustus fuit: non quia per ipsum dedit deus legem, nec quia sub lege uixit, sed quia apprehendit promissionē de Christo fide, de quo & egregiè uaticinatus est. Et completis annis: post fugam in terram Mædian. Apparuit: ex gratia præueniente.

In deserto montis Sina.

Vbi Moses pascebat oues soceri sui sacerdotis Mædian. Angelus domini. Exodi 3. Apparuit ei dominus, &c. Et hic Lucas potius sensui studuit, quam uerbis. Fortassis respexit ad locū, qui est de

lege data per angelos. Et sunt qui angelum domini, & dominum pro iisdem appellationibus in plerisque ueteris testamenti locis, confundunt. Item nec rarum est in ueteris testamenti libris, dominum poni pro ipsis angelis et e contra. Sic Iacob Gen. 28. de angelis ascendenti bus & descendenti bus in scala, ait: Verè dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Angelus domini; à domino missus. In igne flammæ rubi.

Hypotyposis apparitionis angeli. In igne flammæ rubi apparet angelus domini, ut significantur diuitiæ in domino, de quibus decidunt in nos multa, ita tamen quod semper adhuc exundantes maneant, non aliter atque rubus perpetuo ardens, & non comburens.

Moses autem uidens admiratus est uisionem.

Et hæc Stephani uerba paululum à uerbis Mosæ discrepant. Dignum est admiratione, diuitias Dei, quanquã liberalissimè dispartiantur in alios, tamen non minui. Admiratio effectus est uisionis.

Et accedente eo ut consideraret.

Exemplum humani consilij in Mose, qui diuitias dei ex ratione & secundum humanum iudicium uult considerare. Typum gerit Moses eorum qui ex humanis consilijs & iudicio rationis, uolunt metiri res Dei. Consideraret

Varet: ex humana intentione & ex ratione ut causis.

Facta est ad eum uox domini.

Deus praeuenit Mosen sua gratia. Vox domini

Αὐτῶν οὐκ ἔστιν ἄλλῳ δίδωται τῷ κυρίῳ ἡ φωνή. Angelis uox  
tribuitur quando humana corpora assumpserunt.

Ego sum deus patrum tuorum.

Exemplum philanthropiae in Deo qui Mosen ex hu-  
mano consilio & iudicio rationis uolentem considera-  
re res praesentes, nō repellit acerbè: imò potius consola-  
tur. Enthymema Ego sum Deus patrum tuorum

Ergo noli mirari ad praesentia. Insinuat se Deus  
Mosi appellationibus patrum, ut & ipse exemplo pa-  
trum credere ac fidere Deo discat. Enthymema.

Ego sum Deus patrum tuorum: Ergo & tuus Deus  
ero. Ego: emphaticus, & non alius. Deus: auxiliator  
uocatur enim Deus Graecis, ἀπὸ τοῦ θεοῦ, id est, à  
succurrendo uel auxiliando. Patrum tuorum: quibus  
facta est promissio.

Deus Abraham, deus Isaac, & deus  
Iacob.

In genere dixit: patrum tuorum: nunc distributio-  
ne speciatim addit patres & patrum nomina. Deus  
Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob: id est, omnium  
illorum, qui exemplo patrum Abraham, Isaac, & Iacob  
in me credunt



Abraham, Isaac & Iacob exemplaria uiua sunt omnium credentium. De Abraham patre credentium sic ait Apostolus, ad Rom 4. Vt esset pater omnium credentium &c. De Isaac cap. 9. Per Isaac nominabitur tibi semen, hoc est, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis recensentur inter semen. Ibidem de Iacob Iacob dilexi: Esau uero odio habui.

### Tremefactus autem Moses.

Verbo Dei & terret & solatur simul. Terret primum, ut securitatem tollat: consolatur à securitate iam factos alienos. Rectè accipiunt legem exemplo Mosè, qui ad eam tremunt. Male, qui eam securitate accipiunt.

### Non audebat considerare.

Non audere considerare effectus tremefactionis.

### Dixit autem illi dominus.

Legem Dei non oportet illotis manibus adire: hoc est prauis adfectibus ex securitate, humano consilio, & iudicio rationis. Vult igitur Deus Mosè legem reuenter acceptare, sine prauis adfectibus, sine securitate, sine carnalibus ausibus, sine humano consilio, & iudicio rationis, in hoc ut ostendat ueram complendi legem formam.

### Solue calciamentum pedum tuorum.

Mandatum Dei est ad legem Dei prauos adfectus

omnia

omnia humana & securitatem deponere. Pedum allegoria significantur proprie impuri adfectus & cogitatus qui cum adsunt presentes, impediunt à uera sanctitate, & completionem legis uera.

**Locus enim in quo stas terra  
sancta est.**

Aetiologia solutionis calciamenti pedum, à terra sancta, nō quod per se sit sancta, sed quia in illa lex sancta data est. Dominus quia erat daturus legem, obiter hic alludit ad res ad ueram legis adimplerionem necessarias. Enthymema. Lex sancta est.

Ergo lex requirit sanctos ac puros adfectus.

**Videns uidi afflictionem populi  
mei.**

Id est perfecte cognoui. Consolatorium est Deum uidentem uidere nostram afflictionem. Enthymema.

Deus uidens uidit afflictionē suorū: Ergo Deus curā agit pro suis. Et gemitum eorū audiui.

Deus gemitū suorū audit: Ergo Deus curā habet pro suis. Et descendi liberare eos.

Hoc est, presenti presidio illis succurrere & potenti. Deus descendens ipse liberat nos.

Ergo magna est Deo cura pro nobis adflictis. Descendi liberare uos: promissio presentis & perfecte liberationis.

Et

Et nunc ueni & mittam te in  
Aegyptum.

Vocatio Mosis liberatoris Israël ex Aegypto.

Hunc Mosen. Occupatio pro certitudine personæ Mosis, ut liberatoris Israël ex Aegypto. Misit iuxta suam promissionem, Genes. 15. Veruntamen gentem cui seruturi, ego iudicabo.

Principem & redemptorem.

Moses hic typus fuit Christi principis & liberatoris nostri, à captiuitate diaboli, peccati, mortis, inferni, damnationis &c. Alludit & Apostolus ad Mosen typum Christi, ad Gal. 3. inquit. Quid igitur lex? Propter transgressiones addita fuit, donec ueniret semen cui promissum fuerat, ordinata per angelos in manu intercessoris. Cum manu angeli.

Et hæc occupatiuè adijciuntur, ne putemus Mosen suis uiribus redemisse Israël ex captiuitate Aegyptiaca. Manus potentiam hic sonat.

Hic eduxit illos faciens prodigia  
& signa in Aegypto.

Iterum notat certam Mosis personam.

Facere prodigia & signa pertinet ad commendationem autoritatis Mosis. Et quantum ad signa & prodigia pertinet, Moses quoque typus Christi fuit, qui pro confirmatione

firmatione Euangelij multa prodigia et signa fecit.

Vsque prodigiorum & signorum, quæ Moses fecit fuit, ut illis conuerteretur Pharaos, & Israëlita de uoluntate Dei erga se certò redderentur.

Hic est Moses qui dixit filiis  
Israël.

Ex his certan notat personam Mosi Enthymemata.

Israël dixit Moses de Christo.

Ergo Israël ad fidem Christi duxit. **Item.**

Moses Israël dixit de Christo: Ergo Moses Israël non docuit iustificari per legem. **Item.**

Moses Israël dixit de Christo etiam sub data lege.

Ergo Israël instituit de gratuita per Christiani iusticia, sine operibus legis. Spectant huc Paulinæ sententiæ, quæ idem monent. ad Rom. 3. Arbitramur igitur hominem iustificari fide, sine operibus legis. Ad Rom. 4. Si hereditas est ex lege, incerta facta est promissio ad Gal. 2. Si iusticia est ex operibus legis, frustra mortuus est Christus. ad Ro. 5. Imò regnauit mors ab Adam usque ad Mosen: id est, etiam tempore legis.

Prophetam suscitabit uobis dominus  
deus.

Enthymema. Moses suo uaticinio respexit ad Christum



stum etiam sub lege: Ergo Moses sine legis operibus  
præfente etiam lege, iustus factus fuit.

Hunc locum Moses supra capite. 3. explicatum à me  
inuenies. Tanquam me. Cuius ego à longe  
typus sum. Ipsum audietis.

Ad salutem seu iusticiam.

Ipsum: emphaticos: ergo non opera.

In uaticinio Moses exprimitur totius legis usus, qui  
est uaticinari de Christo et gratuita eius iusticia. In idē  
incidunt hæ locutiones. Moses dixit de Christo. Prophe  
tam suscitabit uobis dominus Deus de fratribus uestris  
tanquam me, ipsum audietis: & hæc Lex pædagogus  
est ad Christum: id est, lex est occasio ad Christum &  
gratuitam eius iusticiam, ipsa non iustificans. In summa  
uult insinuare Stephanus. Moses de Christo saluatore  
& iustificatore uaticinatus est: ergo lex non potuāt cō  
ferre salutem seu iusticiam. Est quoq; magna emphasis  
in uocibus. Hic est Moses, qui dixit filiis Israël. q. d.  
Stephanus. Moses ipse legislator, fide confugit ad Chri  
stum pro iusticia, & cognouit non esse ex legis operi  
bus iusticiam: ergo multo magis uos fide ad Christum  
fugere debetis, & cognoscere ex operibus legis non esse  
iusticiam.

Hic est qui fuit in ecclesia.

Valde

Valde extollit auctoritatem Moſis, ut Iudæos illius auctoritate à iuſticia operum auocet, & eos ad uerum legis uſum abducatur: Nam ſi Moſes ipſe legiſlator uaticinio de Chriſto teſtatus eſt, legem non in hoc datam eſſe ut iuſtificet: ergo longe magis nos confitebimur non eſſe de legis officio, iuſtificare. In eccleſia: in congregatione Iſraëlitarum. **Cum angelo.**

Quia per diſpoſitionem angelorum lex data eſt, ut infra in hoc cap & .3. ad Gal. Exodi liber. 19. cap. teſtatur dominum locutuſ cū Moſe.

**In monte Sina.** Cum eſſet lex danda.

**Et cum patribus noſtris.**

Per Moſen interceſſorem, ut eſt uidere, Exodi. 19.

**Qui accepit uerbum uiuum, ut daret nobis.**

Legem uocat uerbum uiuum: uel quia uitam annexam habet pro eis, qui eam perfecte præſtant: iuxta illud ad Gal. 3 ſed qui fecerit ea homo, uiuet in eis: uel quia eſt occaſio ad uitam: iuxta illud. Lex pædagogus noſter ad Chriſtum.

Cæterum lex reuera annexam habet uitam, qua de re non eſt controuerſia: ſed tantum hoc in controuerſam hodie incidit: num in noſtris uiribus ſit ſeruare legem, que uitam annexam habet: aſt quia apertum eſt, ſeruare

est seruare legem non esse in nostris uiribus : igitur ne-  
uita annexa legi nos sequi potest.

OBIECTIO. Ergo desperandum est de uita.

RESPONSIO. Non. Nam Christus in hoc  
missus est à patre, ut nostro nomine compleret legem  
id quod & præstitit, quare uitam pro nobis inuenit quã  
fides nostra impetrat, ad Rom. 8. Etenim quod lex  
præstare non poterat, ea parte, qua imbecillis erat per  
carnem, hoc Deus proprio filio missio sub specie carnis  
peccato obnoxie præstitit, ac de peccato condemnauit  
peccatum per carnem, ut iustificatio legis impleretur in  
nobis scilicet ac si ipsi satis fecissemus legi.

Cui noluerunt obedire patres.  
nostri.

Id est, testati sunt, se legem datam non posse seruare  
ad iusticiam. Noluerunt: prauis adfectibus impediti.  
Noluerunt: id est, seruare non potuerunt.

Obedire: seruare illam ad uitam.

Iuxta illud Domini Quis det populo huic intellectũ  
ut seruet præcepta, quæ eis dedi?

Dum sic clamaret dominus, uidit impossibilitatem  
populi Israëliti in seruanda lege.

Sed repulerunt.

Ut rem seruatu impossibilem. Dum enim cogita-  
runt

runt de lege implenda, & uiderent sibi denegatas esse uires, in iram inciderunt. Sic lex ad Rom. 3. iram operatur. Et auersi sunt cordibus suis in Aegyptum.

Id est, iudicariunt seruitutem Aegyptiacam tollerabiliorem esse legalibus oneribus: et respexerunt ad deos Aegyptiorum. Expressum hic est, quomodo natura omnes adfecti simus erga legem, et quam non sit in nostris uiribus eam seruare: abhorret enim ab illius perfecta implatione natura, quia illam nec intelligit, nec assequitur: nolimus illi obedire: repellimus illam, & quam seruitutem tollerabiliorem legali putamus: ab illa auertimus, corda &c. Hæc omnia experiuntur conscientie, quoties illis agendum est cum perfecta legis implatione. OBIECTIO.

Quid ergo sibi uult tam diligens inobedientia Israël erga legem exaggeratio? RESPONSIO.

Vt Stephanus ostendat Israëlitis, legem seruare non esse in illorum uiribus, quare nec posse eos per legem ad iusticiam pertingere.

Auersio cordium in Aegyptum, significat idololatriam esse uitium hærens in cordibus. Et quia statim in idololatriam inciderunt Israëlitis aduersus legem Dei, uel saltem ad moram Moysis in monte, id notat, ad non aliud

A peccatum



peccatum nos esse procliuiores, atq; ad idololatriam.

Dicentes. Hoc dicere effectus est rationis, quæ quia non uidet deum, adfectat deos præsentés. Rationi enim impossibile est, aut recipere deum, quem non uidet, aut inuisibili se committere. Causam itaq; si scire idololatriæ & præsentium imaginum deorum cupias, ratio est, quæ uult deos suos uidere, nec potest statuere inuisibiles & absentes iuuare posse. Eadem ratio & nostrorum diuorū, quos aliquando imaginibus præsentés habuimus, causa fuit. Enthymemata rationis.

Deus absens est, & non expositus oculis: Ergo deus non potest iuuare. Item.

Deos præsentés habemus: Ergo dii præsentés, nostri curam agere possunt. Patet ex hoc loco, quia omnes à ratione ducimur, tanquàm à duce, natura nos præsentés diuorum imagines adfectare, & putare summam pietatem esse, habere præsentés deos, qui præcedant nos & circa nos sint. Idololatriæ peccatum præmittit Stephanus, & serè hoc unum atq; solum ponit, ut significet, hoc omnium reliquorum peccatorum fontem esse: inò ex idololatriæ peccato uult Stephanus aestimare nos, quàm non sit in nostris uiribus reliqua præcepta leniora seruare ad iusticiam. Vnius primi præcepti transgressione proponit Stephanus Israëlitis, quid in reliquis

liquis possint: item hoc primo præcepto intelligit Stephanus totum decalogum, quæ æque nõ seruarunt patres

**Ab Aron.** Nota & uiros pios & constantes, ad uulgi instantiam & studia exemplo Aaronis facillime in idololatriam incidere.

**Fac nobis deos qui præcedant nos.**

Id est, fac nobis deos præsentés, qui oculis expositi sint, & ex quorum præsentia possimus sperare omnia bona. Fac nobis: uerba ipsissima rationis, quæ deo non fident, quem non uidet oculis. Et sanè rationis est, fidere illis rebus, quas uidet oculis, et palpat manibus.

Cæcitas magna expressa est humane mentis in uoce fac: quasi deus qui fecit omnia, ab ulla sua creatura fabricari possit.

Deos: idololatria ex numero. Unus enim deus est. Deute. 6. Audi israhel dominus deus tuus, unus est.

Qui præcedant nos: sint nostris oculis expositi, tueantur & defendant nos.

Idololatria est ex hoc loco, adfectatio pro dijs præsentibus, & neglectus inuisibilis ac ueri dei.

**Nescimus enim.**

Aetiologia cur uelint Israhelita sibi fieri deos, qui eos præcedant, à mora Mosis non redeuntis, ex qua putarunt se deceptos esse à Mose, & ea omnia nihil esse,

quæ de deo inuisibili et præceptis illius dei dixit illis Mo-  
ses. Cernis in hac ætiologia, quem comitem idololatria  
habeat: nimirum contemptum dei, & arguere deum unum  
cum prædicatoribus mendacij & fraudis.

Quid acciderit Moli illi, qui nos edu-  
xit de terra Aegypti.

Hæc ita intelligenda sunt, quod Israëlita crediderint  
per Mosén se deceptos esse, & quod putarint ea omnia  
uana esse, quæ Moses de deo sic magnificè de prædicat  
uit. Illi: per contemptum, q. d. qui multa nobis bo-  
na de deo suo promisit.

Et vitulum fecerunt in die-  
bus illis.

Idololatria in animo concepta non potest non eam  
foris imaginibus & picturis ornare.

Vitulus hic typus est omnium imaginum diuorum,  
quibus ex idololatria & animi impietate tribuimus tu-  
telã, præsidium, defensionem, & huiusmodi alia opera  
à solo Deo uero & unico expectanda.

Disce hic idololatriam in animo conceptam, foris  
perpetuo sequi externas etiã imagines, quæ certissima  
signa sunt presentis in animo idololatriæ. Fecerunt:  
cæcitas est magna, ex uoce facere non colligere impieta-  
tem. Quid enim planius est uel coram corrupta etiam  
natura

natura, deum á nemine fabricari posse?

Et obtulerunt hostiam simulachro.

Vt idololatriam in animo conceptam, foris certò sequuntur imagines: sic imagines certus cultus. Quam enim quisq; creaturam sibi pro Deo finxit eam postea & certo aliquo cultu colere ex decoro statuit. Sed quales dii sunt, quos sibi fingunt homines, tales sunt & cultus: dii externi sunt: ergo & cultus sunt externi. Ast qui Deum spiritum uerum illum Deum cognoscunt, nec imaginibus illum exprimunt, neq; externo cultu prosequuntur, sicut cognoscunt eum spiritum esse: ita statuunt in spiritu & ueritate illum colendum esse, Ioannis 4. Deus spiritus est, & in spiritu ac ueritate uult coli.

Obtulerunt: ex decoro, quod etiam natura docet, ut Deus cognitus, colatur. Idololatria ex toto hoc loco est acceptare creaturas pro dijs, quæ non sunt Deus, illos imaginibus ornare, & cultu prosequi. Idololatria committitur, quando creaturæ tribuitur diuinitas, unà cum operibus, quæ soli Deo conueniunt, ornantur imaginibus, & cultu aliquo certò colitur.

Et lætabantur in operibus manuum suarum.

Id est, confidebant in creaturas, tribuebant illis diuinitatem, diuinitatis opera, imaginibus exprimebant, &



cultu, qui deo debebatur prosequerantur.

Proprie est tamen hic letari in operibus manuum suarum, considerare in erectum vitulum, spem in illum ponere, ab illo expectare praesidium, tutelam, defensionem, &c. Letari idololatriæ effectus est. Diligenter persecutus est Stephanus idololatriæ peccatum, & id propterea sicut & supra monui, ut ex difficultate primi præcepti, & ex facilitate labendi in idololatriam, ostendat impossibilitatem seruandi legem ad iusticiam.

Auersus est autem deus.

Sequitur idololatriæ seu impietatis erga deum poena, quæ est, punire peccatum peccato, cœcilitatem cœcitate, ignorantiam ignorantia, &c. Similis est locus, ad Rom. .i. ubi Apostolus primum arguit impietatem animorum in Gentibus, postea poenas impietatis animorum addit, dicens: Sed frustrati sunt per cogitationes suas, et obtenebratum est insciens cor eorum &c. Ibidem. Quæ propter tradidit illos Deus per cupiditates cordium suorum in immundiciam &c. Ibidem. Et quemadmodum non probauerunt, ut Deum cognoscere, ita tradidit eos Deus in reprobam mentem, ut facerent, quæ non conueniebat, repleti sunt omni iniusticia &c.

Pœnæ idololatriæ seu impietatis animorum erga Deum merito nos auocare ab omni impietate debent, &  
ad

ad cognitionem ueri Dei & pietatis prouocare.

Multi mirantur, qui potuerit tam diuturnè subsistere impietas papistici regni: sed mirari facile cessabunt, si oculos uerterint ad hunc presentem locū de poena impietatis, quam deus cæcitate, ignorantia, & alijs grauiſſimis peccatis punire solet, ut homines nō possint cognoscere uerum deum, & cultum dei uerum.

Deus grauiſſimè puniuit impietatis seu idololatriæ peccatum: ergo idololatria & impietas animi maxime displicent deo: è contra maxime placet ei uera dei cognitio cum animi uera pietate. Auersus est autem deus: magnum peccatū sit oportet idololatria, ad quā auertitur deus.

### Et tradidit eos seruire militiæ cœli.

Deus peccatum idololatriæ peccatis alijs punit: ueluti cæcitate, ignorantia & alijs etiam externis uicijs.

Nota deum punire, peccata peccatis, sed nō esse peccatorum autorem. Tradidit eos seruire: puniendo permissit.

#### Militiæ cœli.

Signis, astris, sideribus, &c. Accusat Iudæos de his Ieremias cap. 10. & 44. Baruch. cap. 6. Et Achab, & Achaz & Manasse summa reuerentia coluerunt signa Zodaizi, sidera, & stellas.

360 ERASMI SARCERII SCHOL.  
Sicut scriptum est in libro  
Prophetarum

Autoritate prophete Amos cap. 5. confirmat sua Ste-  
phanus ne uideatur incerta aut uana dicere.

Docemur ne temere præter scripturæ autoritatem  
aliquid dicamus. Prophetarum ait: nam non solum  
Amos, sed & alij prophete eadē dicunt: ut Esa. cap. 1.  
Ieremias cap. 6 &c. Enthymema.

Amos testatur Deum aduersum esse ab idololatriæ  
& tradidisse eos seruire militiæ cœli: Ergo uerū est  
est, quod de auersione & pœna idololatriæ dixi.

Locus Prophete totus inspectus, probat clarissime  
dicta Stephani. Debet autem prophete locus his uerbis  
sumere initium. Odi festiuitates uestras &c.

Breuis est Stephanus, quia præsentia prophete uer-  
ba sufficiunt ei, quantum atinet ad institutum, quod est  
Iudæos propter idololatriam punitos esse, & grauius  
punitos, quia ad quadraginta annos, in quibus non ob-  
tulerunt in deserto uictimas aut hostias Deo.

Tacite à diuturnitate temporis hoc uult inferre Ste-  
phanus. Quanquàm in quadraginta annis Israel non  
obtulerit Deo uictimas & hostias, tamen credendū est  
multos interim extitisse qui fide in Christum sine uicti-  
mis & hostijs seruati atq; iustificati fuerunt.

Numquid

Nunquid uictimas aut hostias obtulistis mihi.

Interrogatio rotunda cui nemo ueritate potest ire obuiam. Victimæ & hostiæ in genere complectuntur omnes ceremonias. Enthymema

Victimas & hostias non obtulistis mihi.

Ergo nullas ceremonias mihi prestitistis.

Stephanus proprie hic agit de ceremonialibus ceremonijs, sine quibus probat olim homines iustificatos fuisse, & hodie iustificari posse. Enthymema.

Dominus Israël quadraginta annis in deserto non obtulit mihi uictimas & hostias: Ergo quotquot tui ex Israëlitis iustificati fuerunt, acceperunt iusticiam sine ceremonijs. In præcedentibus satis multis ostendit Stephanus decalogum non iustificare: nunc probat nec ceremoniales leges iusticiam conferre. Et sicut de decalogo & ceremonialibus sentit Stephanus, ita sentit & de iudicialibus, & sic de tota lege.

### Annis quadraginta.

Signanter adijcit circumstantiam temporis quo doceat Stephanus et sic ante Stephanum Amos propheta, Deum tamen habuisse suos iustos sine ceremonijs.

Causa probationis in hoc pendet, quia Deus semper habuit suam ecclesiam: ergo etiã tum, quando populus



per quadraginta annos ageret in deserto, sine uictimis  
& hostijs. In deserto.

A loci circumstantia ostendit importunitatem uicti-  
marum & hostiarum. Enthymema.

Locus desertus fuit: Ergo non aptus ad uictimas.

Et suscepistis tabernaculum  
Moloch

Urget stephanus idololatriam patrum, ut à causa ad  
effectum probet, tantum adfuisse, quod patres ceremonia-  
libus legibus, aut ipsis uictimis & hostijs meruerint ius-  
ticiam, aut etiam tota lege, quod & susceperint taber-  
naculum Moloch. Moloch idolum fuit filiorum Am-  
mon, sicut scribunt historiographi, cuius imago cōcaua  
habens septem conclauia. Vnum aperiebant simile offe-  
rendæ, aliud turturibus, tertium aui, quartum arieti, quin-  
tum uitulo, sextum boui, qui uerò uolebat offerre filium,  
huic aperiebatur septimum cubiculum. Facies huius ido-  
li ut facies uituli, manus planè dispositæ ad recipiendum  
ab astantibus, & saltabant interim quò puer in idolo  
succenso igne cremebatur, percutientes tympana ne pue-  
ri eiulatus audiretur. Solomon legitur 3 Regum. 11. hoc  
idolum adorasse. Huic idolo immolabant filios contra  
præceptum Dei, Leuit. 18. & 20. Quemadmodum uides  
re licet. 4. Regum. 23 Secundo Chro 3. Hierem. 32. Psal.

Enthymema. Patres immolarunt Moloch:

Ergo patres mihi non immolarunt: quare qui tum seruati fuerunt, sine ceremonijs uictimis, hostijs & sacrificijs iustificati fuerunt Tabernaculum Moloch uocat Stephanus unà cum propheta, totum idolum septem cō clauibus constans.

Et sidus dei uestri Remphan.

Remphan adustionem sonat, unde quidam Remphan pro Martis, quidam pro Vulcani sidere accipiunt Meminit Ieremias stellarum & siderum, quæ Iudæi coluerunt pro dijs, capite. 10. & 44.

Idem sibi uult Stephanus hoc sidere Dei Remphan, quod idole Moloch: nimirum, patres Remphan seruasse ceremonijs, uictimis & hostijs: ergo Deo non seruasse: quare qui iustificati fuerunt tunc temporis sine ceremonijs, uictimis, & hostijs fuerunt iustificati.

Figuras quas fecistis, ut adoretis  
 eas.

Rectè Moloch, Remphan & alios eiusmodi deos uocat propheta figuras: quia reipsa non sunt uerus Deus Sunt qui ex hac noce figuras colligunt: quod patres non tam stulti fuerint, quod uitulum Moloch, Remphan & alias creaturas crediderint esse Deum uerum: sed quod  
 sub

Sub illis figuris & creaturis coluerint Deum uerum. Et hodie in hunc modum superstitiosi papistæ se excusare solent, quod non credant imagines esse uerum Deum: ast sub illis se uerum Deum colere tantum.

Vt adoretis eas: figuræ & imagines Christi et sanctorum habere, & si per se non sit peccatum, tamen fit peccatū, quando illis tribuitur cultus Dei, qui soli Deo debetur. Sed quia periculosum est posse aliquem retinere imagines sanctorum sine superstitione, aut ne tribuas illis cultum Dei: ideo tutius est aut paucos aut omnino nullos sanctorum imagines habere.

Nota quando figuræ & imagines sanctorum fiunt idola: nimirum tum, quando illis tribuitur cultus, qui solius ueri Dei est. Adorare est cultus soli Deo conueniens. Iuxta illud. Dominum Deum tuum adorabis, et illum solum coles. Vult & Stephanus ex propheta idem sibi cum figuris, quod cum militia cœli, Moloch, & Remphan: scilicet. Patres sine uictimis tū fuisse iustificatos, quia non Deo, sed figuris immolarunt, non Deo, sed figuris seruiuerunt.

Et transferam uos trans Babylonem.

Comminatio Prophetæ, qua comminatur patribus captiuitatē Babylonicā propter idololatriam & animi impietatem

impietatem. Deus per prophetam minatus est horribile captiuitatem idololatriæ: ergo idololatria displicuit olim Deo, & adhuc displicet. Pœna idololatriæ promissa, indicat, quantum coram Deo peccatum sit idololatriæ. Hactenus probauit Stephanus, legem non esse in hoc datam ut iustificet: porro docebit nec tabernaculum nec templum, nec res omnes ad templum pertinentes, iustificare.

### Tabernaculum testimoniij fuit cum patribus nostris

Occupatione hæc coherent præcedentibus, idq; in hunc modum Iudæi cogitari sic potuerunt aut obijcere potius. Concedimus quosdam patres nostros seruisse militiæ cœli, suscepisse tabernaculum Moloch, & fidus Dei Remphan: item, figuras fecisse, quas adorarunt: at hoc non omnes patres fecerunt? Item, tu Stephane dicis sine ceremonijs, uictimis, hostijs, & sacrificijs patres esse iustificatos, in quem ergo usum dedit Deus patribus tabernaculum testimoniij & templum ipsum, num frustra dedit? Respondet Stephanus occupatione de finali tabernaculi & templi usu, qui non fuit iustificare, sed esse signum testimoniij & initi pacti cum patribus item, esse typum seu umbram tabernaculi, quod in cœlis est, et in quo residet Christus. De quo tabernaculo pulchre sequitur Autor epistolæ ad Heb. cap. 8. Cernis



Cernis hic usum tabernaculi, & si templi & omni  
 ceremonialium & iudicialium legum, qui non est iustifi-  
 care, sed esse signa pacti initi, & umbras rerum uerarum.  
 Quo de usu consule Apostolum. 8. 9. & 10. cap. ad He-  
 bræos. Probat Stephanus suam sententiam ab usu taber-  
 naculi. Enthymemata. Tabernaculum testimonij est,  
 quod testatur de inito pacto & fœdere cum patribus.

Ergo tabernaculum non iustificat. Item.

Tabernaculum secundum formam quam uiderat Mo-  
 ses, factum est: Ergo tabernaculum typus est tantum  
 ueri tabernaculi, quod in cœlis est, & ubi Christus est,  
 sedens ad dexteram Dei patris, & semper intercedens  
 pro nobis. Tabernaculi solius hic mentionem facit Ste-  
 phanus, ut rei apud Iudæos magis præcipue & dignio-  
 ris. Tabernaculum testimonij uocat ab effectu, qui  
 est testari de fœdere seu pacto, quod iniit Deus cum pa-  
 tribus. Testimonium, testamentum, pactum, & fœdus, in  
 idem hic incidunt.

Sicut disposuit illis deus loquens  
 ad Mosen.

Exo. 25. ubi præscribit Deus tabernaculi dispositionem.

Vt faceret illud secundum formam,  
 quam uiderat.

Vnde sequitur tabernaculum Mosaicum, non esse ue-

rum tabernaculum, sed tantum typum ueri, de quo agit Apostolus, ad Hebreos 9: quando ait. His autē ad hunc ordinatis modum, cur prius quidem tabernaculum semper ingrediuntur sacerdotes, qui sacrorum ritus peragant: in secundum autem semel quotannis solus pontifex non sine sanguine, quem offert pro seipso, & pro populi ignorantij, illud significante spiritus sancto, nondum manifestatam esse sanctorum uiam, adhuc priore tabernaculo consistente, quæ erat similitudo pro tempore tum presente, in quo dona sacrificiaq; offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum reddere &c. Syllogismus.

Tabernaculum quod secundum formam fit alterius, non est uerum tabernaculum. Tabernaculum testimonij factum est secundum formam alterius: Ergo tabernaculum testimonij non est uerum tabernaculum.

### Quod & suscipientes patris nostri.

In certum signum fauoris & gratiæ Dei, de qua monēbat patres tabernaculum. Siquidem hic omnium signorum non postremus usus est, admonere nos de promissionibus Dei gratiæ, & fauore Dei.

Enthymema.

Patres susceperunt secum tabernaculum ut per illud monerentur de fauore Dei.

Ergo

Ergo patres non quaesierunt e tabernaculo iusticia.

Vexerunt cum Iosue in possessionem Gentium.

Sicut legitur Iosue 3. & 6.

Quas expulit deus.

Occupatio ne putent Iudaei tabernaculum foederis expulisse gentes. Quas expulit deus: uoluntate & potestate dei ut surgunt regna: ita & dei uoluntate ac potestate pereunt.

Qui inuenit gratiam.

Adducit Stephanus & Dauidem, in quo etiam ponit exemplum fidei & gratuita iusticie.

Enthymemata. Dauid inuenit gratiam: Ergo Dauid gratuito iustificatus est.

Item. Dauid ante templum iustus fuit:

Ergo templum nihil facit ad iusticiam: & sic per consequens, nec ceremonie templi. Item.

Dauid prius inuenit gratiam, antequam peteret, ut inueniret tabernaculum deo Iacob: Ergo Dauid iustus factus est ante templum.

Respondet his & sequentibus Stephanus alteri accusationi quod sit locutus contra templum: & dicit se non esse contra templum locutum, sed uerum templi usum docuisse,

cuisse, qui consistit in hoc, ut sit domus, in qua inuocetur nomen domini: iuxta illud. 2. Regum. 6. Ipse edificabit domum nomini meo: et ut sit domus orationis: iuxta uerba Solomonis 3. Regum 8. Ergo ne putandum est, quod uere Deus habitat super terram. Si enim cælum & cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam edificavi tibi? Sed respice ad orationem serui tui, et ad preces eius Domine Deus meus. Audi hymnum & orationem, quam seruus tuus orat coram te hodie, et sunt oculi tui aperti super domum hanc, nocte ac die, super domum de qua dixisti. Erit nomen meum ibi, ut exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te seruus tuus, &c.

Porro ut tabernaculum typus et umbra fuit ueri tabernaculi: sic & templum umbra et typus fuit ueri templi, in quo habitat Deus. Quicquid hic dicitur refertur debet ad finalem templi usum, quem negat esse Stephanus iustificare, conferre salutem aut sanctitatem.

Et petijt ut inueniret tabernaculum deo Iacob.

Secundo Regum 7. Vides ne (inquit Dauid ad Nathan prophetam) quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium? Dixitq; Nathan ad regem: Omne quod est in corde tuo fac, quia do-



minus tecum est. Factum est autem in illa nocte, & eade-  
 ce sermo domini ad Nathan dicens. Vade & loquere ad  
 seruum meum Dauid. Hæc dicit dominus. Numquid tu  
 edificabis mihi domum ad habitandum? Neq; enim ha-  
 bitaui in domo ex die illa, qua eduxi Israël de terra Aeg-  
 ypti, usq; in diem hanc, sed ambulabam in tabernaculo,  
 & in tentorio per cuncta loca, quæ transiui cum om-  
 nibus filiis Israël, &c.

Sensus est huius loci ex ore Stephani prolati. Dauid  
 uobiscum in eodem errore fuit, qui & ipse credidit,  
 deum externo templo opus habere, in quo habitaret:  
 item credidit indecorum esse, quod ipse moraretur in do-  
 mo cedrina: deus uerò in arca in medio pellium posita:  
 item statuit ex humano iudicio, deum in manus  
 etis domibus habitare posse: sed accepit responsum à  
 deo, errore tanto dignum. Numquid tu edificabis mihi  
 domum ad habitandum? Neq; enim habitauit in domo  
 ex die illa, qua eduxi Israël de terra Aegypti, usq; in  
 diem hanc, &c. Porro quale nunc responsum accepit  
 Dauid, tale & uobis do, uult dicere Stephanus, ut creda-  
 tis deum non habitare in domibus ex lapidibus structis,  
 sed in cælo: quare etiam statuatis, nullam iusticiam, nul-  
 lam salutem, & sanctitatem nullam inesse templo.

Enthymemata.

Domus

Domum à Davide non uoluit accipere deus :

Ergo in domibus, quæ deo struuntur, nulla est iusticia, nulla salus, & sanctitas nulla.

Item. In arca non habitauit deus, sed in ea ambulauit: Ergo ad arcam, neq; iusticia, neq; salus, neq; sanctitas alligari debet. Petijt ex humano adfectu et iudicio, quo indicauit Dauid indecorum esse, ut ipse habitaret in domo cedrina: deus autem cum sua arca in medio pellium. Dauid petens ut inueniret tabernaculum deo. Iacob eorum typum gerit, qui nituntur deum, iusticiam, salutem, & sanctitatem ad certum locum alligare: unde reuera imago est Iudæorum, quibus loquitur Stephanus qui & ipsi deum ad templum manufactum, unà cum iusticia, salute & sanctitate alligabant.

Tabernaculum: domum seu templum.

Deo Iacob: uero deo. Deo Iacob ait, quasi cum admiratione, hoc est, illi deo, qui non alligatur ad locum certum, et ut nunc ille non alligatur, sic nec iusticia, nec salus, nec sanctitas, quam confert ille. Deo Iacob, q. d. Stephanus, alijs dijs templa extrui possunt, ad quæ alligantur: sed non deo Iacob.

Verum non alligatum fuisse deum Iacob ad templis satis docet Solomon ipse. 1. Regū 8. ubi, inquit: Ergo ne putandum est, quod uerè deus habitet super terram.

Si enim cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt  
quanto magis domus hæc quam ædificauit? &c.

Euictò hoc: deum non esse alligatum ad templum  
facile obtinetur, nec iusticiam, nec salutem, nec sanctitan-  
tem, ad templum alligata esse.

Solomon autem ædificauit  
illi domum.

Obiectione quadam hæc cohærent, in hunc modum  
Cõcedimus Dauidem non ædificasse deo templum, at-  
amen Solomon ædificauit illi? Huic obiectioni respon-  
det Stephanus. Sed summus ille non habitat in manu factis  
tuis templis, &c. Iudæi obijciunt templū deo à Solomo-  
ne factum. Stephanus respondet de usu templi à Solomo-  
ne ædificati deo: q. d. concedo Solomonem deo ædifi-  
casse templum sed non in illum usum, ut putaret deum  
in templo illo habitaturum. Qua de re & ipse Solo-  
mon sic testatur. 3. Regum 8. Ergo ne putandum est,  
quod uerè deus habitet super terram? Si enim cœlum  
& cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis  
domus hæc quam ædificauit tibi? Et addit Solomon de  
usu templi. Sed respice ad orationem serui tui, & ad pre-  
ces eius domine deus meus. Audi hymnum et orationem  
quam seruus tuus orat coram te hodie. Et sint oculi tuâ  
aperti super domum hanc, nocte ac die, super domum  
de

de qua dixisti Erit nomen meum ibi, ut exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te seruus tuus, ut exaudias deprecationem serui tui, & populi tui Israël, quod eunq; orauerit in loco isto, & exaudies in loco habitaculi tui in coelo, & cum exaudieris, propitius eris &c.

Vsus itaq; templi à Salomone deo ædificati, hic est, ut sit templum domus orationis, in qua exaudiat deus orantes: non ut sit domus in qua habitet deus, qui nullo certo loco includi potest: nec ut sit domus, ad quam alligata sit, uel iusticia, uel salus, uel sanctitas.

De quo templi usu & deus ipse loquitur. 2 Regum. 7. Ipse ædificabit domum nomini meo: id est, in qua laudetur nomen meum & inuocetur. Et Esaias 56. cap. Domus mea, domus orationis uocabitur: ab effectu scilicet finali usu. Vsus templi secundum Iudeos falsus, quem reprehendit Stephanus hic fuit. Templum Solomonis in hoc ædificatum est, ut in illo habitet deus et quia in illo habitat, igitur iusticia unà cum salute & sanctitate ad templum alligata est.

Solomon autē: uel occupat'one sic coherent præsentia cum antecedentibus. Obijcere poterant Iudæi. Dauid non ædificauit deo templum, id quod uerum est: at Solomon ædificauit templum illi? Respondet Stephanus Ædificauit quidem, sed non in illum usum, in quem uos



Putatis: nimirum quod deus in illo habitare deberet,  
aut quod in illo esset iusticia cum salute & sanctitate  
sita: uerum in illum usum, de quo testatur Solomon  
ipse, ut esset domus orationis, in qua inuocaretur nomen  
dei, & in qua ipse exaudiret inuocantes.

Enthymemata. Templi usus non est, ut in eo habi-  
tet deus: Ergo templi usum alium esse oportet.

Item. In templis manufactis non habitat deus:  
Ergo in templis manufactis, nulla est iusticia, nulla  
salus, & sanctitas nulla.

OBIECTIO: Quis ergo templi usus est:

RESPONSIO. Ut in illo inuocetur nomen  
dei, ut in illo orantes, deus exaudiat è caelo. De hoc usu  
uide 3. lib Regum cap. 8. & 2. Regum cap 7. Esaiam  
cap. 56. &c.

Sunt & hæc uerba: & Solomon edificauit illi do-  
mum, propemodum concessionis uerba, quæ malè intelle-  
cta, aduersatiua particula corrigit Stephanus.

Sed summus ille: correctio finalis usus templi, à iu-  
deis malè intellecti.

Summus ille: quem nec caelum, nec caeli caelorum  
capere possunt 3 Regum 8.

Non habitat: sicut uos ex humanis affectibus, &  
iudicio humano, sine uerbo dei ac uero uerbi intellectu  
putatis.

In manufactis templis : sensus est , deum qui spiritus est , non esse alligatum ad locum : & ut nunc deus , qui est spiritus ad locum non est alligatus , sic nec alligata est iusticia ad certum locum , sic nec salus , sic nec sanctitas.

Sicut propheta dicit.

Autoritate prophetae probat Stephanus , deum non habitare in templis manufactis.

Enthymema. Deo sedes est coelum , & terra scabellum pedum eius : Ergo deus non habitat in templis manufactis. Propheta. Esaias cap. 66.

Locus Esaiæ est confutatio carnalis opinionis Iudeorum de usu templi , quem hunc esse aiebant , ut in illo habitaret deus , & quod in illo tanquam in loco sita esset iusticia salus , & sanctitas.

Coelum mihi est sedes : ergo non templum manufactum. Terra autem scabellum pedum meorum : ergo non sedes mea. Coelum mihi sedes est , terra autem scabellum pedum meorum. Hæc uerba periphrasticos ostendunt , deum ubiq; habitare , interim tamen non ligari ad certum aliquem locum.

Qualem domum ædificabitis mihi inquit dominus ?

Cum coelum mihi sedes sit, & terra scabellum pedum  
meorum: item, cum mea immensitas incomprehensibilis  
sit: item, cum nequeam ad ullum locum certum ligari?

Aut quis locus habitationis  
meae?

Cum ego immensus sim, incomprehensibilis, quem  
nullus locus capere potest, quem nec coelum, nec caeli  
& caelorum capere possunt. 3. Regum 8.

Nonne manus mea fecit  
haec omnia?

Ergo extra omnia haec sum ego, & quia omnia haec  
fecit manus mea, ubi obsecro habitavi, cum haec omnia  
non essent? Enthymema.

Manus mea fecit haec omnia. Ergo ego sum illoca-  
lis, nec possum ad locum certum alligari.

Duri ceruice & incircumcisi  
corde & auribus.

Epilogus concionis Stephani increpatorius, quo con-  
cludit suam concionem ab increpatione, cuius summa  
est, Iudeos ex mera animi pertinacia nolle audire ueri-  
tatem, de qua etsi uincantur, tamen non recipere eam.  
Et hoc exemplo suorum patrum, qui ueritati etiam per-  
petuo reslitterunt: itē, Iudeos ex mera animi pertinacia  
exemplo suorum patrum, repugnare Christo saluato-  
tori

tori ac iustificatori, & gratuite quæ est per Christum iusticiæ: item, Iudæos ex mera animi pertinacia, nolle admittere uerum legis usum de quo tamen multum gloriantur: tandem Iudæos accepisse quidem legem, sed eam non præstare: unde concludere uult Stephanus, illos nec posse per legem ad iusticiam pertingere, quia non præstant eam.

Duri ceruice: acerbissima increpatio in iusticiarios operum, quos passim sancti uiri præ alijs peccatoribus acerbissime increparunt. Acerbitatem parit in Stephanus zelus pro gratuita iusticia & periculum animarum, quod solet è falsa operum opinione profluere.

Duri ceruice & incircuncisi corde & auribus: periphrasis hominum pertinacium contra ueritatem. Quales hi sint homines, proximè cernere hodie licet in nostris iusticiarijs operum, qui etiamsi uincantur de gratuita iusticia tamen ex pertinacia animi nolunt posthabere opera ut iusticiæ causas.

Distinguit hic Stephanus inter peccatum infirmitatis & peccatum pertinaciæ: inter infirmos & pertinaces. Item, docet Stephanus suo exemplo quomodo pertinaces tractandi sint, & qua modestia culpandi. Alia est ratio tractandi infirmas conscientias, & alia modestia culpandi eas.



Pertinacia uidetur uitium esse, ex quo repugnamus ueritati, de illa in conscientijs uicti. Infirmetas est, ex qua non tam repugnamus ueritati, quam de illa incerti differimus illi acquiescere. Duros uocat intractabiles et pertinaces. Incircuncisos corde intelligit Iudæos ex corde male uolentes ueritati. Incircuncisos auribus appellat, qui ueritatem non dignantur audire, id quod extreme pertinaciæ signum est.

Vos semper spiritui sancto  
resistitis.

Id est ueritati, quam reuelat ac manifestat spiritus sanctus: uel resistitis spiritui sancto: id est, etiam commoti ad ueritatem per spiritum sanctum, tamen obedire non uultis. Accusat Stephanus iudæos extreme inobedientiæ erga ueritatem & ueritatis manifestatorem, ipsum spiritum sanctum. Resistere spiritui sancto, effectus est hominum qui sunt duri ceruice, circuncisi corde et auribus. Vos: qui estis duri ceruice &c. Sæper: exaggeratio pertinaciæ & inobedientiæ in Iudæis à circumsstantia temporis. Spiritui sancto: ueritati, quam dat ac reuelat spiritus sanctus, posito effectu pro causa. Vel complectitur uoce spiritus sancti, causam & effectum simul: hoc est ipsum spiritum sanctum reuelatorem ueritatis unâ cum ueritate.

Resistitis

Resistitis : pertinaces etiam uicti de ueritate.

Sicut patres uestri ita & uos.

Tollit Stephanus exemplis parentum admirationem de filijs : q. d. Non est mirum uos resistere ueritati, cum hoc ipsum & patres uestri fecerint, à quibus non licet degenerare filios. Similis propemodum increpatio extat apud Matthæum capite. 23. ubi ait Christus ad Iudæos. Vos quoq; implete mensuram patrum uestrorum : id est quia non uultis exemplo patrum uestrorum moneri de ueritate.

Quem prophetarum non sunt persecuti patres uestri ?

Ostendit ueritatem de Christo iustificatore, & gratuita iusticia, semper, utiq; & apud omnes Iudæos, æque odiosam fuisse omnibus, fortassis paucis exceptis quorum corda singulariter tetigit Deus. Et ut nunc ueritas de Christo iustificatore & gratuita iusticia æque odiosa fuit omnibus : ita & ueritatis illius professores æque odiosi fuerunt omnibus. Quem prophetarum: exaggeratio pertinaciæ & inobedienciæ in Iudæis erga ueritatem, à persecutione ueritatis & professorum eius. Persecutionem ut causam cædis præmittit. Cædes postremus persecutionis effectus est.

Et

Et occiderunt eos qui prænu-  
ciabant de aduentu iusti.

Cædes postremus persecutionis effectus est.

Explicatorius locus extat Matthæi 23. ubi Christus idē  
tractat cum Stephano contra Iudæos, negotium.

Qui prænu-  
ciabant de aduentu iusti: en causam  
persecutionis & cædis omnium prophetarum, quæ fuit  
doctrina de Christo iustificatore, & gratuita per Chri-  
stum iusticia. Eandem causam & Christus allegat Mat-  
thæi 23. quando ait: ut ueniat super uos omnis sanguis  
iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti  
usq; ad sanguinem Zachariæ filij Barachiz, &c. Sangu-  
inem iustum uocat Christus, quem effuderunt Pro-  
phete, propter Christum iustificatorem, & gratuitam  
iusticiam. Et Abelem iustum uocat, fide in Christum iu-  
stificatum gratuita iusticia donatum, & qui sanguinem  
suum propter iusticiam gratuitam, quam impetrat fides  
effudit. Iusti: id est, Christi iustificatoris, & gra-  
tuitæ iusticiæ collatoris. Causæ ergo persecutionis  
& cædis piorum ex præsentī loco sunt: Christus iusti-  
ficator, & gratuita per Christum iusticia. Et hæc causæ  
adhuc hodie omnis persecutionis & cædis piorum sunt  
causæ. Quare qui uult à persecutione alienus esse,  
item à cæde, illum oportet negare cum mundo Christi  
uiri

unicum iustificatorem, & gratuitam iusticiam, & profiteri iusticiam operum. Vocabulum iusti & naturæ & officij appellatio est in Christo: est enim natura iusticia, & alios iustos facit.

**Cuius nunc vos proditores  
& homicidæ fuistis.**

Exemplo occisi Christi probat Stephanus, filios Iudeorum non degenerare à parentibus persecutoribus, & occisoribus Prophetarum prænunciantium de aduentu iusti. Cuius vos nunc proditores & homicidæ fuistis: id est, in signum vos exemplo patrum odisse ueritatem de Christo unico iustificatore & gratuita iusticia.

Enthymema. Vos prodidistis & occidistis Christum iustum: Ergo uos declarastis odisse Christum iustificatorem gratuitum, unà cum gratuita iusticia.

Inrepatio acerbissima in osores gratuitæ iusticiæ, qui non modestè sunt tractandi, ubi pertinaces sunt.

Proditores: proditio facta est propter eadem.

Homicidæ: signanter utitur hoc uocabulo Stephanus ut ostendat uerum Messiam ex semine Dauidis promissum.

**Qui accepistis legem per dispositionem angelorum.**

His uerbis ceu epiphonemate concludit Stephanus Iudeos, & frustratur eos spe concepta ex fiducia operum



rum, idq; non seruata lege, quæ transgressa, non parad  
iusticiam: iuxta illud. Quicumq; fecerit ea uiuet in eis.  
Item. Maledictus omnis, qui non fecerit ea, quæ scripta  
sunt in libro uoluminis huius: Ergo lex seruata ad fert  
uitam & iusticiam. Seruare autem non est in humanis  
uiribus, sicut apertè docet Christus Matthæi. 5. Non  
ueni soluere legem, sed adimplere: id est, meum est offi  
cium complere legem ad iusticiam coram Deo ualens  
tem, non uestrum. Qui accepistis legem: notat præ  
rogatiua iudæorum in carne.

Per dispositionem angelorum. ad Gal. 5. ordinatâ  
per angelos in manu intercessoris.

Nota Deum uti in suo ministerio angelis.

Sunt qui ex hoc loco & similibus probare uolunt,  
deum nemini in sua persona locutû esse, sed per angelos  
tantum, ut certa maneat sententia: Deum nemo uidit un  
quam. Per dispositionem angelorum: id est, per angelo  
rum ministerium, quibus Deus autor legis usus est.

Et non custodistis.

Quod id quod in causa est, quò minus peruenistis  
ad iusticiam, & adhuc peruenire potestis. Vult dicere  
Stephanus. Lex data est, ut qui eam præstet, habeat uitam  
tam teste loco. Quicumq; fecerit ea, uiuet in eis. At pater  
tres uestri non præstiterunt legem; nec uos præstatis  
igitur

igitur patres uestri per legem non peruenerunt ad iusticiam, nec uos peruenitis.

Questio non est, utrum legi annexa sit uita seu iusticia: sed questio est utrum seruare legem, sit in nostris uiribus: uerum quia concluditur negatiue, quare recte sentiunt, qui dicunt nos per legem non iustificari: ratio est, quia datam legem non custodimus nec facimus

Custodire autem legem, est legem externis factis, & consentiente puro animo simul seruare: & hoc iuxta quantum caput Matthæi, ubi Christus ad externam legis obseruationem simul requirit & puros animi affectus: item iuxta locum Apostoli. 1. ad Timoth. cap. 1. de uera forma præstandi legem. Finitis præcepti est charitas, ex corde puro conscientia bona, & fide non simulata. Eandem formam requirit & Moses, quando ait: Diliges dominum Deum tuum, ex toto corde, ex tota anima &c. Et non custodistis: quia in nostris uiribus nunquam fuit, neq; adhuc hodie est.

#### OBIECTIO.

Ergo Deus præcepit impossibilia?

#### RESPONSIO.

Verè præcepit impossibilia carni Quis enim gloriabitur in suis uiribus esse, ex toto corde, ex tota anima etc. diligere Deum? Quis gloriabitur in suis uiribus esse, ser-

uare legem ex corde puro, conscientia bona, & fide nō simulata? Quis gloriabitur se posse ex suis uiribus, ad externam legis obseruationem, simul adferre pueros animi adfectus? Philosophi uiderunt illam infirmitatem in natura, quando potius speculati sunt perfectum sapientem, quam reipsa formare potuerunt. Apostolus ad Rom. 8. sine ambagibus ostendit, deum circa legē præcepisse impossibilia carni. Etenim quod lex præstare nō poterat, ea parte qua erat imbecillis per carnem, hoc deus proprio filio, misso sub specie carnis peccato obnoxie, præstitit, ac de peccato condemnauit peccatum per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis qui non secundum carnem, sed secundum spiritum uersamur.

Audientes autem hæc.

Confessionem ueritatis de Christo iusto, & gratuita per eum iusticia, sequitur crux, quæ est fidus confessionis comes, & ex quo probatur ueritatis præsentia.

Nota quid ueritas aperta efficiat coram osoribus eius. Illa quanto apertius prædicatur, tanto minus ab his acceptatur. Sequenti ergo euentu, declarant Iudei, quàm recte appellârit eos Stephanus homines duros ceruice, & incircumcisos corde, & auribus, hoc est, homines cæcos ac pertinaces, qui uicti de ueritate in conscientijs, tamen ad eam suscipiendam non commouentur.

intō

imò magis redduntur cœciores, pertinaciores, & crudeliores hostes erga ueritatem. Audientes autem hæc: de sua pertinacia, persecutione & malis adfectibus erga ueritatem de Christo iusto, & gratuita Christi iusticia: item, quod non seruarent neq; custodirent legem acceptam: hæc enim ex prædictis referenda sunt ad auditum. Enthymema. Iudei audiuerunt stabili gratuitam iusticiam, & contemni iusticiam operum:

Ergo ad iram commoti fuerunt, & cœperunt dissecari. Sensus est huius loci: auditum de iusticia gratuita, sequitur dissecatio, commotio, & ira.

**Dissecabantur cordibus suis.**

Dissecatio hæc effectus est auditus de gratuita iusticia. Dissecatio hæc complectitur simul omnes iras et malos adfectus, quos conceperunt Iudei erga gratuitam iusticiam & eius confessorem Stephanum.

Cordibus suis: exaggeratio dissecationis, que non leuis fuit, sed cordium dissecatio. Nota gratuitam iusticiam & eius professores, non leuiter offendere: uerum grauitè, ita quod corda commoueant. Enthymema.

Dissecabantur cordibus suis: Ergo ualde indignabantur. Et stridebant dentibus in eum.

Et hic stridor effectus auditus de gratuita iusticia. Stridebant dentibus: exaggeratio stridoris, qui nõ leuis fuit,



sed dentium stridor. Notatur gratuitam iusticiam uehementissimos adfectus ciere in aduersarijs eius & crudelissimos gestus.

Cum autem esset plenus  
spiritu sancto.

Id est, cū ex spiritu sancto fortiter et cōstanter cōfiteretur ueritatem de gratuita iusticia, &c. Est enim fortis ac constans ueritatis confessio donum spiritus sancti iuxta illud Matthæi 10. Non enim uos estis illi loquentes, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis.

Spiritu sancto: causa posita est pro effectu, id est, spiritus sanctus pro forti ac constanti confessione.

Vel cum esset plenus spiritu sancto: id est, fide: & sic causa posita est pro effectu. Plenus: notantur diuitiæ spiritus sancti, qui non parcet, sed plene replet suis donis. Disce etiam hic formam commendandi sanctos, qui non ab his aut illis rebus cōmendantur sæpe friuolis & ridiculis, uerum quia pleni sunt spiritu sancto.

Inuentis oculis in cœlum uidit  
gloriam dei.

Ufus huius uisionis fuit, ut Stephanus in fide & cōstantia confirmaretur, doctrine & confessioni eius adderetur autoritas doctrinaq; eius unā cū cōfessione certa redderetur: ut innotesceret Stephanum sua doctrina

& confessione placere deo patri & Christo: tandem  
 ut aperto miraculo Iudei de ueritate expugnarentur et  
 uincerentur. Pro nobis huius uisionis hic usus esse  
 potest, ut sciamus deum confessoribus ueritatis presen-  
 tem esse, & eos ad fortem ac constantem confessionem  
 confortari: item, Deum in cruce & extremo odio ini-  
 micorum ueritatis, suorum curam agere. Intentis o-  
 culis uidit gloriam dei: id est, mente cognouit ac certo  
 expertus est deum patrem sibi esse propiciam, & sui cu-  
 ram agere: item, deum patrem cum sua gloria, maiestate, &  
 potentia, sibi assistere & confortari se: & ut nunc pa-  
 trem mente cognouit, ita & filium Christum. Sic interpretari  
 oportet hunc locum, quando iudicamus uisionem non fuisse  
 corporalem, sed mentalem. Verum magis placet adserere  
 uisionem fuisse corporalem & rem gestam, sicut corpo-  
 ralis & res gesta fuit uisio spiritus sancti instar colum-  
 bæ e caelo ad baptisma Christi, descendentis: item, si-  
 cut glorificatio Christi in monte Thabor, uisio corpora-  
 lis & res gesta fuit. Vnde intentis oculis uidere gloria  
 dei & Iesum stare ad dexteram dei: est aperta uisione  
 & corporali uidere caelos apertos, sicut seipsum aliqua  
 ex parte interpretatur Stephanus, claritatem dei patris  
 & Iesum stare ad dexteram dei.

Gloriam dei, claritatem, maiestatem, potentiam, &c.

Et Iesum stantem ad dexteram dei: sedentem ad dexteram dei, equali potentia & gloria, sicut habet articulus fidei, & alij scripturæ loci, qui testantur Christum sedere ad dexteram dei patris. Insignior est locus ad Ephesios. Et sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, &c.

Stantem: id est, paratum, ut regat, tueatur, & defendat suos. Non ineptè hic fit mentio participij, quod est stans, ut scias Christum nõ otiosam personam agere ad dexteram dei patris, contra Epicuræos, qui fingunt Christum nunc sedentem ad dexteram dei patris, amplius nõ curare nos. Dexteram dei significatur equalis cum deo patre gloria & potentia, tutela & defensio.

Et ait. Charitatis exemplum in Stephano est, qui uisione non solus utitur, sed & spargit eam in alios ut per illam ad credendum ueritati inuitentur. Nam hic omnium miraculorum usus quidam est. Visio autè Stephani miraculosè contigit.

Ecce Attentionis particula, quasi de re magna & necessaria dicturus.

Video cœlos apertos.

His uidetur ostendere Stephanus, quid uocârit gloriam dei: nimirum cœlos apertos, ne quis hic calumnietur, quomodo corporalibus oculis Stephanus potuerit

tuerit uidere deum, cum eum nemo unquam uiderit, iuxta illud. Deum nemo uidit unquam. Quamuis etiam aliàs facile illa calumnia confutari potest: siquidem nõ scribitur, quod Stephanus deum uiderit, sed gloriam dei id est, maiestatem, claritatem, potentiam, &c. de his autem rebus non extat scripturæ locus, qui sic sonet. Clarityatem dei nemo uidit unquam. Et filiũ hominis.

In corporali uisione rectè ac ualdè commodè utitur Stephanus hominis uocabulo: quia enim Christus simul deus & homo est: quare uideri à Stephano potuit: & sic quia Christus deus & homo simul est: quare & in sacramento cœnæ præsens adesse potest ipse: sicut sonant uerba cœnæ. Hoc est corpus meum. Et hic est sanguis meus.

Exclamantes autem uoce magna.

Confessionem ueritatis, potentie Christi gratuito iustificantis, & gratuite per Christum iusticie, sequitur crux. Rabies Iudeorum aduersus Stephanum ueritatis confessorem, declarat in genere, ueritatem & maxime illam que est de potentia Christi & gratuita per illum iusticia, acerbissimos adfectus prouocare in iusticiarijs operũ, imò extrema supplicia in pios ueritatis professores. Exclamantes: exaggerant penè singule uoces rabiei magnitudinem in Iudeis. Enthymema.



Veritas de potentia Christi & gratuita per eum iusticia, exclamare facit uoce magna Iudæos, obturare aures suas, &c: Ergo ueritas de potentia Christi, et gratuita per eum iusticia, odiosissima est pro mundo & iusticiarijs operum, doctrina ingratiſſima, & omnis etiã crudeliſſimæ persecutionis causa. Uoce magna: exaggerant & hæc rabiem in Iudæis.

Obturarunt aures suas.

Et hæc rabiem in Iudæis exaggeratoria sunt uerba.

Et impetum fecerunt unanimiter in eum.

A uerbis tranſeunt ad uerba, qui sunt gratuite iusticie commendatione offenſi. Impetum fecerunt: & hæc ſpectant ad exaggerationem rabiem in Iudæis. Exaggerat eandem rabiem & particula, unanimiter.

Unanimiter: omnis operum iusticiarij æquè mouetur contra gratuitam iusticiam & eius proſeſſores.

Eteñcientes eum extra ciuitatem lapidabant.

Postremus persecutionis effectus est cædes. Voces præcedentes exaggeratoriæ rabiem in Iudæis, declarant, quàm ſit ferè impoſſibile, difficile dicere uolui, homines iusticiarios operum conuerti poſſe ad gratuitã iusticiã.

Enthymemata. Iusticiarij operum exclamant uoce magna

magna ad gratuitam iusticiam: Ergo iusticiarij operum, difficulter conuertuntur. Item. iusticiarij operum obturant aures suas ad gratuitam iusticiam:

Ergo iusticiarij operum difficulter conuertuntur.

Nota quoq; hic processum quendam, quo iusticiarij operum procedunt contra gratuita iusticie professores. Primum exclamant uoce magna contra eos: postea obturant aures: tertio impetum faciunt in eos: postremo occidunt. Processus hic coram ciuili iudice, & in ciuili causa, esset iniustissimus: at in negotio pietatis putatur ab omnibus iusticiarijs operum equissimus.

Scriptura longè alium processum docet contra hæreticos, quos uerbo uinci uult, non exclamationibus, nõ obturatione aurium, non impetu, & non lapidatione.

Lapidabant: pro more Iudeorum. Cedere uirgis gentium erat. Lapidabant: scilicet sub ea spe, quod putarent nunc simul raturam & gratuitam iusticiam. Ea enim iusticiariorum spes est: extinctis personis profitentibus ueritatem, sua sponte ruet & ueritas, quæ profitentur personæ.

Et testes deposuerunt uestimenta sua.

Sequitur hypotyposis lapidationis Stephani.

Et testes disposuerunt uestimenta sua: scilicet, ut essent ad lapidandum & ad ponendū manus suas super caput lapidandi iuxta legem, paratiores & aptiores. Mos lapidationis hic fuit. Lapidandi ducebantur extra muros, Leuitici 24. Educ blasphemum extra castra. Et omnes qui audierant blasphemiam ponebant manus suas super caput lapidandi. Leuitici 24. Et ponat omnes, qui audierunt, manus suas super caput eius. Postea omnis populus in lapidandum proiebat lapides: iuxta illud. Et lapidet eum omnis populus.

Ad pedes adolescentis, qui uocabatur Saulus.

Fit mentio Saulis, ut Lucas præparet lectorem ad euentum Saulis sequentem: deinde ut præmissa Saulis seuitia contra gratuitam iusticiam, postea magis inclare scat misericordia Dei, quam præstitit deus, in conuersione tanti persecutoris gratuite iusticiæ.

Et lapidabant Stephanum inuocantem & dicere.

Hæc addit Lucas, ut ob oculos ponat constantiam Stephani usq; in mortē. Inuocare & dicere Domine, etc fidei sunt effectus & constantiæ in Stephano.

Domine Iesu suscipe spiritum meum.

Idest,

Id est fac me dignum, ut tecum fruatur eterna uita.

Enthymema. Stephanus orat, ut dominus Iesus suscipiat spiritum suum: Ergo uita eterna donum Dei Christi est. Ioannis. 17. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut quotquot dedisti ei, det eis uitam eternam. ad Rom. 6. Vita eterna donum Dei est. Domine & c. Forma commendandi Christo nostram animam in extrema necessitate. Spiritum meum: spiritus & anima in scriptura confunduntur. Suscipe. Stephanus non uult sibi dari uitam eternam ex merito: suscipe enim gratiam commendat.

### Positis autem genibus.

Insigne exemplum charitatis in Stephano, qui pro suis persecutoribus orat. Est & insigne exemplum patientie in Stephano. Orare pro suis persecutoriis est de uera forma diligendi proximum, iuxta illud Matth. 5. Diligite inimicos uestros: quod quia natura est impossibile, ergo diligere inimicos donum Dei est.

Item orare pro inimicis suis, est de uera forma ferendi crucem, quam cum gaudio, sine murmuratione, & odio persecutorum ferre debemus.

Positis autem genibus gestus animi humilientis se coram Deo propter suam indignitatem.



Clamauit uoce magna. Exaggeratio charitatis in Stephano & studij pro salute suorū inimicorū,

Domine, ne statuas illis hoc peccatum.

Oratio pro inimicis, quæ Christianæ charitatis opus est. Quia nesciunt, quid faciunt.

Aetiologia ab ignorantia, cur dominus non debeat statuere iudæis hoc peccatum. Orare licet pro ignorantibus: interim non sequitur ignorantiam coram Deo excusare peccatū. Diuersum nāq; docet Christus Luc. 12. Qui autem non cognouit uoluntatem domini sui, & fecit digna plagis, uapulabit paucis. Excusatio peccati in iudæis ab ignorantia, mitigatio tantū est peccati: non enim facile sit uerisimile, iudæos post tantam tantam insignem Stephani concionem, ignorantes fuisse, sed charitatis est mitigare & operire peccata proximi.

Obdormiuit. Sub spe certæ resurrectionis. Siquidem qui obdormiunt, sub ea spe obdormiunt, quod credunt se rursus resurrecturos à somno.

C A P V T VIII.

**V**ERVM fit circa initium huius capituli dictū Hypocrisis & impietas prorumpunt tandem in apertum furorem. Et reuera sic se res habet cum impijs hypocritis, qui cum semel audent persequi ueritatem, tunc

tunc prorsus nullum habent sui furoris & persecutio-  
nis modum. Ita hoc in loco uidemus, quomodo iudei ex  
caele Stephani facti sunt crudeliores, & sicut Solomon  
ait. Pro. 1. Festinantes ad offendendum sanguine iustor-  
rum. Monemur ergo circa initium huius capituli, iustici-  
arios operum, quanto magis effunderunt iustorum san-  
guinem, tanto magis iustorum sanguinem sitiunt & fi-  
ant crudeliores. Ceterum hoc iustum Dei iudicium est  
ad unius aut alterius iusti sanguinem effusum, persecu-  
tores ueritatis et professorum eius, siti quadam inexple-  
bili à Deo puniri, ut indies à die in diem fiant crudelio-  
res. Sed horrore plenum est persequi pios: at con-  
solatorium est, ad persecutionem, ueritatem magis ac  
magis inclarescere, & fortiora induere robora. Siqui-  
dem hic cernimus, ad magnam ecclesie persecutionem,  
magnam simul secutam esse confessionem uerbi, &  
Euangelij gloriam magis atq; magis propagatam  
esse. Rectissime dixit ille. Qui de effuso iustorum  
sanguine credidit pronasci Christianos. Vnde uerè  
sentiunt: qui statuunt effusum iustorum sanguinem,  
certissimam occasionem esse ad feliciorum Euangelij  
progressum. Id quod satis probat bona huius Capituli  
pars, quæ ostendit ad magnam persecutionem ecclesie  
magnopere Euangelij gloriam processisse, Aposto-  
los

los constantius prædicasse, & ecclesiam creuisse. Doce-  
retur impius mundus ex hoc capite, nisi omnino cæcus  
esset, quod pessime consulant, qui adserunt Euangelium  
& eius professores. persecutionibus extinguendos esse:  
imò persecutionibus magis promouetur Euangelij glo-  
ria, et eius professores firmiores agunt radices habentib;  
melius. Volo & lectorem hic admonitum ut diligen-  
ter perpendat, quàm sint impiorum etiam sanguinolentis-  
sime occasiones tollendi ueritatem, frustraneæ: de qua  
frustratione & egregie monuit Dauid Psal. 2. Quia  
re fremuerunt gentes, et populi terræ meditati sunt inani-  
tia. E contra laudandi hic ueniunt Gamalielei uiri  
qui ex singulari prudentia & rerum experientia, Eu-  
uangelij negotium relinquunt euentui, qui solet proba-  
re acta. Persecutio in rebus ciuilibus & apud homi-  
nes ciuiles, occasio est, qua tolluntur, quæ sublata cupi-  
mus: ast in negotio pietatis, ipsa persecutione magis  
stabilitur ueritas. Stat igitur certa sententia. Euangelium  
quanto magis opprimitur, tanto felicius excrescit. Stet  
& hæc sententia certa. Ecclesia quanto magis patitur  
persecutionem: tanto magis excrescit.

Saulus autem erat consentiens neci  
eius.

Autem connectendi particula.

Salui fit nemo, ut ponat sibi Lucas, παρασκευάζει  
ad sequentem de conuersione Sauli euentum.

Consentiens neci eius: consensus Sauli ad necem  
Stephani, signanter hic à Luca ponitur: quò commen-  
detur ac magis inclarescat postea misericordia Dei, qui  
tantum persecutorem conuertit. Participium consen-  
tiens declarat, quod magnus inimicus ueritatis extiterit  
Saulus, & quod in illius oppressione, singularem oble-  
tationem habuerit. Spectat igitur participium consen-  
tiens ad exaggerationem persecutoris Sauli.

Facta est autem.

Autem particula connectendi est.

In illo tempore.

Cohærentia pendet ex circumstantia temporis. Facta  
est: quia in impijs furor parit furorem, persecutio  
persecutionem. Persecutio magna.

Magna persecutio effectus est persecutionis parue  
cum Stephano uno pio uiro. Sic enim accidere solet. Impi-  
pij quando audent unum uirum confitentem ueritatem  
tollere, non timent postea tollere multos: item, quando au-  
dent parum persequi pios: postea non grauantur eos  
persequi multum. Est & persecutio magna, comes  
confessæ ueritatis Enthymema. Magna adest per-  
secutio: Ergo magna adest & uerbi confessio.

Persecutio



Persecutio tessera est & nota, qua cognoscitur presentia ueritatis & piorum professorum eiusdem ueritatis. Magna: exaggeratio persecutionis, cuius est usus, ut postea innotescat magis potentia Euangelij, quæ excreuit ad persecutionem magnam.

### Aduersus ecclesiam.

Qui de ecclesia sunt patiuntur persecutionem: quia de ecclesia non sunt, alieni sunt à persecutione. Et Christus dixit. Si essetis de mundo, mundus quod suum esset, diligeret &c. Est autem ecclesia, quæ habet purum uerbum & uerum sacramentorum usum.

Hierosolymis. Circumstantia loci exaggerat Lucas iniuriam eorum, qui persecuti sunt ecclesiam.

Enthymema. Hierosolymis religionis sedes est: Ergo Hierosolymis persequi ecclesiam, summa est in iuria.

Et omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ.

Et hæc pertinent ad exaggerationem persecutionis.

Enthymema. Omnes dispersi sunt:

Ergo magna fuit persecutio. Exemplo horum qui dispersi sunt, licet in cruce fugere. Et reuera licet, sicut dente etiam Christo. Si uos persecuti fuerint in una ciuitate, fugite in aliam: sed sub ea conditione, ne ex tua fuga contumelia adficiatur uerbum Dei, ne proximus infirmus scandalizetur.

Apostoli

Apostoli non fugiunt, quia ipsi doctores non potuerunt sine contumelia uerbi Dei fugere, & scandalo infirmorum. Per regiones Iudæe & Samariæ: id est undiquaque, certi loci pro incertis positi.

Curauerunt autem Stephanum.

Exemplum charitatis seu hospitalitatis in curatoribus Stephani, quem mandant honeste sepulturae.

Enthymema. Viri religiosi curarunt Stephanum:

Ergo licet eorum exemplo curare honeste mortuos

Curauerunt autem Stephanum: id est, honeste sepelierunt. Quomodo uero curandi sint mortui, docet, Apostolus. 1. ad Theß. 4. Curare mortuos non est exequijs aut uigilijs satisfactorijs celebrare. Viri religiosi.

In Græco est, ἐν λαβείσ, religiosi siue pij uiri, qui cum religiosi & pij fuerint, nihil fecerunt in curando Stephano irreligiosum aut impium. Irreligiosæ autem sunt exequiæ impiæ & uigiliæ, ut uocant, auarorum hominum imposturæ.

Et fecerunt planctum magnum super eum.

Licet & horum uirorum religiosorum exemplo modestè plangere mortuos. Plangunt autem modestè mortuos, qui ita dolent propter eos, quod tamen habeant spem certam eos, rursus resurrekturos: quare et Apostolus dicit. 1. ad Theß. 4. Cæterum nolo uos ignorare fra-

400 ERASMI SARCERII SCHOL  
tres, de his, qui obdormierunt, ne doleatis, quemadmo-  
dum & ceteri nō habentes sp̄: Nam si credimus, quod  
Iesus mortuus est & resurrexit: sic & deus eos, qui ob-  
dormierunt per Iesum, adducet cum illo.

Est & hic planctus charitatis & hospitalitatis  
opus in plangentibus.

Saulus autem deuastabat ecclesiam  
per singulas domos

Hæc præmittit Lucas ut preparatoria ad sequen-  
tem euentum de Saulo. Decuit autem Lucam præmitte-  
re persecutionis exaggerationem in Saulo, qui uoluit cō-  
mendare misericordiam dei in conuertendo Saulo in  
pio. Deuastabat: exaggeratio studij in Saulo, in perse-  
sequenda ecclesia. Per singulas domos: & his exa-  
geratur studium Sauli in persequendis pijs.

Enthymemata. Saulus deuastauit ecclesiam:

Ergo Saulus fuit magnus persecutor ecclesie.

Item. Saulus per singulas domos deuastauit ec-  
clesiam: Ergo in Saulo uehemens fuit persequendi ec-  
clesiam studium.

Intrans, & trahens uiros, ac mu-  
lieres, tradebat in custodiam

Et hæc spectant ad exaggerationem persecutionis in  
Saulo: item, ad exaggerationem studij in persequenda  
ecclesia.

Viros

Viros ac mulieres: martyrium non est ligatum ad circumstantiam sexus: habet enim Deus ex utroque sexu martyres, qui testantur sua persecutione de ueritate.

Causam persecutionis diligenter nota, quæ est gratuite iustitiæ confessio, sicuti supra ostendi. In custodiam: hypocritis nunquam caret timore: sic timent hic hypocrite ne aufugiant impij, ideo et includunt eos in custodiam.

Igitur qui dispersi erant, peragrabant euangelizantes uerbum dei.

Occupatione hæc annectuntur præcedentibus, ne quis putet fugientes propter persecutionem, postea otium egisse, aut, ab Euangelio defecisse. Quod illi, qui dispersi erant, peragrando euangelizauerint uerbum Dei, id significat, persecutionem potius esse occasionem ad propagationem Euangelij, quam occasionem ruine eius. Et ille dixit, sanguine piorum excrescere Christianos. Falso ad blandiuntur sibi hoc loco Anabaptistæ, qui hinc suam sententiam probatam uolunt, quod suscepto Euangelio conueniat relinquere coniugem et liberos, et diuagari otiose instar mendici Monachi per orbem: Nam qui dispersi erant, peragrabant euangelizantes uerbum Dei. Anabaptistæ uerò non fugati, neque dispersi peragrant orbem, euangelizantes non uerbum



dei, sed sua somnia & tumultuosam doctrinam.

Enthymemata. Dispersi, peragrant & euangelizant uerbum dei: Ergo non dispersi non debeant peragraré & euangelizare uerbum dei. Item.

Dispersi peragrando euangelizarunt uerbum dei:

Ergo qui sunt dispersi peragrando non debent prædicare sua somnia.

Euangelizantes uerbum dei: in participio Euangelizantes exprimitur, quale uerbum prædicarint dispersi: nimirum uerbum Euangelij, quo discernunt suam doctrinam à doctrina legis, & suum officium ab officio legali. Enthymemata. Euangelizarunt uerbum dei:

Ergo Euangelium non legem prædicarunt.

Item. Euangelizarunt uerbum dei: Ergo consolati sunt conscientias, non terruerunt aut desperare fecerunt. Insinuat itaq; Lucas, quod uerbum deccat prædicatores noui testamenti, scilicet uerbū Euangelij: & quomodo uerbum dei prædicare debeant: scilicet euangelizando, ut consolentur conscientias. Qui legē dei prædicant, quoq; annunciant uerbum dei: at non euangelizant. Porro quia Euangelij duæ sunt partes: pœnitentia & remissio peccatorum, Lucæ 24. Prædicate sub nomine meo pœnitentiam & remissionem peccatorum: quare placet Euangelizandi uoce duas illas partes

tes euangelij comprehendere, ut scias, dispersos prædicasse poenitentiam & remissionem peccatorum. Et hanc complexione sub uoce Euangelij ideò fieri uolo hoc in loco, ne dem occasionem nouis illis antonomis, qui legis prædicationem è ecclesia tollunt, & religant ad sententias curias suadentes & docentes solum Euangelium unam partem de remissione peccatorum prædicandam esse, sine lege.

Verbum dei: cuius deus autor est, & cuius uerum intellectum deus reuelat.

Philippus autem descendens in ciuitatem Samariæ.

Quod de dispersis prius in genere dixit Lucas: nunc specialiter de Philippo dicit.

Prædicationis Philippi hæc summa est. Philippus prædicauit Euangelium in Samaria, hoc est poenitentiam et remissionem peccatorum sub nomine Iesu, id quod est euangelium prædicare. Prædicatum Euangelium confirmauit signis. Prædicato & signis confirmato Euangelio, crediderunt Samaritæ, & in nomine Iesu baptizati fuerunt. Tota prædicatio Philippi referenda est ad ministerium uerbi, quod efficax est per spiritum sanctum, qui dat incrementum & benedicit ministerio uerbi externo: iuxta illud. Paulus quis est? Apollus quis? nisi ministri per

quos credidistis, & ut cuiq; dominus dedit. Ego planta  
ui, Apollos rigauit, sed deus dedit incrementum. Spectat  
etiam huc ferè totum caput, ad Rom. 10. cuius penè sum  
ma est, nos per ministerium uerbi pertingere ad fidem,  
& saluari. Iniuste: igitur damnant Anabaptistæ  
externum uerbi ministerium, cuius nullum in ecclesia  
usum esse dicunt.

Verum hic fit circa prædicationē Philippi. Fides ex  
auditu est: auditus uerò per uerbum dei.

Est & prædicatio Philippi in Samaria, executio  
uerborum Christi, Acto. 1. Et eritis mihi testes in Ierusa  
lem, & in omni Iudæa & Samaria, &c. Philippus  
eorum prædicatorum imago est, qui prudenter & fides  
liter annunciant Euangelium, efficacesq; sunt externo  
uerbi ministerio, per internam spiritus sancti operatio  
nem. Philippus hic an Euangelista fuerit, uel diacon  
us, incertum est. Nec adfert hoc incertū quicquam pe  
riculi. Descendens: non temerè, sed ut satisfaceret uer  
bis Christi, Acto. 1. Et eritis mihi testes.

In ciuitatem Samariæ: in regionem Samariæ, posita  
per Synecdochē ciuitate ut parte regionis, pro tota re  
gione. Vel simpliciter intelligit ciuitatem Samariam in  
regione Samaria sitam.

Prædicabat illis Christum,

Id est,

Id est, Euangelium, posita causa pro effectu, hoc est, Christo autore Euangelij pro ipso Euangelio.

Est autem prædicare Euangelium, sub nomine Christi prædicare poenitentiam & remissionem peccatorum Lucæ ultimo. Christum prædicare, est per Euangelium annunciare, Christum esse unicum & gratuitum saluatorem. Prædicat & Christum, qui in Christo gratuitam iusticiam annunciat. Prædicandi uerbo indicatur uocale & audibile uerbum.

### Animaduertebant autem turbæ hæc.

Sequitur quid Philippus sua prædicatione effecerit apud Samaritas. Pro primo hoc effecit, quod eius prædicationem animaduertent unanimitè, in signum sibi placuisse doctrinam. Animaduertere effectus est prædicationis Philippi, commendans uerbi prædicati per Philippum potentiam. Enthymema. Ad prædicationem Philippi, turbæ animaduertent unanimitè :

Ergo magna est uerbi prædicati potentia, & efficax est prædicatio audibilis & uocalis uerbi.

Verbum animaduertebant ostendit quoq; quàm amica & grata est conscientijs Euangelij doctrina, ad quam turbæ unanimitè animaduertunt.

Turbæ : notatur qualitas auditorum Euangelij.



Priore ad Corinthios 1. Non multi nobiles, non multi sapientes, &c. Hæc: signanter accedit hoc pronomen, ne putemus turbam inhæsisse in persona Philippi, sed in uerbo, quod prædicabat.

Quæ à Philippo dicebantur.

Vocali & audibili uerbo.

Unanimiter. Notat studium, diligentiam, & feruorem in turba, pro audiendo Euangelio, quod est grata doctrina pro conscientijs.

Audientes & uidentes signa  
quæ faciebat.

Aetiologica hæc sunt uerba, & reddunt quodammodo causam animaduersionis unanimitatis: audientes & uidentes signa, quæ faciebat: id est, signis confirmabantur turba & inuitabantur, ut unanimiter animaduertent. Vfus quidam signorum seu miraculorum hic expressus est, qui in hoc consistit, ut per signa seu miracula confirmantur auditores de doctrina, & ad unanimiter animaduertendum doctrinæ eiq; credendum inuitentur. Faciebat: per uirtutem & nomen Christi, ut causas signorum, sicut patet ex superioribus, cap. 3.

Nam immundi spiritus.

Aetiologia

Actiologia, quod Philippus signa fecerit, ab exemplis eorum, qui per signa restituti fuerunt.

Sequentibus signis seu miraculis commendatur potentia uerbi seu nominis Christi potentis eijcere demonia, & male habentes restituere sanitati. Matthæi. 8. Et eijecit uerbo spiritus, & male habentes sanauit.

Immundos uocat spiritus. Primum quia natura sunt ipsa immundities: deinde quia alios immundos faciunt.

Nota, quia immundi spiritus multos obsident: ergo non leuis illorum potentia est ex diuina permissione.

Obsessio per immundos spiritus, poena esse potest impietatis in hominibus.

A multis. Exaggeratur potentia uerbi, per quod multos potuit Philippus liberare à spiritibus immundis.

Exibant.

Exitus malorum spirituum effectus est potentis uerbi, per quod uoluit Philippus immundos spiritus eijcere. Enthymema.

Coram uerbo mali spiritus non possunt subsistere:

Ergo uerbi magna est potentia: ergo coram uerbo nihil quantumuis firmum subsistere potest.

Clamantes magna uoce.

Et hic clamor malorum spirituum exaggerat potentiam uerbi, quam quia sentiunt mali spiritus,

igitur clamant uoce magna. Vtrumq; consolatorium est, & exire malos spiritus, & clamare uoce magna ad potentiam uerbi. Verum fit hic dictum Genescos. 3. cap. promissum. Ipsum conteret caput tuum &c.

Multi autem paralytici & claudi curati sunt.

Premisit Lucas maiora signa: sequuntur inferiora. Maius enim signum est, eijcere immundos spiritus, quam sunt signa restitutionis infirmorum.

Multi: exaggeratur potentia uerbi, multos sanare ualentis. Paralytici & claudi: duo morborum genera posita sunt, pro omnibus alijs specialibus morbis: item duplices infirmi pro omnibus infirmis. Paralytici et claudi id est, in genere omnes infirmi ex quibuscunq; morbis. Curati sunt curatio effectus est potentis uerbi.

Factum autem est gaudium magnum in illa ciuitate.

In regione Samaria, aut in ipsa ciuitate sic dicta. Gaudium curationis res cognata est, & sic omnium miraculorum & operum uerbi, ad cuius potenter facta et beneficia, non possunt non gaudere homines, tam illi qui sentiunt beneficia, quam qui uident & audiunt.

Magnam exaggeratio gaudij, quod quia magnam  
fuit

fuit in gaudentibus : igitur magnopere adfecti fuerunt  
uerbi potentia & eius potentibus operibus.

Vir autem quidam nomine  
Simon.

Nouus euentus de Simone Mago, cuius summa est,  
ad Euangelij prædicationem etiam hypocritas simul ad  
currere : item Euangelium suos habere hypocritas, sicut  
& Iudam, & alios habuit. Bona pars huius euentus  
& ea omnia, quæ spectant ad commendationem Simo-  
nis à Magia & suis sectatoribus, docet homines in ma-  
gna æstimatione positos plerumq; fieri maximos hypo-  
critas sub Euangelio. Totus euentus referendus est  
ad hypocrisim, quæ etiam sub Euangelio ingruere po-  
test. Vir autem quidam nomine Simon : adijcit no-  
men uiri propter historię certitudinem.

In ciuitate. Regione uel urbe ipsa Samaria.  
Magicam exercuerat.

Queri hic solet de Magia de qua paucis ego sic re-  
spondeo. Homines magica arte ex instinctu Satanae &  
cooperatione aliquid posse, nõ dubito. Est enim, teste A-  
postolo, diabolus efficax in incredulis : id est, nihil non  
potest in incredulis, etiam quod signa & prodigia in  
illis operetur, quibus confirmet impios in sua impietate.



impietate. Et quàm sit potens diabolus in incredulis per Magiam, monet hoc exemplum de Simone: item exemplum excusitati Samuëlis à magica muliere. .i. Regum. 28. Monent & scripturæ loci, qui magiam prohibent, quorū nullus esset usus, nisi diabolus posset in incredulis per Magiam efficere, quæ uellet. Deinde non dubito, homines fide præditos, posse resistere Magiæ, ut illis magica opera non noceant. Infideles autem non posse, sed magicis operibus lædi, permissione diuina non infligati one: Tertio non dubio Magiæ finem, esse ut per illam confirmetur & retineantur impij in sua impietate, sicut cernere licet in signis & prodigijs à Magis coram Pharaone exhibitis, quibus confirmatus & retentus est impius Pharaon in sua impietate. Nec est alius magiæ finis excellentior, nec omnium operum, quæ per magiam fiunt. Et qui nunc finis est Magiæ & operum eius, is etiam finis est omnium signorum & prodigiorum, quæ faciunt pseudoprophetæ, & de quibus loquitur Christus Matthæi. 7. & 24. Porro quid sit magia secundum Theologos, ex hoc loco apertum est. Est ergo Magia dementatio hominum, qua Magiæ periti dementant hominum animos, ut imposturis & operibus Satane credant ad suum interitum. Posteriore ad Theßa. 2.

Cuius aduentus est secundum operationem Satane  
cum

cum omni potentia & signis & prodigijs mendacibus  
 & cum omni deceptione iniusticiæ, in ijs qui pereunt,  
 pro eo quod dilectionem ueritatis receperunt, in hoc, ut  
 salui fierent: propterea mittit illis Deus efficacem illu-  
 sionem, ut credant mendacio, qui ueritatem repulerunt.

De Magia, ut olim accepta fuerit, & quæ eius extir-  
 terint partes, uide D. Pullingerum in hoc octauū Caput  
 doctissime simul & piissime scribentem. Magicam ex-  
 ercuerat: cuius subsidio & miracula fecerat, morbos  
 induxerat corporibus, deinde uerò eosdem iterum expu-  
 lerat etc. Et dementans gentē Samarię

Effectus magicæ artis dementatio, è quo effectus a-  
 tis liquet, quantum Theologi tribuere illi arti debeant.

Enthymema. Magicæ effectus est dementatio:

Ergo Magicæ nihil boni tribuendum est.

Vera hic fiunt dicta. Opus commendat artificem.

Effectus causam. Euentus acta. Dementans: ut in impie-  
 tate conseruarentur et retinerentur Samaritæ impij. Fa-  
 cit Apostolus posteriore ad Thess. 2. hanc dementatio-  
 nem poenam impietatis quando ait: ut credant menda-  
 cio, qui ueritatem repulerunt.

Dixerat se esse aliquem  
 magnum.

Cause

Causæ dementationis gentis Samaritæ à possibili.

Enthymema. Simon dixit se esse magnum aliquem

Ergo potuit dementare Samaritæ gentem.

Aliquem magnum : magnarum rerum peritum, mag-  
norum signorum & prodigiorum gnarum & ad ni-  
hil non magni peragendum potentem.

Cui auscultabant omnes.

Notatur potentia Magicæ artis, quæ non est impos-  
tens, neq; inefficax ars uerum potens et efficax. Trahit  
autem ars illa suam potentiam & efficaciam à Satana,  
teste Apostolo, quando ait. Cuius aduentus est secundū  
operationem Satanae, cum omni potentia, & signis &  
prodigijs mendacibus, &c. Auscultabant : notatur  
studium hominum, erga Magicam artem & eius ope-  
ra: cuius studij uidetur Apostolus his uerbis meminisse.  
Pro eo, quod dilectionem ueritatis non receperunt :  
id est, signis & prodigijs mendacibus, ut operibus Ma-  
giæ, magis crediderunt. Auscultatio effectus est po-  
tentia Magicæ artis & operum eius.

Omnes : exaggeratio auscultationis & studij, quod  
habent impij erga Magicæ artis opera, signa & prodig-  
ia mendacia. Vox omnes docet Magiam felicem habere  
successum, & ut artem, ita & signa & prodigia  
artis. Monent nos de felici illo successu, superiora tem-  
pora

pora, in quibus foeliciffimè successerunt signa & prodigia mēdacia. A minimo usq; ad maximū.

Spectant & hęc ad exaggerationem auscultationis et studij erga Magiam & eius opera. Enthymema.

Simoni auscultant omnes à minimo usq; ad maximū

Ergo Magi foeliciter procedunt, & facile sortiuntur multos sectatores: ergo Magię facile omnes adhaerent: ergo Magia efficax & potens est ars, &c.

Dicentes. Hoc dicere effectus est auscultationis omnium. Hic est uirtus dei magna.

Alius effectus Magię artis & operum eius ipsa in deum blasphemia. Vide quę impietas sequatur Magiam & eius opera, signa, & prodigia, quę tantę sunt efficacię, quod homines à uero deo abducere possunt, ut tribuant creaturis, quod dei est tantum. De quę efficacія & sic dixit Christus Matthæi 24. Surgent enim pseudoChristi & pseudoprophete, et dabunt signa magna & prodigia, ita ut in terrorem inducantur, si fieri possit & electi. Posteriore ad Theff. cap. 2. Cuius aduentus est secundum operationem Satanię, cum omni potentia, & c. Hic est uirtus dei magna: id est, est potens & fortis deus aliquis. Enthymema.

Magia unā cum operibus suis signis & prodigijs, facit homines dicere. Hic est uirtus dei magna:

Ergo



Ergo Magia potens est ars & opera eius efficacia sunt. Sed apud quos sunt efficacia? Responsio. Apud impios & sicut Apostolus inquit, ad Theff. . posterioris epistole, in illis qui percunt & repulerunt ueritatem.

Auscultabant autem ei.

Actiologia tam diligentis auscultationis Samaritarum à circumstantia temporis. Enthymema.

Simon multo tempore dementauerat magicis artibus Samaritas: Ergo Simoni auscultabant.

Multo tempore: impietas etiam ad longa saepe tempora regnat: quemadmodum & superioribus temporibus durauit Magicis artibus: imposturis, & signis ac prodigijs, mendacibus. Dementasset eos: mentibus eos decepisset. Redeundum est hic ad scopum, ad quod tendere dixi totam exaggerationem peritiae. Simonis in arte Magica, & felicitis successus eius, scilicet ut peritiam illa in Simone exaggerata, et felicitis eius successu ob oculos posito, significaretur, homines in magna estimatione positos, plerumque fieri maximos hypocritas sub Euangelio. Cum uero credidissent Philippo euangelizanti de regno dei.

Credere hoc effectus est praedicationis Stephani, quo commendatur illius potentia, quae cooperante Spiritu sancto potens fuit homines ad fidem inuitare, & eam in hominibus

minibus excitare. Fides namq; uerbi prædicati effectus est, ad Rom. 10 Fides ex auditu est, auditus uerò per uerbum Dei. Philippo: ut ministro uerbi.

Euangelizanti de regno dei: correctio. Non enim simpliciter Philippo crediderunt, sed Philippo Euangelizanti de regno Dei. Vnde monemur non simpliciter credendum esse personis: uerù illis personis, quæ euangelizant de regno Dei. Credere & Euangelizatio de regno Dei correlatiua sunt. Siquidem fides euangelizationem de regno Dei apprehendit. Fides itaq; est ex hoc loco, fiducia erga euangelizationem de regno dei.

Euangelizare de regno Dei, est prædicare Euangelium, quod efficit nos subditos in regno Dei. Euangelizandi uerbo discernimus inter prædicatores Euangelij & legis: inter doctrinam Euangelij & legis.

Regnù Dei uocat, in quo uerbù est, quod facit nos subditos in regno Dei: imò quod facit reges super omnes spirituales hostes, diabolu, mortem &c. Regnù dei: cuius autor et conseruator est Deus: item, in quod nos transfert Deus. In nomine Iesu Christi baptizabantur uiri ac mulieres.

Quia opera sanctæ Trinitatis indiuisa sunt: quare qui in nomine Iesu fuerunt baptizati, recte fuerunt baptizati Vide propositiones de baptismo in nostro Catechismo.

In nomine Iesu Christi baptizare, est de forma baptismi, sicut & est de forma baptismi, baptizare in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, Matthæi 28.

In nomine Iesu Christi baptizari: est in baptismo accipere Christum saluatorem & ductorem. Baptizari in nomine totius trinitatis, est totam trinitatem in baptismo accipere in protectricem & ductricem. Baptizabantur: in hoc ut haberent signaculum iustitiæ fidei, quo admonerentur de accepta per fidem iustitia, & cõseruarentur in fide. Hic enim signorum quidam usus est ex. 4. capite ad Rom. Vbi Apostolus definit circumcisionem signaculum iustitiæ fidei. Locus præsens de baptismo aduultorum est: ergo nihil probat contra baptismum infantium. Vide nostrum Catechismum unã cum Rhetorica, in genere iudiciali, in statu translationis.

Viri ac mulieres: sine discrimine sexus. Nam baptismus non est ligatus ad ullas circumstantias: iuxta illud. Regnum meum non uenit cum obseruatione: id est non est ligatum ad circumstantias: ergo nec baptismus qui est pars regni Christi. Anabaptistæ contra naturam baptismatis, ligant illud ad obseruationem, dũ contendunt infantes non esse baptizandos, sed tantum aduultos. Tunc Simon & ipse credidit.

Sic ut ipse confessus est. Petrus enim porro ostendit Simonem

Simonem fuisse hypocritam, quando dicit. Cor enim tuum non est rectum coram Deo &c. Multa hinc argumenta contra Anabaptistas produci possunt. Simon hypocrita baptizatus est. Ergo multo magis infantes baptizare licet. Item.

Confessio oris de fide in adultis decipere potest, exemplo Simonis: Ergo confessionem oris de fide, frustra causantur Anabaptistæ, esse certam & sufficientem causam baptismi. Item

Philippus baptizauit Simonem hypocritam:

Ergo multo magis infantes baptizandi sunt, in quibus adhuc nulla est hypocrisis. Philippus secundum oris confessionem baptizauit Simonem: quare prædicatores amplius non habent, secundum quod iudicant, nisi confessionem oris: corda iudicat & Deus uidet.

Credidit: teste sua confessione. Simon imago omnium hypocritarum est, qui possunt quidem ad tempus se fingere pios, sed non in perpetuum. Nota itaq; in exemplo Simonis, hypocrisin non esse perpetuam. Credidit Simon: id est, simulauit se credere.

Et cum baptizatus esset.

Verè credentes & hypocritæ æque baptizantur. Et quantum attinet ad externa, nullum in speciem discriminè est inter uerè credentes & hypocritas. Siquidem hypo



418 ERASMI SARCERII SCHOL.  
critæ habent eadem Biblia, sacramenta & alia cum  
uerè credentibus communia.

Falsum est Anabaptistarum argumentum. Simon  
baptizatus est: Ergo non fuit hypocrita. Nam de hy-  
pocrisi Simonis, paulo post audiemus.

### Adhærebat Philippo.

Præbebat se illi socium, ut uel consortio Philippi re-  
tineret suam autoritatem: Sic hypocritæ plerumq; uerè  
credentibus & autoritate aliqua polloquentibus, se adiun-  
gere solent, quò retineant æstimationē suam pristinam.

Vel: adhærebat Philippo: id est, ut arcta illius con-  
suetudine, addisceret à Philippo uirtutem faciendi signa  
ac prodigia: aut comprehenderet, cuius uirtute sua face-  
ret miracula. Videns autem signa & uirtu-  
tes maximas fieri.

Philippum signis ac prodigijs potentem esse. Signis  
& uirtutibus comprehendit in genere omnia miracu-  
la. Maximas uirtutes: exaggeratio potentie facie-  
endi miracula in Philippo. Philippus non ex se fecit  
miracula. Est enim miracula facere, singulare donum  
spiritus sancti, quod Apostolus. 1. ad Corinth. 12. donum  
efficacie uocat. In nomine Christi dixit Petrus unà cū  
Ioanne supra cap. 3 se facere miracula.

Stupefactus est.

Quia timuit hypocrita, ne nomen suum autoritate  
Philippi euanesceret apud Samaritas.

Stupefactio hæc signum est timoris in Simone hypo-  
crita, timente de interitu sue æstimationis.

Cum autem audissent Apostoli.

Exemplum charitatis est in Apostolis, qui Philippo  
suppetiis ferunt, ne plus equo grauatus ministerio  
uerbi, succumbat. Est & prudentiæ exemplum in  
Apostolis, qui cognoscunt, unum non posse simul præesse  
multis, nec unius esse ad quod plures personæ pertinent

Cum: coherentia à circumstantia temporis.

Qui erat Hierosolymis.

Apostoli enim non fugerant, ut supra initio huius  
capitis: præter Apostolos. Ex hoc loco certò proba-  
ri potest, Philippum non apostolum prædicasse in Sa-  
maria, sed Philippum diaconum.

Quod recepisset Samaria uerbum  
dei.

Vel ciuitas illa, uel regio. Verbum dei: cuius autor  
Deus est, & cuius uerum intellectum reuelat Deus.

Miserunt ad eos Petrum &  
Ioannem.

Ex charitate, & in hunc finem, ut suppetiis ferrent  
Philippo.

Petrum et Ioannem: qui iam cruce aliquantulum ex-  
 gitati erant. Siquidē habendus est infirmorum respectus.

Qui cum descendissent.

Exemplum obedientiæ in missis ab Apostolis.

Orauerunt pro ipsis.

Donā Dei oratione impetrantur. Est & charitatis  
 in Petro & Ioanne, orare pro Samaritis. Oratio eccle-  
 siæ hic stabilitur, qua pro inuicem oramus.

Vt acciperent spiritum sanctum

Quid hic noui est? an non credentes Sam aritæ euan-  
 gelizanti Philippo de regno Dei, & baptizati ab eor-  
 dem acceperint spiritum sanctum? an potuerint sine spi-  
 ritu sancto, aut audire uerbum ex corde, aut suscipere il-  
 lud, aut illi credere: item baptizari? Respondeo. Acci-  
 perant spiritum sanctum ut illuminatorem ad uerbis  
 & datorem fidei, & procuratorem baptismi, sed non  
 dum acceperant eum in confirmatorem & adsignato-  
 rem: neq; dum acceperāt donā eius: qualia multa recen-  
 set Apostolus. 1 ad Corinth. 12. Vt acciperent spiri-  
 tum sanctum, id est, per spiritum sanctum confirmarentur  
 & obsignarentur: item, ut acciperent donā ac uir-  
 tutes spiritus sancti, quas suo tempore successiue accipi-  
 unt credentes. De quibus uirtutibus et donis spiritus san-  
 cti, consule priorem epistolam ad Corinth. cap. 12.

Nondum

Nondum enim in quenquam  
illorum uenerat.

Id est, nondū acceperant spiritum sanctum in confir-  
matorē & obsignatorē: nec dona eius alia quàm pluri-  
ma, quibus solet credentes donare spiritus sanctus. Vene-  
rat: ut confirmator & obsignator, & dator donorū  
atq; uirtutū, quibus adornat spiritus sanctus credentes.

Sed baptizati tantum erant in nomi-  
ne domini Christi Iesu.

Apertum est ex hoc loco, baptismum non tantū esse  
signum pro perfectis, sicut nugantur Anabaptistæ: fue-  
runt enim hic baptizati, qui nondum acceperant spiri-  
tum sanctum in confirmatorem ac obsignatorem: neq;  
dona eius uaria. Baptismus ex hoc loco est signum,  
quo initiamur ad gratiam, aut in gratiam suscipimur, in  
hoc ut sensim ac sensim fiamus in pietate doctiores &  
in religione perfectiores. Sequitur ex his uerbis: sed  
baptizati, &c. etiam imperfectos posse fieri participes  
baptismi: & sic sanè infantes.

Sed baptizati tantum erant in nomine domini Chri-  
sti Iesu: id est, quanquam illuminati erant per spiritum  
sanctum ad uerbum, crediderant illi, & baptizati erant  
tamen nondum à spiritu sancto confirmati & obsignati  
erant: nondū acceperant dona ac uirtutes spiritus sancti  
quibus solet ornare credentes.



Tunc imponebant manus  
super illos.

In signum confirmationis & obfignationis, quod  
essent iam accepturi spiritum sanctum in confirmatore  
& obfignatore: item, in signum se iam accepturos  
esse alia dona spiritus sancti quã plurima. Impositio ma-  
nuum aliã est signum confirmationis in officio, sic sic  
pra cap. 6. accipitur circa diaconos.

Et accipiebant spiritum sanctum.

Confirmabantur & obfignabantur spiritus sancto, et  
accipiebant uaria eius dona uirtutesq; uarias.

Cum uidissent Simon.

Sequitur qualis Christianus fuerit Simon, qualem fidem  
habuerit, in quem finem crediderit, & suscepit bap-  
tismi signum. Fuit ergo Simon purus hypocrita. Fidẽ su-  
am finxit tantum, & dissimulauit se credere, in eum fi-  
nem, ut priuata sua commoda quæreret, & ad eam uir-  
tutem pertingeret, ex qua posset signa & maximas uir-  
tes ædere, quò sic retineret nomen & autoritatem suam  
apud Samaritas. In quorum priuatorum commodorum  
usum & baptizatus est Simon.

Simon illorum typum gerit, qui in mera hypocrisi  
fingunt se Christianos, cum nihil minus sint: item,  
illorum typum gerit, qui fingunt se esse Christianos,  
uiri

una utuntur eadem Biblia, iisdemq; sacramentis, ut priuata sua commoda promoucant, suamq; estimationem apud homines retineant: item, gerit illorum typum, qui emunt aut uendunt res sacras, & sic dona spiritus sancti pro pecunia: item, qui dona Dei & res spirituales ad regnum Christi pertinentes, e pecunia metiuntur: tandem qui pietatem questum esse putant: sicut inquit Apostolus. i. ad Timoth. 6. Seungere ab ijs, qui mente corrupti sunt, quibus adempta est ueritas, & qui existimant questum esse pietatem. Est autem questus satis magnus pietas, cum animo sua sponte contento.

Euentus Simonis sequens totus referendus est ad sententiam illam communem. Hypocrisis non est perpetua, hoc est, non potest semper tecta esse. Item, ad sententiam illam uulgarem: Euangelium non est de pane lucrando.

Ostendit proximè Simon, quid hypocrite querant sub Euangelio: non pietatem ipsam, sed questum seu priuata commoda sub pretextu pietatis.

Cum uidisset autem Simon: hypocrite facile uident occasionem questus.

Quod per impositionem manuum  
Apostolorum daretur spiritus sanctus.

Id est, confirmarentur & obsignarentur manuum impositione

Positione per Apostolos, credentes, simulq; acciperent  
quàm plurima spiritus sancti dona.

Impositio manuum non ex se contulit credentibus,  
aut confirmationem, aut ob signationem, aut dona spiri-  
tus sancti: sed fuit tantum signum certitudinis de confir-  
matione, ob signatione, & donis spiritus sancti.

Tribuit Simon signo, quod signi non est, quamvis  
interim uerum sit, impositionem manuum Apostolorum  
fuisse secutam confirmationem, ob signationem & dona  
spiritus sancti.

### Obtulit eis pecuniam.

Ex animo ambiente honorem, estimationem, et que-  
stum ex pietate. Fluxit inde hæresis, quæ uulgo Simo-  
nia à Simone Mago appellatur: quæ paucis descripta  
nihil est aliud, quàm ambitio quæslus ex pietate pecu-  
nia aut muneribus parata. Simoniaci sunt, qui pecu-  
nia & muneribus ambiunt ex pietate quæstum.

Sed quia Simon hypocrita fuit, & hic ipse obtulit  
pecuniam, quo ex pietate quæstum exerceret: quare  
sequitur hypocrisin rem habere cognatam, ambitionem  
quæslus ex pietate Equidem hypocritis nihil æque cor-  
di est, atq; ambitio quæslus, honorum, & estimationis  
ex pietate, testantibus hoc uiuis in regno hypocrisecos,  
exemplis.

Date

Date & mihi hanc potestatem, ut  
cuiq; imposuero manus acci-  
piat spiritum sanctum

Hoc est, donate & me illa potestate, illisq; priuile-  
gijs, ut sit mihi questus ex pietate, ut sit honor, aestima-  
tio & gloria ex donis spiritus sancti : item ut sit mihi  
facultas confirmandi & obsignandi homines ad qua-  
estum. Et quanquã Simon expressis uerbis non ostendat, se  
questum ex pietate querere, tamen finis hic est petiti-  
onis Simonis. Declarat Simon hac petitione, quod sub E-  
uangelio quaesierit, & cur factus fuerit Christianus : ni-  
mirum in hoc, ut inde priuata sua commoda haberet.  
Huiusmodi auditores et susceptores Euangelij Christus  
significat Matth. 13. sub spinosis auditoribus. Aposto-  
lus ad Gal. 5. eiusmodi Simoniacos dicit libertatem in  
occasionem carnis dare. Impulsivæ causæ petitionis  
à Simone factæ, fuerunt ambitio estimationis & qua-  
estus. Accipiat spiritum sanctum : confirmetur & obsig-  
netur per spiritum sanctum : postea & habeat dona eius

Petitio Simonis plena est hypocriseos, cuius res sunt  
cognatae, ambitio honorum, & priuatus questus.

Petrus autem dixit ad eum

Summa est responsi Petri, dona spiritus sancti, nec  
emi, nec uendi pecunia : item, dona spiritus sancti, &



res spirituales, hoc est, ad regnum Dei pertinentes, non esse æstimandas è pecunia: tandem sub pietate, nõ esse querenda priuata commoda: qualia sunt, quæstus, honor, æstimatio, gloria, libertas &c. Ordo responsi Petri sic habet. Primum acerbè increpat Simonem: postea hortatur eum ad pœnitentiam. Petenda hinc est nobis forma quædam obiurgandi peccatores, qui primùm acerbè increpandi sunt: deinde erigendi ad pœnitentiam, ne in peccatis desperent. Porro quia Petrus acerbè increpat Simonem, quærentem sub pietate quæstum: igitur oportet Simoniam magnum esse peccatum.

Item, quia Petrus acerbè increpat Simonem: quare necesse est Petrum ex singulari Dei reuclatione cognouisse hypocrisim in Simone, & finales suæ petitionis causas, quas malas fuisse, testatur acerba Petri increpatio.

In speciem non est magnum peccatum, petere potestatem imponendæ manus ad accipiendũ spiritum sanctũ: at peccatum est uelle pecunia illam potestatem emere: & Petrus sua acerba increpatione ostendit illud magnum esse: magnitudo ergo peccati ex efficientibus & finalibus causis petitionis æstimanda uenit, quas Petrus ex reuclatione Dei singulari cognouit, & nos cognoscere possumus ex responso Petri, quod in Simone proponit insignem hypocritam, sub pietate quærentem priuata commoda.

Enthymemata. Simonem acerbè increpauit Petrus.

Ergo Simon grauissimè deliquit. Item.

Simonem acerbè increpauit Petrus: Ergo Simonis petitio multa uitia cognata habuit. Monemur exemplo Petri, ne celemus hypocritas sua peccata.

Pecunia tua tecum sit in  
perditionem.

Periphrasis acerbæ increpationis, qua plerumq; dignatur Christus unà cum Apostolis, hypocritas. Increpatio est à causa poenæ ad poenam. Pecunia tua tecum sit ad perditionem, id est, pecunia tua sit tibi occasio perditionis. Increpatio hæc Petri, quamuis acerbæ, tamen charitatis opus est in Petro, qui illò laborat Deo lucrari Simonem.

Quoniam donum Dei existima  
sti pecunia parari.

Actiologia increpationis dura & acerbæ, sumpta à grauitate peccati in Simone. Quoniam donum Dei existimasti pecunia parari, id est, statuisti in tuo animo dona spiritus sancti parari & uendi pecunia. Nã hanc opinionem certã habuit Simon. Parat o mihi manuum impositionem, ut dem alijs dona spiritus sancti, et inde questum faciã, cum pecunie, tum æstimationis. Siquidem hunc questum questuit Simon sua pecunia.

Enthym

Enthymema. Simon Apostolis pro dono dei obtulit pecuniam: Ergo Simon quæsiuit inde lucrum.

Ratio pendet ex cōmuni intentione, ex qua omnes exponimus pecuniam, ut inde nobis lucrum paremus.

Enthymema. Nemo exponit pecuniam frustra:

Ergo Simon suam pecuniam non exposuit frustra.

Donum dei: impositionem manuum, quam uocat donum dei à posteriori, quia eam dona dei sequuntur.

Existimasti: ex ambitione priuatae gloriae, & cupiditate quæstus priuati, ut cauis.

Pecunia parari: in eum finem, ut inde te sequeretur priuata gloria, & priuatus quæstus.

Non est enim tibi pars, neq; fors  
in hac re.

Id est, frustraris opinione tua, neq; accipies pro pecunia, quod petis. Sensus simplex est. Simonē pecunia neq; emere, neq; uendere posse dona dei.

Tollitur responso Petri Simonia, quæ est aucupium lucri & honoris ex religione. Item: non est enim tibi pars, neq; fors in hac re: id est, pœna est peccati tui, frustratio uite æternæ.

Cor enim tuum non est re-  
ctum coram deo.

Actiologia cur frustretur Simon opinione sua, et cur  
non

non accipiat dona dei pro pecunia: sumpta est *atiologia* ab hypocrisi Simonis. *Enthymema*. Simon cor tuum non est rectum, sed plenum hypocrisi: Ergo frustraris opinione tua, nec accipis dona dei pecunia.

Ast qui hæc uerba (non est enim tibi pars, neq; fors in hac re) interpretantur de priuatione uitæ æternæ, sic argumentari *enthymemate* possunt. Simon cor tuum non est rectum, sed plenum hypocrisi:

Ergo Simon frustraris uita æterna. Sunt qui rem hoc in loco exponunt pro uerbo, ut sit sensus uerborum non est enim tibi pars, neq; fors in hac re: id est, uerbi huius quod nos prædicamus, non eris particeps.

Potest & res accipi pro ministerio uerbi, sub hoc sensu: tu non eris particeps nobiscum ministerij uerbi.

Tandem pulchrè potest accipi res, pro impositione manuum ad dandum dona spiritus sancti, postea sensus erit. Tu Simon non eris particeps impositionis manuum, quam tu putasti parandam esse pecunia.

Declarat Petrus deum auersari hypocrisin & diligere candorem seu integritatem. Cor: in quod respicit deus. Non est rectum: id est, plenum est hypocrisi, qua sub pietatis prætextu quæris priuatam gloriam & questum priuatam.

Coram deo: qui solus uidet hypocrisin cordis, &



eam reuelat pijs in impijs. Cor enim tuum non est rectū  
 coram Deo. Id est, quanquam interim coram nobis re-  
 ctū esse appareat, qui non possumus inspicere cor, neq̄  
 facile discernere inter candorem & hypocrisin. Decla-  
 rant & hæ uoces: corā Deo: Deū iudicare secundum  
 corda & effectus internos, non tantū secundū externā.

Pœnitentiam itaq; age ab hac ne-  
 quitiā tua.

Alterā pars increpationis Petri qua Simonem pec-  
 catorem ad pœnitentiam adhortatur.

Docet Petrus sua adhortatione ad pœnitentiā, Lapsi  
 non esse negandam gratiam, etsi grauiſimè lapsi  
 fuerint. Item, docet Petrus sua adhortatione ad pœni-  
 tentiam, ut ita agamus cum peccatoribus, ne statim  
 illis abnunciemus omnem gratiam. Enthymemata.

Lapsū Simonē adhortatus est Petrus ad pœniten-  
 tiam: Ergo lapsis non est neganda gratia. Item.

Lapsū Simonem uoluit pœnitere Petrus.

Ergo lapsis non est abnuncianda gratia.

Pœnitentiam itaq; age: id est, doleas de peccato tuo  
 & erigas te fide ad remissionem peccatorum. Est enim  
 pœnitentiam agere, dolere de peccatis, & fide se ad re-  
 missionem peccatorum erigere.

Petrus hypocritam adhortatur ad pœnitentiam:

Ergo

Ergo hypocritis non est neganda gratia.

Sic Iudas hypocrita, si egisset poenitentiam, seruatus fuisset) sic Saul & reliqui.

Ab hac nequitia tua.

Quid respondes ad hæc ubi nunc manet descriptio uestra de poenitentia, quod sit dolor de peccatis & fides erigens se ad remissionem peccatorum? Scribit enim hic Lucas, ab hac nequitia tua: ergo satis non est dolere de peccatis & erigere se fide ad remissionem peccatorum, nisi & satis facias pro peccatis?

Respondeo. Quæ est hæc noua grammatica. Poenitentiam age ab hac nequitia tua: ergo satisfac pro nequitia? Quid ergo sibi uolunt hæc uerba. Age poenitentiam ab hac nequitia tua? Respondeo. Hoc sibi uolunt, quod paulo ante in descriptione poenitentiae dixi, ut Simon doleat de peccato suo, & rursus erigat se fide ad remissionem peccati. Complectimur autem sub dolore simul & uoluntatem desistendi à peccato, & uitam in melius mutandi propositum. At ne quis breuitatem accuset in descriptione poenitentiae. Sic describi potest. Poenitentia est dolor cum proposito desistendi à peccato, & uitam in melius mutandi, cum intus, tum foris, & est fides erigens se ad remissionem peccatorum.

Dolere

Dolere de peccatis, & uitam mutare in melius, non tantum intelligendum est de externis uitijs, aut uita exterioriore tantum, sed etiam de interna animorum impietate, & uita interiore mala.

Verè itaq; pœnitentiam agit, qui æque dolet de internis uitijs atq; externis, qui æque desistit ab animi impietate atq; ab alijs externis uitijs qui æque proponit sibi cauere ab internis atq; externis peccatis.

Ab nequitia tua: hypocrisi, & quod sub prætextu pietatis seu religionis, quæsieris priuata commoda glorie & quæstus. In Greco est, ἀπὸ τῆς κακίας σου ἵπocpύς: id est, ab hac malitia tua: est uerò malitia, quæ foris ex hypocrisi præterdit bona, & querit mala. Enthymema. Petrus uult Simonem agere pœnitentiam à nequitia sua: Ergo non est satis ad pœnitentiam, nisi à & peccatis desistas.

Et roga deum,

Hæc de fide monent alterius partis in pœnitentia uel iuxta huc locum tertiæ partis. Est namq; iuxta præsentem locum pœnitere, dolere de peccatis, à peccatis desistere, & fide se erigere ad remissionem peccatorum.

Rogare Deum effectus est fidei, quæ in pœnitentia solet se ad remissionem peccatorum erigere. Ad Rom. 10. Quomodo rogabunt, in quem non crediderunt?

Quantum

Quantum ad uerba huius loci attinet, est pœnitenti-  
am agere à peccatis desistere, & rogare Deum, ut pec-  
cata remittat. Si forte.

Distinguit Petrus inter pœnitentiam salutarem &  
non salutarem. Et Iudas pœnitentiam egit, hoc est, do-  
luit de peccatis, nec tamen affecutus est remissionē pec-  
catorum. Sic & Saul doluit de peccatis, nec tamen affe-  
cutus est remissionem peccatorum. Sic Simon potuit do-  
lere de peccatis, sicut & doluit, quando dixit: Precami-  
ni uos pro me dominum &c. nec tamen accepit remissi-  
onem peccatorum suorum, sicut habent multorum sen-  
tentia, quanquam hic non exprimat. Si forte: q. d.  
Petrus, quis scit te uerè acturum pœnitentiam, id si non  
fuerit factum frustra dolebis. Videtur Petrus addubi-  
tare ad seriam pœnitentiã Simonis. Vnde postea addit:  
felle enim amaro uideo te esse &c. Non dubitauit Pe-  
trus ad actionem pœnitentiæ ueram, securam remissi-  
onem peccatorum, sed dubitauit de persona Simonis  
magni hypocritæ. Remittatur tibi sicut certò remit-  
teretur, si uerè pœnitentiam ageres

Hæc cogitatio cordis tui: id est hypocrisis unà cū  
ambitione gloriæ & questus sub prætextu pietatis.

Enthymema De Simonis hypocritæ uera pœniten-  
tia subdubitauit Petrus: Ergo hypocritæ rarò agunt  
ueram pœnitentiam.



Felle enim amaro uideo te esse  
& ligatum iniquitate.

Actiologia subdubitationis Petri, de uera poenitentia  
Simone Mago: sumpta à magna hypocrisis et ambitione  
priuate glorie atq; questus priuati in Simone.

Felle enim amaro uideo te esse & ligatum iniquita-  
te. Periphrasis magni hypocrisis, & hominis ambiens  
tis ex magno studio priuatam gloriam & questum pri-  
uatum. Sensus est hypocrisis ægrè ac difficulter com-  
uerti, aut seriam agere poenitentiam.

Insignis metaphora est in uoce fellis.

Vox amari exaggerat hypocrisim in Simone unà cū  
ambitione priuate glorie & questus priuati. Ligatus  
iniquitate: & hæc exaggerant hypocrisim & ambitionem  
priuate glorie & questus priuati in Mago.

Enthymemata. Simon felle amaro est:

Ergo magnus hypocrisis est: ergo ualdè ambit pri-  
uatam gloriam & questum priuatum.

Item. Simon ligatus est iniquitate:

Ergo Simon magnus est hypocrisis: ergo mirificè  
estuat erga gloriam & questum.

Fel & iniquitas designant hypocrisim, ambitionem  
glorie priuati questus ex donis dei studium, & similia  
in Simone uitia.

Responde

Respondens autem Simon  
dixit.

Exemplum hypocriseos in Simone, qui se uerè poenitere fingit : cum nihil minus in corde faciat.

Magna res est, hypocritam Simonē ad tam arduam ac uehementem increpationem, non moueri, ut uerè poeniteat : item, hypocritam Simonem tam excellenter admonitum de hypocrisis, eam non abijcere.

Causæ petitionis in Simone non sunt ueri pauores animi uerè dolentes de peccato : neq; erigentes se fide ad remissionem peccati : sed pauores fictitij, ex timore poenæ, non ex filiali timore suborti.

Simile exemplum hypocriseos est in Saule, ex similibus causis. 1. Regum 15. quando dixit ad Samuëlem. Peccaui, quia prauaricatus sum sermonem domini, & uerba tua, timens populum, & obediens uoci eorum. Sed nunc queso porta peccatum meum, et reuertere mecum ut adorem dominum. Ex timore poenæ, dixit Iudas hypocrita dolens de peccatis suis, quando uidit se damnatum. Peccaui, tradens sanguinem maximum.

Dixit : ex timore poenæ, non ex filiali timore, aut uero animi pauore.

Præcamini uos pro me dominum.

Petitio plena hypocriseos ex timore poenæ, ut causa  
Quantum attinet ad petitionem, nihil discriminis est  
inter Simonem hypocritam & uerè Christianum.

Petitio ut est hypocritica: ita frigiditatis plena.

Ut nihil ueniat super me horum,  
quæ dixisti.

Timorem poenæ causam esse petitionis in Simone, ex  
his apertum est. Discis hic hypocrisin & timorem  
poenæ esse res cognatas. Esa. 31. Conterriti sunt in Zion  
peccatores, & timor possedit hypocritas.

Et illi quidem testificati sunt.

Abrumpit Lucas historiam de Mago, et lectori pru  
denti reliqua de illo cogitanda relinquit, qui ex se facile  
cogitare potest, Simonem Magum hypocritam miserè  
perijsse, & sine dubio damnatum fuisse. Et illi quidè tes  
tificati sunt: quid effecerint Petrus & Ioannes in Sa  
maria, paululum attigit Lucas: nunc in genere quid po  
tissimum egerint, subiiciet. Quid ergo egerunt? Respon  
deo cum Luca. Testificati sunt & locuti uerbum domi  
ni. Petrus & Ioannes testificati sunt & locuti uer  
bum domini in Samaria: Ergo non otiosè in Samaria  
egerunt. Testificati & locuti uerbum domini: id est  
locutum signis & prodigijs simul confirmarunt. Testifi  
ficari enim uerbum, est locutum uerbum, signis ac mi  
raculis

raculis confirmare. In uocibus testificati & locuti  
alludit Lucas ad officia Apostolorum, quæ sunt de uerbo  
testificari & loqui.

In quem finem testificati & locuti sunt uerbum do-  
mini? Respondeo, ut Samaritas lucrarentur Euange-  
lio. Redibant Hierosolymam.

E qua missi erant, ut ferrent suppetias Philippo.

Et multis regionibus Samarita-  
norum euangelizabant.

Exponit Lucas clarius, quid Petrus & Ioanes testificati  
& locuti fuerint, & quale uerbum: nimirum uerbum Eu-  
uangelij. Ostendit ergo Lucas, Petrum & Ioannem, nõ  
legem, sed Euangelium prædicasse Samaritis.

Multis regionibus: cõmendatur studium in Apосто-  
lis unã cum diligentia.

Euangelizabant: consolabantur Euangelio consci-  
entias. Siquidem Euangelij fructus sunt, consolari con-  
scientias, tranquillare, & reddere pacificas.

Angelus autem domini locutus  
est ad Philippum.

Sequens euentus de uocatione Eunuchi, totus referen-  
dus est ad causas uocationis, ex quibus uocamur ad  
Euangelij cognitionem. Cause non sunt merita aut ope-  
ra nostra sed gratia & misericordia dei. Sic quod Eu-



*nuchus* hic uocatur ex mera gratia dei fit, qui disponit  
& ordinat omnia, quò uocetur Eunuchus.

Pertinent ad uocationis ad Euangelij cognitionem  
causas, & illæ occasionēs apud Euangelistas, ex quibus  
plerumq; omnes Apostolos uocatos esse cernimus. *Matthæi* 4. Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilee, uidi-  
dit duos fratres, Simonem, qui uocabatur Petrus, & An-  
dreadam fratrem eius iacentes rete in mare (nam erant  
piscatores) Et dicit illis: Sequamini me, &c. *Ibidē.* Et  
progressus illinc uidit alios duos fratres, Iacobum filium  
Zebedei & Ioannē fratrem eius in nauī, cum Zebedeo  
fratre suo sarcientes retia sua, & uocauit eos, &c.

Placet etiam scire ex hoc euentu cum Eunuchō, quid  
sit uocatio in genere omnium Christianorum. Scias igitur  
eam uocationem esse, qua ex gratia uocamur per uo-  
cale uerbum ad cognitionem Euangelij, eiusq; fructus,  
qui sunt, iusticia, & uita. Angelus autem domini: uti  
tur deus angelis in suo ministerio: quare rectē dicuntur  
ad Hebræos i. administratorij spiritus.

Domini angelus: à domino missus.

Locutus est: uocali uoce suscepta: alioqui angeli  
spiritus sunt, nec loquuntur.

Surge & uade.

Prædicatores ipsi non debent currere, nec seingere  
re

re ad ministerium uerbi, nisi prius uocentur. Propria ergo ingestio hic damnatur.

Surge & uade: commissio officij. Bona conscientia foeliciter praedicant, agunt etiam qui alijs praesunt officijs, qui sui officij certam habent commissionem. Mala praedicant conscientia & infeliciter agunt in suo officio, qui non habent sui officij iustas causas.

### Versus meridiem.

Locorum circumstantiae accedunt ne putes in uocatione Eunuchi quicquam temere contigisse, uerum omnia ex dispositione, ordinatione, & gratia dei.

### Et surgens abiit.

Exemplum obedientiae in Philippo, qui ad uerba angeli statim abiit. Surgere & abire in Philippo effectus sunt fidei, quae non diu deliberat ad uoluntatem dei, nec uincit rationem cum carne & sanguine, sed committit se uocanti deo, ad quod est de natura fidei propria.

Simile per omnia fere exemplum obedientiae habes in Abrahamo Gene. 12. qui uocatus ut abiret ex Mesopotamia in terram Chanaan, statim uocanti deo acquieuit.

Cernis hic de fidei natura esse, non perpendere aut diffiditatem uiae, aut locum desertum ad quem abire debet Philippus. Enthymema. Philippus surrexit & abiit: Ergo Philippus obediuit uocanti deo. Et ecce.

Ecce attentionis particula, qua significat Lucas se de egregio euentu dicturum, qualis & reuera est euentus cum Eunuchō. Vir æthiops eunuchus.

Descriptio personæ pertinens ad genus demonstratiuum, cuius hic usus est, ut in commendatione personæ simul commendetur & uerbi potentia, quod potuit tantam personam conuertere. Enthymemata. Verbum uirum æthiopem conuertit: Ergo uerbi magna est potentia. Item. Verbum uirum eunuchum conuertit.

Ergo uerbi magna est potentia. Item.

Verbum eum conuertit, qui fuit super omnes gazas reginæ Aethiopum: Ergo uerbi magna est potentia.

Item. Verbum præfectum Candaces reginæ Aethiopum conuertit: Ergo uerbi magna est potentia.

Tota itaq; hæc descriptio & ea quidem exaggeratoria referenda est ad commendationem potentie uerbi.

Porro quia potentia uerbi requiritur ad conuersionem eunuchorum & præfectuum: ergo pauci ex eunuchis & præfectibus: id est, ex aulicis conuertuntur: ergo aulici difficulter conuertuntur: & id propterea quia multa habent impedimenta, quæ eos à suscipiendo uerbo auocant. Descriptio est à natione, conditione uitæ, officio, diuitijs seu potentia, & à pietate. Vir æthiops commendatio à natione, qua indicare uult Lu-

eius hominem gentilem, ad significandum & gentes ad Euangelij gratiam pertinere. Hic uir aethiops omnibus gentibus proponitur in solatium & confirmationē ne dubitent de sua uocatione ad gratiam. Prodest uerò huiusmodi exempla in promptu habere, quando à Satana exagitantur propter iudeorum prerogatiuam & quando nititur nostram ad Euangelium uocationē incertam reddere. Tunc nos gentes sic contra arguentari possumus: Vir Aethiops ad Euangelij gratiā uenit

Ergo & nos reliqui ex gentibus ad Euangelij gratiam peruenire possumus. Eunuchus: satraphas, aulicus &c. Et quanquā difficile sit aulicos conuerti posse sicut docent etiam hodierna nostra tempora, tamen non est impossibile, exemplo huius eunuchi, quod nostris aulicis diligenter inculcandum est ut & ipsi se dent uerbo In uoce eunuchi commendatur aethiops à uitæ conditione. **Præfectus Candaces reginæ Aethiopum.**

Descriptio personæ ab officio, qua commendatur aethiops. He uoces aethiops, eunuchus, præfectus, & qui erat super gazas reginæ. Singule magnam habent emphasin, quam paulo ante enthymematibus expressi. Præfectus: *Αυασις*, magistratus, præses, præfectus Candaces reginæ Aethiopum: de qua Plinius lib. 6. cap.



29. &amp; Volaterranus lib. 12. Geograph.

Qui erat super omnes gazas  
eius.

Descriptio persone à potentia & diuitijs, qua com-  
mendatur aethiops. Qui erat super omnes gazas eius  
id est, quæstor & ararius regine potentis & diuitis,  
& ipse potens ac diues, sicut plerumq; sunt magnorum  
regum quæstores. Vera fiunt circa hunc aethiopæ. Diffi-  
cile est diuitem ingredi in regnum coelorum item Apud  
Deum omnia sunt possibilis: ergo non est impossibile,  
diuitem conuerti posse. Potest exemplum huius aethio-  
pis, & diuitibus in consolationem proponi, ne desper-  
rent de salute, modo exemplo huius aethiopsis agant.

Enthymema. Aethiops erat super omnes gazas  
regine: Ergo & ipse erat potens ac diues.

Venerat adorare in Hierusalem.

Ex rumore & fama templi motus, sicut et alie gen-  
tes sepe ad proficiscendum Hierosolymam commote  
fuerunt: item, ex amore legum et ceremoniarum apud  
Iudeos, quarum multas mutuatae sunt gentes à Iudeis.

Enthymema. Aethiops uenit adorare Hierosolymam  
Ergo aethiops uir pius fuit.

Commendatur aethiops à pietatis studio & cura,  
quæ aperta est ex tam longinqua, & difficili & ardua  
peregrinatione

peregrinatione, quam subiit æthiops, quia uenit æthiops Hierusalem ut adoraret, quare in loci sanctitate hæsit. Et reuertebatur sedens supra currum suum.

Nihil minus cogitant, quàm sui conuersionem ad Euangelium. Commendatur gratia excluditur meritum circa uocationem æthiopsis.

Legensq; Esaiam prophetam.

Et his exprimitur pietatis studium in æthiope. Notare hic debent reges, principes, & aulici, ut sint pietatis studiosi, quod studium si adest etiam non presente uera pietate, tamen occasio est ad pietatem ueram.

Nostri reges, principes, & aulici in poculis legunt tantum, quare non mirum est, etsi raro ad ueram pietatem pertingant.

Imò ridentur hodie & reges, & principes, & aulici, qui aut sacris aut prophanis literis dant operam.

Verum sit circa æthiopem, amantem pietatem etiam in inscitia sequi pietatem ueram.

Dixit autem spiritus Philippo.

Id est, Philippus per spiritum sanctum intus motus est, ut accederet & adiungeret se ad currum.

Tunc feliciter procedit ministerium uerbi, quando spiritus sanctus iubet uerbi ministros ad ministerium uerbi accedere

*Accedere*: quando uocantur ad ministerium uerbi ministri uerbi. *Dixit*: interne mouit.

**Accede & adiunge te ad cur  
rum istum.**

*Periphrasis legitime uocationis, que ex mandato fit & ex commissis. Vocatio hæc per spiritum sanctum interna, non impedit uocationem ecclesie nec tollit, qua ecclesia foris uocat ministros uerbi.*

**Adcurrens autem Philippus.**

*Exemplum obedientie in Philippo, qui uocanti spiritu sancto obedit. Adcurrere hoc effectus fidei est, que ad uocationem non diu deliberat, nec inuit consilium cum carne & sanguine, sed statim obtemperat uocanti. Docemur ne legitime uocationi, temere repugnemus.*

**Audiuit eum legentem Esaiam  
prophetam.**

*Occasio est hæc lectio allocutionis Philippi ad ethiopem*

*Enthymema. Philippus ethiopem audiuit legentem Esaiam prophetam: Ergo Philippus ethiopem allocutus est. Intelligis ne quæ legis?*

*Questio de intellectu scripture, quem non habent omnes: & quia omnes non habent, igitur sequitur intellectum scripture non esse ex nobis per se, sed aliunde contingere, idque ex dono spiritus sancti, quod dat per studia*

tanquam per certa media. Et quemadmodum fides donum spiritus sancti est, nec datur ab illo, pro communi more loquendo, sine auditu, ad Rom. 10. Fides ex auditu est auditus uero per uerbum dei: ita intellectus scripturae donum spiritus sancti est, quem tamen non dat spiritus sanctus sine studijs. Interim non negatur, spiritum sanctum etiam sine auditu posse dare fidem, et intellectum scripturae sine studijs, id quod praestitit in Apostolis idiotis.

**Quomodo possum si non aliquis ostenderit mihi?**

Testatur aethiops suo responso, intellectum uerbi institutione et sic studijs contingere, tanquam per certa media, quibus utitur spiritus sanctus in reuelando scripturae intellectu. Enthymema. Aethiops negauit se posse intelligere scripturam, nisi aliquis ostendat ei: Ergo intellectus scripturae non contingit sine institutione. Confirmantur et commendantur praesenti loco studia contra Anabaptistas. Quomodo possum: pro communi more loquendo, ex quo paratur intellectus scripturae: alias potens est spiritus sanctus sine institutione etiam scripturae intellectum reuelare. Si non aliquis ostenderit mihi et me instituerit de scripturae intellectu?

**Rogauitque Philippum ut ascenderet secum.**

Nota



Notatur his studium & seruator Philippi, pro intelligenda scriptura. Studium illud & hic seruator, non contemnendæ occasiones sunt ad intelligendū uerbum. Nolentes enim & pigros non sequitur intellectus uerbi.

Stabilitur hic quoq; externum uerbi ministerium, quod in Philippo non negligit Aethiops. Siquidem sub ea spe rogauit Philippum, ut secum ascenderet, quò per institutionem Philippi ad intellectum scripturæ perueniret. Rogauit: ecce philanthropiam in aethiops, quæ humilitationis signum est, qua cognoscit aethiops se instituti one opus habere. Ascenderet secum: ut per Philippum & eius institutionem scripturæ intellectum perciperet.

Enthymema. Aethiops rogauit Philippum, ut secum ascenderet propter institutionem in scriptura.

Ergo seruare debemus & nihil non subire, ut instituantur per uerbum.

Locus autem scripturæ quem legebat, erat hic.

Adiicit hæc Lucas propter historię certitudinem. Summa est capitis 33. è quo transcriptus est hic locus Christum passurum, & rursus glorificatum iri. Presens locus ex Esaia citatus, agit partim de patientia Christi in passione, partim de ipsa passione seu humilitatione eius, partim de eius glorificatione. Locus Petri 1. epistolæ

epistola capite 2. explicatorius est lo. i apud propheta  
tam de patientia Christi. Qui cum maledictis incessere  
tur non regeffit maledicta, c. m. malis adficeretur non  
minabatur, sed tradidit uindictam, & qui iudicat iuste.  
Ex loco E. aia de patientia Christi, petenda nobis certa  
forma est ferendi crucem. Faciunt huc scripturae loci,  
qui de uera forma ferendi crucem agunt. Ad Col. 1.  
Ad omnem tollerantiam ac patientiam cum gaudio, hoc  
est, ne cor irascatur Deo in cruce. Ad Philipp. 2. Om-  
nia facite sine murmuratione. Iacob i. 1. Pro summo gau-  
dio ducite fratres mei, quoties in tentationes incidertis  
uarias: illud scientes quod exploratio fidei uestrae parit  
patientiam. Ad Rom. 5. Nec id solum, uerum etiam glo-  
riamur super adflictionibus, &c.

Porro haec patientia in cruce, de qua hic loquimur,  
donum spiritus sancti est, ad Gal. 5. Fructus spiritus sunt:  
pax, patientia, &c. Psalmo 61. Deo subiecta erunt om-  
nia mea, quoniam ab ipso patientia mea est.

Tanquam ouis ad occisionem  
ductus est.

Insignis locus de patientia Christi in cruce.

Circumstantiae quae incidunt in ouem, & res, quae sunt  
oui propriae, diligenter ueniunt hic expendenda.

Vt enim ouis omnium animalium stultissimum & pati-  
entissimum

tientissimum est: ita Christus abiectissimus & nouissimus uirorum factus est, simulq; patientissimus fuit. Dilatus est: Christus ipse non temere iniecit se in crucem. Et sicut agnus coram torquente mutus non aperuit os suum.

Exaggeratio patientiæ Christi in cruce.

Totus locus de patientia Christi periphrastringens exprimit & circumloquitur omnium maximam patientiã Christi in cruce. Facit ad intellectum patientiæ Christi, in promptu habere notitiã naturæ agni.

Non aperuit os suum: id quod Petrus his uerbis dixit: Maledictis adfectus, non regesit maledicta.

Per humilitatem eius, iudicium eius exaltatum est.

Pertinent hæc prophætæ uerba ad glorificationem Christi, & gloriosam eius uictoriam è cruce, de qua uide Psal. 8. Horrore et tristitia plenum fuit, quod promisit, propheta de passione & morte Christi: at consolatione plena sunt, quæ nunc sequuntur de glorificatione, exaltatione, & uictoria Christi.

Summus huius loci intellectus est crucem sequi gloriam, & per crucem patere ad gloriam, uia per humiliationem eius iudicium eius exaltatum est: id est, per crucem accessit Christus ad gloriam. Sed crucem esse ad gloriam

ad gloriam uiam, non approbat ratio, quæ statuit, gloria ad gloriam, potentia ad potentiam, dignitate ad dignitatem, eundem esse. De cruce ut uia ad gloriam, contra iudicium rationis, multi similes extant scripturæ loci Psalmo. 8. Qui est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam uisitas eum. Minuisti eum paulo minus ab angelis: gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiiecisti sub pedibus eius &c. In Actis extat locus. Per multas tribulationes, oportet nos ingredi in regnum Dei. Matthæi. 16. Qui uoluerit animam suam seruire, perdet eam: rursus qui perdidit animam suam mea causa, inueniet eam.

## Enthymema.

Per humilitatem Christi, iudicium eius exaltatum est: Ergo humilitas seu crux, ad gloriam uia est.

Per humilitatē: de qua sic scribit Apostolus, ad Philip. 2. Is enim adfectus sit in uobis, qui fuit in Christo Iesu, qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo, sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta &c. Ad humilitatem & iudicium spectat natiuitas Christi & quicquid per totam uitam passus est. In summa humilitatis & iudicij nomine circumloquitur Lucas crucem Christi uniuersam, & sic totam passionem. Exaltatum est: periphrasis exaltatio



450 ERASMI SARCERII SCHOL  
nis & glorificationis Christi, de qua uide Psalmum 8.  
& 1. caput ad Ephesios, & 1. ad Coll.

Generationem eius quis  
enarrabit?

Amplificatio seu exaggeratio glorificationis Christi, cuius non erit finis. Et ut nunc glorificatio Christi eterna est: ita & illi aeterni sunt, qui per fidem fiunt glorificationis Christi participes. Recte monet D. Martinus super hunc locum Esaiæ, generationem hic significare aetatem seu durationem Christi, de qua etiam sic meminit Dauid, Psalmo. 109. Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

Potest & per generationem intelligi tota hereditas ac posteritas Christi, quæ est credentium in eum. De qua sic canit Psaltes, Psalmo. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra.

Quoniam auferitur de terra uita eius.

Aethiologia, cur quis non poterit enarrare generationem Christi, cur Christus in aeternum durabit, et cur hereditas Christi erit inenarrabilis: sumpta à sublatione Christi de terra, seu à morte Christi in hac terra, quæ erit occasio, quod generationem Christi nemo poterit enarrare.

Item

Idem sibi uult hæc ætiologia, quod præcedentia uerba ( per humilitatem eius, iudicium eius exaltatum est) nimirum mortem Christi esse occasionem uitæ & gloriæ: item, quod nemo poterit generationem Christi enarrare. Enthymemata. Christus auferetur de terra: Ergo Christi generatio erit inenarrabilis. Item.

Christus auferetur de terra: Ergo Christi gloria & uita augebuntur. Valet & hic locus contra iudeos, frustra expectantes Messiam carnalem regem.

Enthymemata. Christi uita auferetur de terra:

Ergo Christus uiuens in hac terra non regnabit carnaliter. Item. Christi uita auferetur de hac terra

Ergo Christum in hac terra regnaturum ciuilitér, mendacium est.

Respondens autem eunuchus.

Respondere pro dicere hebraismum sapit.

Obsecro te.

Notatur feruor ac studium pro intelligenda scriptura in eunuchis, qui non leuiter rem agit, sed obsecrat.

De quo propheta dicit hoc?

Questio de intellectu prophetiæ.

De se, an de alio aliquo.

Distributiuncula.

Aperiens autem Philippus os suum.

Audiuimus huc usq; de seruore & studio eunuchi pro intelligenda scriptura, & pro institutione de scriptura intellectu: sequitur nunc quomodo Philippus reuelarit scripturae intellectum eunucho, & quomodo cum de uero scripturae intellectu instituerit.

Prodest hic multis disputare de communi uocatione qua ad Euangelij cognitionem uocamur. Eunuchus in curru uehens uocatur: ergo in alia atq; alia uita conditione uocamur. Eunuchus uocatur: ergo sine circumstantijs personarum uocamur, quicumq; uocamur. Vehens in curru uocatur Eunuchus: ergo in nullo certo loco fit uocatio, nec alicui certo loco est alligata. Eunuchus occasio quaedam est suae uocationis, lectio sacrae scripturae: ergo id quod in nobis est, facere debemus, & postea uocantem ex gratia dominum expectare, simulq; eos obsecrare, qui nos uocare possunt, & de Euangelio recte instituere. Eunuchus uocati & audibili praedicatione uocatur. Ad Euangelium uocatur eunuchus: ergo & nos, Euangelio res cognata est uita aeterna, ad quam uocatur eunuchus, quia ad Euangelium uocatur: ergo & nos ad uitam aeternam uocamur, qui ad Euangelium uocamur. Exemplum philanthropiae in Philippo: item exemplum charitatis ex qua laborat eunuchus

in lucrari Christo. Apertens autem Philippus os suum,  
ecce uocale & audibile uerbum à quo commendatur  
contra Anabaptistas externum ministerium uerbi.

Os suum: signanter hæc dicit Lucas.

Et incipiens à scriptura ista.

Scilicet prophetica. Philippus à scriptura incipit.

Ergo à nugis & nostris traditionibus non est incipiendum, quando uolumus conuertere homines. Ista: emphaticos, ut insinuet Lucas, eam esse ueram rationem conuertendi homines ad Euangelium, loqui de humilitate Christi, eius patientia, et glorificatione. Credere enim Christum humilitatum esse patienter, & postea glorificatum esse, est uerè conuerti ad Euangelium.

Duo itaq; scitu necessaria proponit Philippus eunuchus. Alterum ut sciat eunuchus, Christum passum esse & postea rursus glorificatum, non tantum pro se, sed etiam pro nobis. Que duo cuiq; Christiano simul scitu necessaria sunt. Passus autem est Christus propter peccata nostra, & excitatus propter iustificationem nostram.

Euangelizauit illi Iesum.

Id est, docuit illum, quomodo Iesus passus esset & glorificatus nostra causa. Siquidem hæc duo docere, est Euangelizare Iesum. Et reuera in his duobus consistit, quicquid de Christo dici ad nostram salutem potest



Euangelizauit : discernit inter Euangelium & legem, & monet Lucas, Philippum ministrum Euangelij esse, non legis. Euangelizare Iesum, est Iesu uerbis ac factis solari conscientias. Iesum : doctrinam de Iesu, non de lege. Sub euangelizatione Iesu, complectitur Lucas primum passionem & glorificationem Christi : postea in genere omnia Iesu.

Et dum irent per uiam, uenerunt ad quandam aquam.

Spectant hæc ad confirmationem historie, & sunt tanquam preparatoria ad sequentia.

Venerunt ad quandam aquam : aqua de materia est baptismi, & necessaria eius causa, quæ præsens unâ cū reliquis necessarijs causis, integrum efficit baptismum.

Et ait eunuchus.

Vnde hæc cognitio baptismi eunuchus ? Respondeo. Philippus euangelizauit illi Iesum : ergo & signum baptismi, quod Iesus instituit. Quæ nunc sequuntur de petitione eunuchi pro baptismo, effectus sunt, testantes de potentia atq; efficacia prædicationis Philippi, quæ non fuit uacua apud eunuchum Enthymemata.

Eunuchus petit baptizari ad prædicationem Philippi : Ergo eunuchus prædicatione Philippi cōmōtus fuit. Aliud. Prædicatio Philippi effecit apud eunuchum ut peteret pro baptismo :

Ergo prædicatio Philippi potens ac efficax fuit.

Item. Prædicatio Philippi fecit eunuchum petere pro baptismo: Ergo prædicatio uerbi non est inutilis nec redit uacua. Testatur quoq; petitio eunuchi pro baptismo, de fide eius, qui quia credidit, ergo baptizari uoluit. Exemplum eunuchi nihil probat contra infantes. Siquidem etiam num hodie adultorum est petere pro baptismo: & conuenit eos de fide interrogare. Alia ratio est cū infantibus, in quibus fides esse potest et si de illa non interrogentur, neq; eam cōfiteri ualeant. Vide propositiones in nostro Catechismo.

Questio hic tractari debet. An fides requiratur ad integritatem baptisimi? Respondet Augustinus lib. de unico baptismo contra Petilianum cap. 11. Quid est ergo quod dicit: illic esse uerum baptisma, ubi est uera fides. Profsus fieri potest, ut aliqui uerum habeant baptisma, & non habeant ueram fidem. Sicut fieri potest, ut habeant uerum Euangelium, quod recte intelligendo, falsi aliquid credant de deo. Item, lib. 3 contra Donatist. cap. 14. Nō interest cum de sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus sit ille, qui accipit sacramentū: interest quidē plurimū ad salutis uiam, sed ad sacramenti questionē nihil interest: fieri enim potest, ut homo integrū habeat sacramentū, & peruersam fidē, &c.

Hæc ex Augustino ideò producere uolui, pro solutione huius questionis: an fides requiratur ad integritatem baptismi, contra Anabaptistas, qui è exemplo eunuchi probare moluntur, fidem esse de integritate baptismi, quam quia ex auditu uerbi nos non habuimus, quando fuimus baptizati: ergo oportere nos denuo baptizari. Vnde etiam apertū est infantes quidem etsi non habeant fidem, tamen baptizari debere, quia fides non est de substantia baptismi: nec impedit fidei absentia baptismi integritatem, quare infantes ad baptismum apti sunt, nec debent rursum baptizari, ul i adoleuerint

Eoce particula attentionis, q. dicitur eunuchus de re utili & necessaria. Ent hymena.

Eunuchus magni fecit baptismum: Ergo nos nõ debemus parui facere. Aqua: eunuchus non uult spiritaliter baptizari sine aqua: sicut quidam hodie de spiritali baptismo sine aqua nugantur.

**Quis prohibet me baptizari?**

Id est, quid impedit, quò minus baptizer? Baptismum requirit eunuchus: Ergo baptismus non est superuacaneum signum: imò ad salutem necessarium, ubi illius compos fieri quis potest: iuxta illud. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Auditus uerbi confessio, fides & similia in adultis præcedere debent ideò

et Christus Matth. xi. 28. respiciens potius ad adultos, dicit. Docete omnes gentes &c. Docere iussit ad docendum aptos: interim infantibus non negavit baptismū.

### Dicit autem Philippus.

Adultū rectē interrogat Philippus de fidei confessione. Philippus non hoc sibi uult sua interrogatione, ut statuatur confessionem fidei esse necessariam causam ad baptismū: potest enim confessio fallere sicut & sefellit in Simone: sed interrogat eunuchum de fidei confessione, ut si sefellit, habeat, quō eum propria confessione redarguat: item, ut eunuchum de periculo hypocrisis admonet, & propter alias huiusmodi causas.

### Si credis ex toto corde licet.

Si non agis hypocritam, sed credis ex toto corde, te hoc signo ad salutem opus habere: item, si credis hoc signum ad remissionem peccatorum, propter additam promissionem conducere &c. Fides hinc describi potest, quod sit ex toto corde fiducia. Non ergo est opinio, quae potest cum dubitatione subsistere. Cor fidei subiectum est. Licet: ergo sine fide non licet baptizare? Respondeo. Non licet ad salutis uiam sicut supra ex Augustino ostendi, nec ad remissionem peccatorum, sed ad baptismi integritatem, qui est integer, siue credat baptizandus, siue non credat. Sic baptismus si-



monis integer fuit, et si non credidit, nec adsecutus est salutem uel remissionem peccatorum.

Et respondens ait. Confessio fidei in adultis necessaria, quæ quia fallere potest: igitur non est de substantia baptismi, qui si esset fundatus super rem fallacem, male fundatus esset.

### Credo filium dei esse Iesum Christum.

Vera hæc fides est, quæ in adultis efficit, ut qui baptizentur, per eam accipiunt remissionem peccatorum, id quod Augustinus uocat, ad uiam salutis conducere. In infantibus etsi non est fides ex auditu uerbi, tamen infusa in illis fides esse potest, quam æque facilliter infundere infantibus potest Spiritus sanctus, atque adultis, per quos & possunt remissionem peccatorum impetrare.

Credere filium Dei esse Iesum Christum, est credere filium Dei esse saluatorem & protectorem simul: alterum notatur in uoce Iesu: alterum in uoce Christi. Iesus enim saluatorem sonat. Christus regem cuius est protegere, tuere, & defendere. Credo: certa fiducia statuo. Filium Dei: discernit Christum à puro homine. Siquidem intelligit per filium Dei filium dei naturalem. Iesus & Christus, & nature, & officij sunt appellationes in eo. Discis hic quæ uera fides sit: nimirum illa, quæ credit

credit filium Dei esse Iesum Christum, hoc est, quæ credit filium Dei esse saluatorem & protectorem.

Similis propemodum est fidei confessio in Petro, Matthæi. 16. Tu es Christus ille filius Dei uiuentis.

Correspondet eunuchi & Petri fides per omnia, & quia fidem Petri approbat Christus: ergo et fidem eunuchi. Hæc autem fides, quam ibi confitetur Petrus, & quam hic eunuchus uoce effert, est uera illa fides, super quam Christus non dubitauit suam ecclesiam edificare, & hanc qui habet, uerum est ecclesiæ membrum.

Et iussit sisti currum.

Nota studium eunuchi pro baptismo, qui necessitatem baptismi nobis commendat, ne putemus signum hoc à Christo superuacaneum institutum esse.

Et descenderunt uterque in aquam.

De recta materia baptismi est baptizari aqua. De forma est, baptizare in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Philippus simul descendit, ne somniet aliquem seipsum baptizare posse. Nam & minister uerbi una quedam efficiens baptismi causa est.

Et baptizauit eum.

In nomine patris, & filij, & spiritus. Vel in solius Christi nomine sub quo tamen tota trinitas intelligenda uenit. Vbi enim Christi fit mentio, ibi & patris

Patris & spiritus sancti. Christus namq; unctus est, pater ungens, spiritus sanctus ipsa unctio. Hæc Ambrosius pro reconciliatione formarum baptismi.

Baptizauit : in remissionem peccatorum, quæ est baptismi finis. Actorum 2. Baptizetur unusq; in remissionem peccatorum.

Cum autem ascendisset  
de aqua.

Descendere & ascendere baptismi partes sunt, per allegoriã significantes mortificationẽ & uiuificationẽ.

Spiritus domini rapuit Phi-  
lippum.

Id est, mouente, instigante, & consulente spiritus sancto, abiit atq; discessit Philippus. Aufertur Philippus, ne in eius persona hereat eunuchus.

Ibat enim per uiam gaudens.

Ætiologia, quod eunuchus amplius non uiderit Philippum, sumpta à festinatione iuineris, quod festinabat eunuchus. Enthymema. Eunuchus iuit per uiam suam, ac festinauit iter. Igitur non uidit amplius Philippum. Gaudens : eunuchus credidit & baptizatus est in remissionem peccatorum, seu ad iusticiam : huius res cognata est gaudium conscientie. Ad Rom. 5. Iustificati igitur fide, pacem habemus per dominum nostrum Iesum Christum.

Philip

Philippus autem inuentus est  
Azoti.

Hæc propter historię certitudinem adiicit Lucas:  
deinde propter coherentiam.

Et peragrans. Notatur diligentia Philip-  
pi in suo officio. Euangelizabat.

Predicabat Euangelium. In uerbo euangeliza-  
bat indicatur qualitas doctrine, ministerij & personæ.  
Doctrina fuit Euangelium non lex. Ministerium Euan-  
gelij fuit, non legis. Et Philippus fuit Euangelij, non le-  
gis minister. Exprimit & uerbum euangelizabat  
effectum Euangelij, qui est lætas facere conscientias.

Ciuitatibus omnibus.

Sine illarum respectu. Et benè quidem. Est enim E-  
uangelium uniuersalis pro omnibus, & regionibus, &  
ciuitatibus, & hominibus, doctrina.

Donec ueniret Cæsaream.

Inclusiue, q. d. Lucas, etiam Cæsareæ euangelizabat  
Philippus. Cæsarea maritima urbs Palestine in litto-  
re magni maris sita, quam Herodes Ascalonita pater  
Herodis Tetrarchæ Traconitidis instaurauit in honore  
Augusti Cæsaris.

CAPVT IX.

**L**ucas in fine septimi capituli: item, in initio octa-  
ui, præmisit  $\pi\alpha\rho\rho\rho\upsilon\upsilon\upsilon$  ad euentum subijcien-  
dum



dum de Saulo, illi nunc satisfacit in hoc capite.

*παρὰ κενὴν* exaggeratoria fuit, quæ exaggerauit in Saulo studium & amorem persequendi Euangelium & eius professores. Cuius exaggerationis hic fuit usus, ut exaggerato studio ac amore in Saulo persequendi Euangelium & ecclesiam, circa conuersionem Sauli potentia uerbi magis inclarescat, quod tantum persecutorem conuertere potuit. Et in hunc usum in initio huius capituli exaggeratur studium persequendi ecclesiam unam cum ueritate in Saulo. Ceterum totum fere hoc caput, perpetua quedam conuersionis Sauli narratio est, in qua exactissima quedam forma nobis proponitur, quomodo impij conuertantur: item præscribitur in illa narratione, certa methodus uocationis, qua homines ad Euangelij cognitionem & animarum salutem, uocantur.

Saulus autem adhuc spirans minas & cædem.

Autem connectendi particula est, quæ euentum nouum præcedentibus annectit. Saulus autem adhuc spirans minas & cædem: exaggeratur in Saulo studium persequendi ueritatem & eius professores, idque in hoc, ut commendetur potentia uerbi, quod potuit ita magnam persecutorem conuertere. Singule uoces exaggeratorie sunt: spirare enim minas & cædem, non est leniter minari aut

ri aut cædis studiosum esse. Discis hic quid simus omnes ante conuersionem ad Euangelium: nimirum inimici ueritatis & professorum eius, idq; exemplo Sauli.

Spirandi uoce exprimitur singulare studium Sauli in persequenda ueritate & ecclesia. De quo suo studio ipse testatur, ad Gal. 1. & 1. ad Cor. 15. Minus & cædē uarias & horribiles persecutiones.

In discipulos domini.

Professores doctrine & persone Christi. Discipulos domini uocat omnes professores domini et doctrine eius. In discipulos domini: periphrasis ecclesiæ.

Vides hic qui sint subiecti persecutionibus, non discipuli mundi, sed discipuli domini. Ioannes . 15. Si de mundo essetis, mundus quod suum esset, diligeret & c.

Circumstantiæ discipuli diligenter hic expendendæ ueniunt. Habet enim se cum ecclesiæ membro, non aliter atq; cum discipulo, qui in præceptoris alicuius uerba iuratus est. In uoce domini conspulta iacet materialis persecutionis causa, quæ dominus esse debet, nomen, & uerbum domini. Accessit ad principē sacerdotum. Hic accessus effectus est spirationis minarū & cædis in Saulo aduersus discipulos domini.

Enthymema Saulus spirauit minas & cædem in discipulos domini; Ergo Saulus accessit ad principē & c.

Ad principem sacerdotum: præcipui Christi & gratiæ iusticie inimici sunt, qui sic atque religionis sunt Antisti es. Et petijt ab eo epistolas.

Et hoc petere spirationis in Saulo effectus est. Petijt ex zelo quem habuit contra Euangelium & eius professores: deinde quia statuit persequendo, se culti præstare Deo. Epistolas: commissorias aut delegatorias.

Damascum uersus ad synagogas.

Damascus urbs Phœnicie.

Ut si quos inuenisset huius uisæ uiros  
ac mulieres

Finalis causa petitionis epistolarum quas Saulus petijt à principe sacerdotum.

Persecutio Sauli proximè accessit ad tyrannidem, que quia in Saulo magna fuit, quare sequitur gratuita iusticie doctrinam, acerbissimos & crudelissimos adfectus in hominibus ciere.

Si quos: sine respectu personarum.

Huius uisæ uiros ac mulieres: per contemptum hæc effert, ex quo non dignatur ueritatem sua appellatione

Enthymema. Saulus non dignatur ueritatem sua appellatione: Ergo inimicorum ueritatis maximum est contra ueritatem odium. Huius uisæ: huius doctrine, quam uocant Euangelium de gratuita iusticia.

Viros

Viros ac mulieres: inimici ueritatis non habent personarum respectum, nec ullam sexus rationem, quæ tamen in ciuilibus causis non negligitur. Omnia ergo exaggerant tyrannidem persecutionis in Saulo.

Vinctos perduceret in Hierusalem.

Finalem causam cernis, ob quam petijt Saulus epistolas à principe sacerdotum. Vinctos perduceret: et hæc uoces mirificè exaggerant tyrannidem in Saulo.

In Hierusalem: & loci circumstantia exaggerat tyrannidem in Saulo. In Hierusalem. q. d. ubi pro dignitate possunt tractari discipuli Christi.

Et cum iter faceret.

Hæc monent Saulum non suis meritis, sed occasione & ex gratia tantum uocatum atq; conuersum esse.

Vocatus enim est Saulus, cum iter faceret, in hoc, ut persequeretur ecclesiã, & nihil minus cogitaret, quam se uocatum iri. Docemur itaq; in exemplo Sauli, nos ex occasione & gratia tantum, non nostris meritis uocari. Iter faceret: occasio notatur, & excluditur meritum. Similes extant occasiones uocationis, Matthæi 4.

Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, uidit duos fratres, &c. Ibidem. Et progressus illinc, uidit alios duos fratres.

Contigit.

H Et hoc



Et hoc uerbum notat occasionem, & excludit meritum. Ut appropinquaret Damasco.

In hoc, ut persequeretur ecclesiam. Ut appropinquaret Damasco: & hæc notant occasionem, & excludunt gratiam.

Et subito.

Et hæc uox comendat occasionem cum gratia, et negligit merita.

Circumfulsit eum lux de cælo.

Alia atq; alia ratione, alijs atq; alijs medijs, alio atq; alio tempore, in alia atq; alia uite conditione, in alia atq; alio officio, ab alijs atq; alijs personis, alij atq; alij uocantur ad Euangelij cognitionem. Prædicta hæc omnia agunt de materialibus, efficientibus & formalibus uocationis ad Euangelij cognitionem & causis.

Circumfulsit: notat & hoc uerbum gratiam, circa uocationem Sauli, & excludit meritum.

Lux de cælo: hæc forma uocationis Sauli specialis est, & ut ita loquar miraculosa.

Communis & generalis forma uocationis est, quæ fit per uocale & audibile uerbum, seu per uerbi ministerium, de qua communi & generali forma uocationis, consule in primis Apostolum, ad Rom. 10. cuius cæpitus ferè summa propositio est, nos per ministeriū uerbi uocari & ad salutem contingere. Vbi & inter cæteras

ra sic ait. Fides ex auditu est auditus uerò per uerbũ dei

Totus præsens locus est hypotyposus uocationis Sauli ad cognitionem Euangelij.

Porrò licet uocatio Sauli sit specialis tamen per uocale & audibile uerbum penè perficitur, ut scias eam esse rectam formam uocationis, uocari per ministerium uerbi.

Item etiam si quis neget uocationẽ Sauli per uerbũ audibile & uocale contigisse: tamen speciali hac uocatione sic uocatus fuit Saulus, quod postea ad Ananiam ire iussus fuerit, ad audiendum ex illo uocale & audibile uerbum. Sed audi Augustinum in prologum librorum de doctrina Christiana sic scribentem. Neq; tentemus cui credimus, ne talibus inimici uersutijs & peruersitate decepti ad ipsum quoq; Euangelium audiendũ atq; discendũ nolimus ire in ecclesias, aut codicẽ legere aut legentem prædicantemq; hominem audire, & expectemus rapi usq; in tertium cœlum, siue in corpore, siue extra corpus, sicut dixit Apostolus: & ibi audire ineffabilia uerba, quæ non licet homini loqui: aut ibi uidere dominum Iesum Christum, & ab illo potius, quàm ab hominibus audire Euangelium. Caueamus tales tentatiões superbißimas et periculoßimas, magisq;

468 ERASMI SARCERII SCHOL.  
cogitemus & ipsum apostolum Paulum, licet diuina &  
cœlesti uoce prostratum & instructum, ad hominem ta-  
men missum esse, ut sacramenta perciperet & copulareretur  
ecclesiæ, &c. Vide ibi plura.

Et cadens in terram.

Vt sciret quàm potenti domino hætenus aduersarius  
esset, &c. Hoc in terram casu, ostendit Saulus, quàm  
nihil sunt aduersarij ueritatis respectu huius. Idem ostendit  
& prosternatio illa hostium Christi in horto.

Audiuit uocem dicentem sibi.

Vocali uerbo uocatur Saulus quanquàm cœlesti uo-  
ce. Misericordiæ diuinæ opus est, Saulum audire uo-  
cem tantum, non adfici digna pœna propter suam tyranni-  
nidem. Conuersio seu uocatio Sauli consolationi est  
omnibus etiam extremis inimicis ueritatis, qui exemplo  
Sauli se possunt solari, quod tamen gratiæ participes fieri  
queant, modo uocanti deo non reluctentur.

Euentus conuersionis in genere docet, etiam tyrannos  
contra ueritatem, saluos fieri posse.

Saule, Saule, quid me perse-  
queris?

Exemplum philanthropiæ in Christo, qui Saulum acer-  
rimum suum hostem, non hostiliter alloquitur.

Monemus

Monemur ut nostros inimicos modestè tractemus, et nostra philanthropia lucremur eos deo patri.

Est etiam de forma ueræ ac Christianæ charitatis, non tantum amicos, sed & inimicos diligere.

Saule, Saule : ingeminatio nominis exaggerat charitatem in Christo erga Saulum : inimicum suum.

Quid me persequeris : sic diligendi sunt inimici ueritatis, ne tamen celemus eos sua peccata.

Me emphasis, q. d. Iesus, qui nihil talium de te meritus sum. Persecutionem pati, nihil magni est : at res magna est, posse suæ innocentie iustas causas allegare.

Qui dixit : quis es domine ?

Effectus correctionis à Iesu factæ, dicere : Quis es domine ? Cõmendatur hoc effectu potentia uerbi Christi, qui tantum persecutorem, ita facile cõmouet.

Dicere, quis es domine, alicuius fidei uerba sunt, quæ nõ diu ad correctionem domini deliberat, sed statim a quo modo adsentitur corrigenti. Rectissimè utitur uoce domini Saulus erga potentem correctorem. Siquidem domini uocabulum, est potentie uocabulum.

Quod Saulus clamat Domine, id ex singulari dei reuelatione habet, ex qua cognoscit potentiam dei.

Adumbrata est nobis hic forma quædam, ex qua certere licet, quomodo nos gerere solemus, & quomodo



adfecti sumus, ubi à uerbo aut per uerbum, corrigent nos & nostra, uocati sumus. Significatur etiam hic potentia doctrinæ de pœnitentia, quæ statim contundit & prostermit conscientias.

Dicere, quis es domine: effectus est doctrinæ de pœnitentia. Vocatio Sauli res gesta est foris de facto: at nos uocati à uerbo corrigente ad pœnitentiam, similiter in conscientijs dicimus: Quis es domine?

Et ille. Spectat & hoc Christi responsum ad philanthropiam eius, qui clamantem peccatorem, & se peccatorem agnoscentem, non auersatur, uerum respondet illi, quò eum tandem lucretur deo patri.

Ego sum Iesus quem tu persequeris.

Cum reliqua membra persecutionem patiuntur, patitur et Christus caput. Vnde et Apostolus ait, ad Coll. 1.

Nunc gaudeo super afflictionibus meis pro uobis, & suppleo, quod decrat afflictionibus Christi, in carne mea pro corpore ipsius, quod est ecclesia, &c.

Consolatorium ualde est, persecutionem piorum esse persecutionem Christi, & piorum mala Christo fieri.

Ego sum Iesus: saluator & conseruator piorum.

Possimus hinc argumentari etiam in hunc modum.

Ego sum Iesus piorum: Ergo tu frustra persequeris eos.

Quem

Quem tu persequeris: scilicet in pijs & mei studio  
 sis. Diligenter notandū est tyrannis & persecutoribus  
 piorum se non pios, uerum Christum ipsum persequi

**Durum est tibi contra stimulos  
 calcitrare.**

Id est, tuarum uirium non est desistere à persecutio-  
 ne tua, et mihi adhærere. Et adiiciuntur hæc quasi per  
 occupationem, ne quia audit Saulus, quod persequatur  
 Iesum, iam sibi præsumat de uiribus desistendi à perse-  
 cutione. Durum: difficile est. Et quia est durum desi-  
 stere à persecutione ubi cœperis: quare donum dei est  
 à persecutione recedere. Aliàs hæc uerba: durū est  
 tibi contra stimulos calcitrare: parcemixūs hoc sibi uo-  
 lunt, teste Magno illo Erasmo Roterodamo in suis Chi-  
 liadibus, frustra nos pugnare cōtra eos, quos uincere ne-  
 quimus, qui sensus etiam non incommodè huc pertinet.

Metaphora unde sumpta sit, uide Roterodami Chi-  
 liades.

**Et tremens ac stupens.**

Tremor ac stupor uulgares sunt effectus, seu res cog-  
 gnatae, quæ sequuntur ad potentiam uerbi, per quod uo-  
 camur. Testantur & illi effectus siue res cognatae  
 illæ, de potentia uerbi corrigentis.

Sunt præterea tremor ac stupor signa animi humi-  
 liati, qui cognouit sua peccata.

Tandem tremor & stupor effectus sunt ueræ contritionis dolentis de peccatis suis.

Dixit: Domine quid me uis  
facere?

Fidei hæc uerba sunt, quæ uocanti domino statim acquiescit, nec deliberat diu cum carne & sanguine, id quod propriè est de natura fidei. Est et exemplum obedientie in Saulo, quæ est fidei fructus. Exprimitur his uerbis: domine quid me uis? altera poenitentiae pars, quæ est fides. Contritionis est tremere & stupere ad uerbum corrigens propter peccata. Fidei est, se rursus erigere ad gratiam seu remissionem peccatorum.

Exemplum uerè poenitentis est in Saulo, qui tremuit ac stupet ad uerbum corrigens peccata: & rursus se erigit fide ad gratiam. Monemur ne uocanti uerbo diu reluctemur, sed ex fide statim illi acquiescamus, cognoscentes nostra peccata, de quibus arguit nos uerbum.

Dixit: ex fide, quæ facit Saulum non desperare, sed confugere ad gratiam. Domine: fidei uox, qua cognoscit Saulus Iesum & posse & uelle misereri super peccatorem. Quid me uis facere? fides præscribi à Deo cupit, quæ facere debet, ipsa non præscribit Deo. Questio est de cognitione uoluntatis Dei. Verbum facere non complectitur tantum posterioris tabulæ præcepta, sed

sed & prioris. Et dominus ad eum.

Quaquam subinde homines miraculose uocentur ad cognitionem Euangelij, hoc est, alio medio, quam illo uulgari, quod fit per ministerium uerbi, tamen adhuc communior uocationis forma est, quae fit per uocale uerbum: igitur post miraculosam uocationem per uocem caelestem, iubet Christus Saulum ingredi ciuitatem & audire uocale uerbum, e quo cognoscat uoluntatem Dei. Mutuum Christi colloquium cum Saulo, referendum est ad philanthropiam Christi, qua utitur erga infirmos.

Surge ingredi ciuitatem.

Et conatus in homine pro ueritate, qualescunq; & quicunq; illi sint, de mandato Dei sunt.

Surgere & ingredi conatus sunt uoces, uerum quae in nostris uiribus sunt: quare Euangelium & uerus liberi arbitrij intellectus non tollunt in nobis conatus pro uerbo, quaquam doceant eos insufficientes esse ad res Dei uere intelligendas.

Falso hodie accusant nos, qui clamant, nos liberi arbitrij impugnatione, prohibere in nobis conatus. Qui enim nos illos prohiberemus, cum Christus hic Saulum conari iubeat surgere & ingredi ciuitatem?

Et ibi dicetur tibi,



Commendatio ministerij externi per uerbum, contra Anabaptistas, qui illud tollunt, & adserunt, nullum illius esse in ecclesia usum.

Dicetur: ecce uocale uerbum.

Quid te oporteat facere.

Quæ sit uoluntas Dei, quam te peragere deceat. Nunc autem uoluntas Dei est, non tantum hæc aut illa bona opera facere, sed longè magis credere Christo: iuxta illud Ioannis. Hæc est uoluntas patris, &c.

Viri autem illi.

Quod homines conuertuntur, audire quidem licet: item, licet audire uocem seu uocale uerbum, per quod uocantur: quomodo autè et qualiter conuersio accidat & quibus ex causis operetur uocale, sensibus humanis & sic ab hominibus carnalibus percipi non potest. Ioannis 3. Spiritus ubi uult spirat, et uocem eius audis, sed nescis unde ueniat, & quò uadat.

Viri autem illi: uerbum licet etiam in his uiris operatum sit & stupefcere eos fecerit, tamen in Saulo longè maiora effecit. Sic ergo statuendum est, uerbum in omnibus non operari æqualiter: in alijs minus, in alijs maius. Quanquàm hoc uerum sit, etsi uerbum non plus efficiat in suis auditoribus, aut in illis qui uident potenter à uerbo facta, tamen eos stupefcere facit. Verbum  
itaq;

itaq; ferit omnes suos auditores, sed non omnes ad animæ salutem, aut ut exemplo Pauli & aliorum conuertantur omnino.

### Stabant stupefacti.

Stupefactio hæc cõmunis effectus est, qui sequitur ad potentiam uerbi & miracula à uerbo potenter facta.

**Audientes quidem uocem, neminem autem uidentes.**

Verbum prædicatum & audibile homines auribus audire possunt, sed operatio uerbi interna, aut ex quibus causis procedat, & qualiter, caro non percipit. Comites stant: Saulus uerò prostratus iacet insignum uerbum non æqualiter ferire omnes.

**Surrexit autem Saulus de terra, apertisq; oculis nihil uidebat.**

Vocatos ad Euangelij cognitionem oportet cæcos fieri: imò apertis oculis nihil uidere: id est, oportet eos abijcere oculum humanæ sapientiæ, perpetuo præsumentis iustificare uerbum, quo uocamur & ad quod uocamur. Apostolus dixit Stultificate sensum carnis in obsequium Christi. Et Christus oculum abijcere iubet, hoc est, iudicium humanæ sapientiæ. Surrexit: exemplum obedientiæ in Saulo, quæ fidei effectus est, non diu deliberantis ad uocans uerbum.

Apertisq;

Apertisq; oculis nihil uidebat: periphraſis perfectæ  
 cœcitatſ. Fœlix ille eſt, quem deus uocatum ad co-  
 gnitionem Euangelij, apertis oculis cœcum facit, ut ocu-  
 lis humanæ ſapientiæ à cognitione Euāgelij nō impedia-  
 tur. **Ducentes autem eum manu.**

Charitatis exemplum in ductoribus Sauli. Nota  
 hic diligenter, quā ſoleat deus impedire impiorum co-  
 natus. Recte dixit Solomon: Homo cogitat de uia ſua:  
 deus autem diſponit gressus eius. Et uerum hic fit dictū  
 Conatus impiorum non ſunt ſemper fœlices. Sic Saulus  
 inſtituerat proficiſci Damascum, & credentes Euange-  
 lio uinctos perducere Hieroſolymam: at deus diſponit,  
 ut ipſe ducatur, & ita à propoſito impediatur.

**Introduxerunt Damascum.**

Nihil hic temerè fit, ſed omnia ſic diſponente deo.

**Eterat ibt tribus diebus  
 non uidens.**

Vt penitus oculum carnis & humanæ ſapientiæ ex-  
 ueret. Monemur longa & ardua abdicatione car-  
 nis & humanæ ſapientiæ opus eſſe, ut pateat nobis uia  
 ad cognitionem Euangelij, ad quam non accedunt, neq;  
 unquā ſeriò perueniunt, niſi qui ad longum tempus  
 atq; ſeriò abnunciant oculo carnis, & humanæ ſapient-  
 iæ iudicio.

Et non manducauit, neq; bibit.

Exaggeratio serie abdicationis carnalis iudicij & humane sapientie: itē, serie stultificationis sensus carnis in obsequium Christi.

Et non manducauit, neq; bibit: id est, ut fieret paratior ad cognoscendum Euangelium, & sic prorsus spoliaretur iudicio carnis & humane sapientie.

Erat autem quidam discipulus  
Damasci.

De speciali Sauli uocatione haftenus audiuius: porro audiemus de cōmuni & generali uocatione, quae est per ministerium uerbi, et per ipsos praedicatores, qui uocati & audibili uerbo uocant homines ad salutem.

Multa hic dici possunt de cōmuni ac uulgari illo medio, quo utitur deus in uocandis hominibus ad Euangelij cognitionem. De quo medio ferē agit totum 10. ad Romanos caput. Apertissimus est hic locus contra Anabaptistas, qui externum uerbi ministeriū explodunt contra quos potenter agit & diuus Augustinus in prologo librorum de doctrina Christiana. In epistola 130. ad Circenses. Ad Hieronymum epistola 23. In Euangelium Ioannis, tractatu 30.

Quidam discipulus: scilicet Christi. Damasci: circūstantia loci certam reddit historiam.

Nomine



## Nomine Ananias.

Et nomen expressum facit ad historię certitudinem.

Et dixit ad illum in uisione  
dominus.

Deus semper uaria habuit media, quibus et per quę reuelauit hominibus suam uoluntatem, nunc uerbum, nunc signa, nunc uisiones &c.

Uisionem hic usus est, ut per eas reuelet dominus hominibus suam uoluntatem & qui usus uisionem est, ille est & uerbi & signorum. Non sequitur Ananias uisionem habuit: ergo omnes Christiani debent habere uisiones, quibus de uoluntate Dei certi reddantur.

Uisionibus non nisi in grauissimis causis usus est Deus: qualis & grauissima fuit conuersio Sauli, qui postea in tantum Apostolum euasit, & uas electionis factus est Dominus: Christus. Consolatorium est Christum sic occupatum esse circa conuersionem Sauli.

**Anania.** Vocatio Anania ad singulare negotium.  
Et ille ait. Exemplum obedientię in Anania est qui uocanti domino statim respondet. Obedientia illa fidei effectus est, quę uocanti domino non potest non respondere. Ecce ego domine.

Ecce prompti animi & parati ad nutum Dei, paratricula. Ego domine: scilicet paratus sum tibi inscriuire  
Adumbrat

Adumbrat à longè uocatio Ananiae, uocationem ad cognitionem Euangelij, ad quam uocati, non debemus diu deliberare. Et dominus ad eum,

Mutuuum hæc domini & Ananiae colloquium, referendum est ad locum de philanthropia domini.

Surge & uide. Commissio singularis negotij, adumbrans nobis, ne quid extra commissa Dei faciamus.

In uicum, qui uocatur rectus.

Deus certa iubet, & ad ea quæ iubet, simul & certa uia ducit, ne erremus. Quære.

Nihil non laboris subeundū est ut lucremur per ministerium uerbi proximum rerum sacrarum indoctum.

Saulum nomine Tarsensem.

Nomen & patriam adiicit dominus, quò minus erret Ananias. Tarsensem: à Tarso metropoli Ciliciæ, unde natus fuit Paulus apostolus.

Ecce enim orat.

Ecce confirmantis particula: à signo enim confirmat dominus Sauli certam personam. Orat: uel pro institutione, ut cognoscat uoluntatem domini: uel ut uisum recipiat: uel propter alias causas.

Et uidit in uisione Ananiam nomine introire.

Et Saulus uisionem uidit, per quam certus redditus est de uoluntate Dei ex Anania discenda.

Vidit : per metaphoram deflectionis pro cognoscit. In uisione : quam Deus Saulum uidere permisit. Voluit Deus praemittere hanc uisionem, ut Saulus inde consolaretur & spem conciperet, iam iam adesse uirum per quem, & institui de uoluntate Dei deberet, et uisum amissum recipere.

Et imponere sibi manus, ut uisum recipiat.

Vt in anima & in corpore uideat.

Visio haec de restitutione uisus, praecedere oportuit ut illa ipsa Saulus confirmaretur, & de doctrina & de persona Ananiae. Facta enim uisione de restitutione uisus, sic extra dubium cogitauit Saulus.

Ananias uisum mihi restituet : Ergo Ananiae doctrina erit certa. Item.

Ananias uisum mihi restituet : Ergo Ananiae persona, illa erit, quae me debet de uoluntate Dei instruere.

Respondit autem Ananias.

Exemplum infirmitatis in Anania, qui differt uocanti domino obedire, idque propter periculum.

Naturale est, quod conuersis ab aliqua secta aut opinione, non facile credimus instigante ratione cuius hoc dictum est. Qui semel malus, semper praesumitur malus. Simile exemplum infirmitatis habes & in Iona, qui

qui quoq; causatur periculum, quò minus abeat ad Ni-  
 niuitas. Fidei est uocanti domino statim acquiescere,  
 nec deliberare cum carne & sanguine, nec hoc aut illud  
 causari: quia dominus, qui uos uocat, potens est ea in  
 nobis formare, quibus ad expetitionem commissorum  
 opus habemus, & tueri nos contra omnia pericula. In-  
 firmitatis uerò est & propemodum infidelitatis, uo-  
 canti domino non statim acquiescere, inire consilium  
 cum carne & sanguine, & hoc aut illud causari, hæc  
 aut illa timere pericula. Respondit: ex infirmitate et ti-  
 more, ut causis. **Domine.**

Captatio beneuolentiæ à potentia Dei, quæ captatio  
 fidei alicuius effectus est.

**Audiui à multis de uiro hoc.**

Exaggeratio periculi à testibus.

De uiro hoc: tanto tyranno & persecutore ecclesiæ.

De uiro: hoc ualdè emphaticos hæc effert.

**Quanta mala fecerit sanctis tuis in  
 Hierusalem.**

Vituperatio Sauli ab immani crudelitate & tyran-  
 nide in pios. Exaggeratio periculi à rebus gestis.

Enthymema. Saulus magna mala fecit sanctis  
 domini in Hierusalem: Ergo Saulum accedere, res est  
 periculosa. Argumentum Ananiæ non leue est se-



cundum pietatem & rationem. Quia impium & inhonestum est, temerè se precipitare in periculum.

Sanctis tuis : per te sanctificatis. Est enim Christus sanctificatio nostra. 1. ad Corinth. 1.

In Hierusalem : confirmatio Saulum fuisse magni ecclesie persecutorem à circumstantia loci.

Et hic habet potestatem à principibus sacerdotum uincendi omnes.

Exaggeratio periculi à commissis, quæ habet Saulus à principibus sacerdotum. Enthymema.

Saulus habet potestatem à principibus sacerdotum uincendi omnes, qui inuocant nomen tuum :

Ergo Saulum accedere, res periculosa est. Et in hoc argumento Ananias pietatè pro se habet unà cum honestate, quod pium & honestū sit, non temerè se precipitare in periculū. Omnes : est & in hac uoce periculi exaggeratio.

### Qui inuocant nomen tuum

Qui gratuitam iusticiam & omnia bona à te expectant : qui credunt Euangelio tuo : qui propagant atq; celebrant gloriam tuam.

Vides hic qui subiecti sint cruce, & ad quos spectet crux : nimirum ad eos, qui inuocant nomen domini : reliqui à cruce sunt alieni.

Inuocare

Inuocare nomen domini est de materiali causa crucis. Siquidem iustam habent crucis sue causam, qui persecutionem patiuntur propter inuocationem nominis Christi. Matth. 5. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, &c. ibidem. Beati estis, cum probra iecerint in uos homines, & insectati fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduersus uos, mentientes propter me. Contra materiam Christiane crucis est, ad fugi ut homicida, aut fur, aut facinorosus, aut curiosus rerum alienarum. 1. Petri 4. Qui inuocant: ex fide ut causa, ad Rom. 10. Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Nomen tuum: quicquid Christus est, & quicquid ad Christum pertinet, hic nomen dici potest. Tuum: emphaticum. Qui enim nomen Christi inuocat, is solus pessime audit, is uincitur, &c.

Dixit autem ad eum dominus.

Exemplum philanthropiae in domino, qui infirmum Ananiam & reluctantem suae uocationi, non reiecit, sed amicum monet, ut expediat commissam.

Dominus suo responso confutatur excusationem Ananiae propter pericula, quae nulla futura esse dicit.

Confutatio pendet ab electione Sauli, quae iam electus ex gratia est ut sit proclamator gloriae Christi.

Vade. Praeceptum domini est, inseruire alijs, ut ad

cognitionem Euangelij perueniant. Euthymema.

Præceptum domini est instruere ignorantes de cognitione Euangelij: Ergo peccatum est, negligere ignorantes, quò minus ad Euangelij cognitionem contur-  
gant.

**Quoniam electum instrumentum est  
mihî iste.**

Aethiologia cur uadere ad Saulum Ananias debeat à gratia, quæ iam contigit Saulo, ab officio, cui porro innigilabit, & à cruce, quam feret Saulus propter nomen domini. Electum: notat gratiam, & excludit meritum. Instrumentum est organum, medium, & minister. Discernit hac uoce dominus Saulum à uerbo, quod confitebitur coram gentibus, regibus, & filiis Israël.

Si libeat hic definire prædicatores, potest hæc dari definitio. Prædicatores electa sunt instrumenta, ut portent nomen domini coram gentibus & regibus, & filiis Israël, id est, coram omnibus hominibus. Siquidem Euangelium seu nomen Christi uniuersale est pro omnibus hominibus, pro Iudæis, & Græcis simul.

Faciunt ad intelligendum uocabulum instrumenti, loci illi scripturæ, qui separant uerbum à personis, quæ illud prædicant. Ioannis. . . ait Baptista. Non sum ego Christus. Ibidem. Ego uox clamantis sum in deserto: id  
est

est, non sum ille, qui clamat in me, nec uerbum illud  
 quod in me clamat, sed uox clamantis: scilicet domini  
 & uerbi in me. 1. ad Corinth. 3. Quis igitur est Pau-  
 lus? Quis Apollos, nisi ministri per quos credidistis, et  
 ut cuiq; dominus dedit. Ego plantauit, Apollos rigauit,  
 sed Deus dedit incrementum. Ibidem cap. 4. Sic nos est  
 mei homo, ut ministros Christi, & dispensatores myste-  
 riorum Dei. Mihi: non mundo, qui alia habet instru-  
 menta. Iste: emphaticus, q. d. iste magnus tyrannus &  
 persecutor ecclesie.

Ut portet nomen meum coram gen-  
 tibus, & regibus, & filiis  
 Israël.

Sequitur ad quid Saulus instrumentum esse debeat  
 nimirum ad portandum nomen domini coram toto mun-  
 do. Officium hoc Sauli est, ut nomen domini portet  
 coram toto mundo. Et quanquam in commune omnes  
 predicatorum nomen domini coram omnibus aperte  
 predicare debent: tamen officium Sauli speciale est, sic  
 ut & Apostolatus specialis est commissio.

Ut portet: publice & aperte. Est namq; Euan-  
 gelium publica & aperta predicatio, quæ non est occul-  
 tanda, neq; in occulto predicanda: iuxta illos locos scri-  
 pturæ. Matthæi. 5. Non potest oppidum abscondi su-



pra montem suum, &c. Cap. 10. Omnis qui cōfitebitur  
me coram, hominibus &c. Eodem capite. Quod dico  
uobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aurem audi-  
tis, prædicate in tectis. Nomen meum: Euangelium  
meum, & quicquid de me dici potest.

Coram gentibus, & regibus, & filiis Israël: id est,  
coram omnibus hominibus, quia Euangelium est uniuers-  
salis doctrina pro omnibus hominibus. Lucæ 17. Re-  
gnum meum non uenit cum obseruatione: id est, nō est  
alligatum ad ullas circumstantias, uel locorum, uel tem-  
porum, uel personarum. Euangelium uerò pars  
est regni Christi: ergo nec illud ad circumstantias,  
alligatum est. Gentibus: unde & alicubi uocat se  
gentium Apostolum Et ad Gal. 2. Nam qui efficax fuit  
in Petro, ad Apostolatū circūcisionis, efficax fuit & in  
me erga gentes. Et regibus: sicut porrò audiemus in  
Actis. Nam uerè potest Paulus de se dicere, quod scri-  
bit Dauid Psalmo 119. Et loquebar de testimonijs tuis  
in conspectu regum, & non confundebam. Et filiis Is-  
raël: pro quibus extreme laborauit, ut eos lucraretur  
Christo, sicut testantur eius uerba, ad Rom. 9. Veritatē  
dico in Christo, non mentior, attestante mihi simul &  
cōscientia mea, per spiritum sanctū, quod dolor mihi sit  
ma

magnus et assiduus cruciatus cordi meo. Optarim enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, cognatus uicis secundum carnem, qui sunt Israëlita, &c.

Ego enim ostendam illi.

Q. d. dominus: Anania, Saulus iam olim persecutus est nomen meum, sed ego curabo, ut rependat uices, & posthac pro nomine meo patiat. Consolatorium est Christum ipsum prospicere nobis de cruce, quam propter nomen eius feramus. Tractari hic debet causa crucis, quæ non est diabolus, sed ipse dominus: crucis inquam, de qua prospicit nobis dominus & quam dominus nobis imponit. Priore Petri 2. Hæc est enim gratia dei, & in hoc uocati es, ut exemplo Christi patiamini. Pro. 3. quem deus diligit, corripit. Primo Regū 2. Dominus ducit ad inferos, & reducit.

Qui ignorant crucis causam esse deum, illi in cruce desperare coguntur, nec habent, quo solentur se.

Ego enim ostendam illi: dominus ipse autor crucis est in pijs.

Quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

Quanta: alludit ad crucē Pauli grauissimā & maximam quæ quanta fuerit, ipse monet. 2. ad Corinth. 12.

ubi inuenies farraginem persecutionum, quas passus est Paulus. Oporteat: non necessitate absoluta, sed necessitate consequentiæ: quia non potest non sequi Euangelij confessionem ipsa crux. Posteriore ad Timoth. 3. Omnes qui uolunt pie uiuere in Christo, persecutione patientur. Et reuera crux est res Euangelio cognata. Pro nomine meo causa nominis mei. Nomen domini est de materia uera et sufficiente causa Christianæ crucis. Monemur circa hunc locum, ne simus solliciti de cruce, nec imponamus nobis crucem, sed tantum si seipiamus Euangelium, tunc dominus ipse prospiciet nobis de cruce, et ostendet nobis, quanta oporteat nos pati pro nomine domini. *Enthymema.*

Nobis dominus ostendit quanta oporteat nos pati pro ueritate: Ergo non debemus nobis imponere crucem. *Abijt autem Ananias.*

Exemplum obedientiæ in Anania, qui uocanti domino obedit. Obedientiæ Ananiæ fidei effectus est, quæ committit se uocanti Deo. Abijt: ex fide erga suam uocationem motus quam credidit placere Deo.

**Et introiuit in domum, imponens ei manus.**

*Id est, satisfecit Ananias suæ uocationi.*

*Hortamur exemplo Ananiæ ad seriam ac sedulam  
nstræ*

nostræ uocationis expeditionem. Imponens ei manus: in hoc, ut confirmaretur de sua uocatione Saulus, & uisum reciperet.

Impositio manus est hic signum confirmationis, & receptionis uisus. Fuit autem impositio manus gestus quidam, quo utebantur Apostoli & alij, in confirmatione ueritatis officij, & sanitatis.

Propter confirmationem ueritatis, & sanitatis, imponuntur hic Saulo manus. **Dixit.**

Hoc dicere effectus fidei est, ex qua statuit Ananias, & confirmationem ueritatis in Saulo, & restitutionem uisus secuturam. **Saule frater**

Insinuatio amica & blanda, quæ charitatis opus, est in Anania. Est enim charitatis, non pudere se fratris neque eum ea insolentius agere. Fratris uoce ostendit Ananias, Saulum eiusdem patris Dei filium esse, & eiusdem hereditatis participem.

**Dominus misit me.**

Allegat Ananias dominum sui aduentus causam, ut suspicionem amoueat, & suum negotium certum faciat quasi dicat. Me dominus misit. Ergo mea missio certa est, & quicquid tecum agam est certum, & placet deo. **Cernis hic ad quid profit habere certam uocationem,**



cuius certitudo facile efficit beneuolos auditores, & reconciliat negotio ipsi magnam gratiam, quod nobis proponendum est. Dominus misit me uocationis seu missionis meae causa est dominus.

Habent & prophetae in more, ut antequam uaticinentur, prius diligenter certam faciant suam uocationem. Esai. 1. Audite caeli, & auribus percipe terra, quoniam dominus locutus est. Ieremiae. 1. quod factum uerbum domini ad eum & c. Ibidem. Et dixit dominus ad me. cap. 2. Et factum est uerbum domini ad me. Ibidem. Haec dicit dominus. cap. 7. Verbum quod factum est ad Ieremiam a domino. cap. 8. In illo tempore ait dominus. cap. 10. Audite uerbum, quod locutus est dominus & c.

Allegat & Apostolus multis uerbis suam uocationem ad Gal 1. ut suae doctrinae autoritatem conciliet: dicens Paulus apostolus, non ab hominibus, neque per hominem sed per Iesum Christum, & Deum patrem & c.

Pro autoritate nostrae uocationis, uerbum Dei & ecclesiam allegare possumus. Verbum Dei, quod praeter illud, nihil adferimus. Ecclesiam, quae uocauit nos ad ministerium.

Qui apparuit tibi in uia.  
Discernit inter dominum & dominum.

Ut uideas & implearis spiritu  
sancto.

Missionis Ananie fines, ut Saulus uisum in anima et corpore recipiat: deinde confirmetur de sua uocatione ad Euangelij cognitionem, ad quam uocauit eum dominus, qui apparuit illi in uia.

Ut uideas: non solum oculis corporis, sed & oculis anime, ut per me cognoscas, quæ sit uoluntas domini. Et in hoc iussit dominus supra surgere Saulum & ingredi ciuitatem, ut diceretur ei, quid oporteret eum facere. Et implearis spiritu sancto: id est, confirmeris de tua uocatione ad Euangelij cognitionem, confirmeris de ueritate Euangelij, & confirmeris de domino, qui uocauit te.

Implearis: Deus copiosè impartit suas diuitias: replet quidem, sed non facit redundare, iuxta illud ad Rom. 12. secundum mensuram.

Spiritu sancto: accipias spiritum sanctum ductorè & rectorem: deinde & dona eius, ut confirmationem obsequationem & alia.

Et confestim ceciderunt ab oculis  
eius tanquàm squa  
mæ, & uisum  
recepit.

Restitutio

Restitutio uisus effectus est potentie illius domini, qui misit Ananiam ad Saulum. Est quoque effectus fidei dei in Anania, qui credidit propter promissionem domini, in Saulo secuturum uisum. Nota effectus miraculorum, non sequi propter nostram potentiam, aut uires nostras, sed propter promissionem quam fecit dominus credentibus, et propter fidem qua credentes promissionem de effectibus miraculorum apprehendunt. Marci 16. Porro signa eos qui crediderint hæc subsequantur Per nomen meum demonia eicient: linguis loquentur nouis. Confestim: circumstantia temporis commendat potentiam domini promittentis per Ananiam Saulo restitutionem uisus: item, potentiam fidei que promissionem apprehendit.

Ceciderunt: in hoc, ut apertum esset, Saulum uere cecum fuisse.

**OBIECTIO.** Legimus Saulum impositione manus, uisum recepisse: at quando Saulus impletus est spiritu sancto?

**RESPONSIO.**

Saulus per manus impositionem, simul et spiritu sancto impletus est, et uisum recepit: sicut sonant uerba: imponens ei manus, dicit: Saule frater.

Et surgens baptizatus est,

Surgens scilicet recepto uisu, et postquam impletus esse spiritu sancto

Fortia hinc argumenta contra Anabaptistas produci possunt. Anabaptistæ obijciunt. Matthæi ultimo legitur. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti: ergo nemo debet baptizari, nisi prius uerbo institutus est? Respondeo. Tamen Saulus baptizatur hic, nec docetur prius: ergo ut doctrina præcedat, non est necessarium semper aut perpetuo uerum.

OBIECTIO. At Saulus diuina uoce edoctus fuit.

RESPONSIO.

Ergo nemo baptizandus est, nisi qui diuina uoce è cælo edoceatur. Et sic per consequens nulli baptizandi sunt, aut paucissimi, quia præter Saulum aut nulli aut paucissimi diuina uoce è cælo edocentur. Item.

Saulus ante baptismum accepit spiritum sanctum:

Ergo & paruuli spiritum sanctum ante baptismum habere possunt. Quod si fieri potest, nõ potest paruulis negari baptismus, qui inferior est spiritus sancto.

Baptizatus est: ut Saulus per baptismum initiaretur regno Christi, ut haberet signum, quod admoneret eum promissionis, ut haberet in omnibus tentationibus certam notam, quam intuens. commonesceret & erigeret se fide &c. Hæc & similia declarant baptismi usum, quæ omnia paucis uerbis expressit Apostolus, ad Rom. 4. ubi



circumcisionem definit signaculum iusticie fidei, admonens Abrahamum gratuite iusticie per fidem acceptæ item admonens Abrahamum fidei, & erigens eum in tentationibus ad fidem erga promissionem.

Docet & Saulus suo exemplo, quia baptizatus, baptismum esse ad salutem necessarium. Si enim Saulus duxerit baptismum sibi necessarium esse qui à domino ipso uocatus fuit: quanto magis nobis erit necessarius baptismus? Valet hoc argumentum contra contemptores baptismi, qui putant eum non esse ad salutem necessarium, sed superuacaneum signum. Augustinus lib. epistolæ ad Rom. inchoatæ. Nam & Cornelius Centurio uoluntatem Dei utiq; apostolo Petro docente, cognouit, & ipsum spiritum sanctum manifestis & miscoadstantibus signis antequàm baptizaretur, accepit, quanquam non ideò sacramenta contempserit, sed multo certior baptizatus sit etc. Vide eundem in lib. de heresibus Quoad uult deum cap. 46. contra Manicheos, qui putant baptismum esse superuacaneum & nullius usus signum.

**Et cum accepisset cibum confortatus est.**

Vsum hic finalem omnis uictus uides, qui est inde confortari: qui ergo debilitatur inde dum immodicè uictum

utuntur, peccant contra uictus usum. Enthymemata.

Edendum est ut inde conforteris : Ergo non est edendum ut inde infirmeris. Item.

Bibendum est, ut inde conforteris : Ergo non est bibendum, ut inde malè habeas. Discce hinc quis sit omnium creaturarum usus, quæ nobis subiectæ sunt propter alimoniam, quò inde confortemur & corpus ad sanitatem sustentemus. Similia sunt propemodum argumenta, quæ ex loco Apostoli, ad Timoth. i. epistola cap. 4. colliguntur. Attendentes spiritibus impostoribus, ac doctrinis demoniorum, per simulationem falsiloquorum, cauterio notatam habentium conscientiam, prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abstinere à cibus, quos Deus creauit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus. Enthymema.

Cibi creati sunt à Deo, ut sumantur cum gratiarum actione : Ergo cibos à Deo creatos, non accipere cū gratiarum actione peccatum est. Item.

Potus à Deo creatus est, ut sumatur cum gratiarum actione : Ergo potum à Deo creatum, non accipere cum gratiarum actione, peccatum est.

Non sumunt autè cibum ac potum cum gratiarum actione, qui ita se replent, ut rursum euomant, quibus se replenturunt

repleuerunt. Et sanè oportet grauissimum peccatum  
 sit ebrietas, quæ loco gratiarum actionis, reddit Deo  
 uomitum.

Ab usu uini & hoc argumentum contra ebriosos  
 sumi potest.

Vinum ad hoc creatum est à Deo, ut inde conforte  
 mur : Ergo uinum non est à Deo creatum, ut inde  
 iniurgitemur & siamus ebrij.

De hoc usu uini loquitur & Apostolus dum sic ait  
 ad Timothæum suum. 1. epistola cap. 2. Ne post hac be  
 bas aquam, sed uino paulo utere propter stomachum  
 tuum, et crebras tuas infirmitates.

Damnantur hic quoq; qui se nimium excarnificant  
 abstinentia cibi aut potus. Nam si peccatum est occide  
 re alium : longè maius peccatum est, se ipsum occidere.

Item, damnantur hic Anabaptistæ, qui uetant uina  
 et lautiores cibos, quos sine peccato sumere licet, modo  
 in hunc finem, ut inde confortemur.

Fuit autem cum discipulis, qui  
 erant Damasci per dies,  
 aliquot.

Cohærent hæc præcedentibus : sequitur enim nunc  
 quid Paulus baptizatus egerit. Quid autem egit ?

Respondeo

Respondeo. Cōfessus est id quod credidit: iuxta illud,  
 ad Rom. 10. Corde creditur ad iusticiam: ore autem  
 fit confessio ad salutē. Et Dauid dixit: Credidi, pro-  
 pter quod locutus sum. Satisfecit Paulus hac sua se-  
 quente confessione, Christo dicenti: Quod dico uobis  
 in tenebris, dicite in luce: & quod in aurem auditis,  
 predicate in tectis. Totus sequens locus referendus  
 est ad confessionem uerbi, quæ fidei opus est, quæ be-  
 neficia dei tacere non potest, nec potest experta occul-  
 tare. Confessio Sauli est executio commissi officij in  
 Saulo, ut portet nomen domini coram gentibus & re-  
 gibus, & filijs Israël. Est & confessio Sauli charita-  
 tis opus, quæ non potest feriari, quin ea, quæ fides co-  
 gnouit, simul ad utilitatem proximi impartiat. Fuit  
 autem cum discipulis: scilicet cū quibus multa contu-  
 lit Saulus de regno Christi, & de rebus ad illud perti-  
 nentibus. Enthymema. Saulus per aliquot dies fuit  
 Damasci cum discipulis: Ergo nouitij non sunt statim  
 ad ministeriū uerbi admittendi. Apostolus ipse ait:  
 1. ad Timoth. 3. Non nouitiū, ne inflatus in condem-  
 nationem incidat calumniatoris. Ibidem 5. cap. Ma-  
 nus cito ne cui imponas, & c. Damasci: circumstan-  
 tia loci certam facit historiam. Per dies aliquot: sine  
 dubio ad longum aliquot tempus.

K Et continuo



Et continuo ingressus in synagogas:

Accingit se Paulus, quò satis faciat commissò officio, quod est, ut sit electum instrumentum, quod portet nomen domini, coram gentibus, & regibus, & filiis Israël. Enthymema. Paulus prædicat Christum: Ergo Paulus satisfacit commissò suo officio.

Est hic ingressus in synagogas unà cum prædicatione Christi: confirmatio commissi officij est, de quo supra. Quoniam electum instrumentum, &c.

Continuo: circumstantia temporis exprimit naturam fidei, quæ tacere non potest, nec gloriam Christi differre, quin eam propaget & diffundat: iuxta illud ad Roman. 10. Corde creditur ad iusticiam: ore autem fit confessio ad salutem: item, iuxta Davidem. Credidi propter quod locutus sum.

Commendat & circumstantia temporis charitatis festinantiam, quæ non potest non festinare, quæ credidit fides, idq; in hoc, ut lucretur & alios domino.

Ingressus: exemplum fortitudinis seu constantiæ in Paulo, qui quia commisit se ex fide deo: igitur parvi curat, imò non expendit sequentia pericula. In synagogas: quia Euangelium aperta est doctrina, iuxta illud (Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce) igitur Paulus in apertis locis prædicat.

Docet

Docet circumstantia loci, non esse prædicandum in angulo. Commendat & loci circumstantia ueritatem doctrine in Paulo: qui enim ueritatem docet, non abhorret lucem.

**Prædicabat Christum, quod is est filius dei.**

Summa concionis Sauli est, Christum esse filium dei. Ad hanc summam referenda est omnis doctrina Sauli, quæ in hoc consistit, Christum esse filiū dei.

Est præterea hæc summa concionis Sauli, scopus totius Euangelij. Ab Euangelio incipit Saulus suam prædicationem, ut declaret, se non esse ministrum legis: à Christo incipit prædicationem suam, ut significet se nõ esse ministrū Mosis. Prædicare Christum esse filiū dei, est prædicare & doctrinā & personam Christi à deo patre esse. Rectè autè ab hac prædicatione orditur Saulus coràm Iudæis, qui Christi contempta ac uili persona, item: cõtempta et uili eius doctrina offensi erant. Enthymemata. Christus est filius dei: Ergo Christus à deo est. Item: Christus est filius dei: Ergo Christi doctrina certa est. His argumētis uoluit se primū insinuare Saulus offensis Iudæis, ex cõtemptu personæ et doctrine Christi. Christū: quamuis contemptā & uilem personam in speciem. Quod

is est filius dei: filius dei naturalis, placet deo persona, placet deo & doctrina, &c.

### Stupebant autem omnes

Sequitur quid Saulus sua prædicatione primò effecerit: hoc effecit si non plus effecit, fecit præsentés omnes stupere. Sic adeò potens est uerbum, quod si non plus efficit, tamè ad minus stupere facit homines?

Enthymemata.

Verbum quod Saulus prædicauit, stupere fecit homines: Ergo uerbi non est parua potentia.

Item: Verbum quod Saulus prædicauit, stupere fecit homines: Ergo uerbum prædicatum, non redit uacuum: ergo uerbum prædicatum & ministerium uerbi efficax est per spiritum sanctum in ministris.

Stupor uulgaris effectus est, qui sequi solet ad prædicatum uerbum, & uerbi miracula, testans de potentia uerbi. Omnes: exaggeratio seu amplificatio stuporis.

### Qui eum audiebant.

Auditus stuporis causa fuit.

Enthymema.

Audierunt Saulum prædicantem: Ergo stupuerunt.

Et dicebant.

Hoc dicere stuporis effectus est.

Nonne

Nōne hic est, qui expugnabat in Hierusalem eos, qui nomen inuocant illud.

Faciunt & hæc ad causas stuporis, imò stuporem exaggerant & amplificant. Enthymema. Saulus hic expugnauit inuocantes nomen domini. Ergo Saulus nunc prædicare mirum est. Nōne hic est: questio de certitudine personæ. Qui expugnabat: serio & magno studio persequebatur. In Hierusalem: reddunt uerisimilia à circumstantia loci. Eos, qui nomen dei inuocant: periphrasis Christianorum seu credentium Euangelio. Illud: per contemptum, q. d. illius uilis ac contemptæ personæ, quæ Christus est.

Stupent hi omnes ad prædicationē Sauli, quia ignari sunt rerum, quæ acciderunt Saulo: item, ignari sunt, uerbū potens facile posse è tyrannis facere Christianos. Ethuc ad hoc uenit.

Pertinent & hæc ad exaggerationem seu amplificationem stuporis. Enthymema. Saulus huc uenit, ut uinctos duceret ad principes sacerdotum: Ergo Saulū nunc prædicare mirum est, & dignū stupore. Saulus aut̄ multo magis cōualescebat.

Id est, tantum aberat, ut Saulus stupore aliorum commoueretur, & impediretur, quod multo magis



302 ERASMI SARCERII SCHOLIA  
conualesceret, constantiusq; predicaret.

Magna res fuit Saulum non commoueri omnium stupore, ut ab officio predicandi resiliret. Sic enim quis ex nobis cogitare potuisset. Omnes stupent & admirantur te predicare Christum, qui aliquando eam expugnasti: ergo desistendum tibi est à predicandi officio ut estimationem tuam retineas. Multo magis: id est, quanto magis illi stupebant & admirabantur, tanto constantius ille predicabat. Conualescebat: accipiebat animum predicandi Christum.

Exemplum constantie est in Saulo.

### Et confundebat Iudeos

Id est, firmis argumentis uincebat eos de ueritate, quod Christus esset filius dei, quod contempta & uilis persona, tamen esset promissus Messias.

Confundebat: non ut perderet eos, sed ut lucrifaceret deo. Confusio hæc charitatis opus est in Saulo.

### Qui habitabant Damasci

Vbi iecit Saulus sue prædicationis principia.

Affirmans, quod ille est Christus

Hoc est, multis argumentis scripturæ probans.

Ille: contempta, uilis, & cruci adfixa persona.

Est Christus: promissus Messias. Repetit Lucas scripturam prædicationis Sauline.

Cum

Cum autem completi essent  
dies multi

Confessionem Christi, Euangelij, & gratuite iustitiae, sequitur crux: ideo Iudaei ineunt consiliū, ut Saulum interficiant. Confessio Euangelij & crux res sunt cognatae, iuxta illud Mathaei 10. Ecce ego mitto uos, uelut oves in medio luporum, id est, uos emissos ad confessionem Euangelij, sequetur crux. Ibidem. Et eritis odio omnibus propter nomen meū: id est propter confessionē mei nominis. Io. 15. Sed haec omnia facient uobis propter nomen meū: id est, nominis mei confessionem,

Nota etiam hic Euangelium esse occasionem crucis quod ubi praedicatur, non potest diu abesse crux.

Satis fit quoq; hic promissioni domini de cruce Sauli. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

Porrò quia confessio Euangelij crucis causa est: ergo ubi Euangelij confessio non est, ibi nec crux est, sed in tranquillo sunt omnia. Tacere itaq; Euangelium, aut illud non habere purum, causa est tranquillitatis in mundo. Superiori saeculo, cū careremus puro Euangelio peccata erant omnia: hodie ad purum Euangelium tumultuatur totus mundus.

Cum autem: coherentia ex circumstantia temporis.

Inierunt inter se consilium Iudæi.

Exemplum carnalis prudentiæ in Iudæis, qui non temerè præsumunt agere contra Saulum, sed ineunt consilium & seriò deliberant. Inierunt inter se consilium: prædicatione Sauli de commendatione Christi & gratuita iusticiæ offensi atq; commoti. Iudæi hi eorum typum gerunt, qui ad gratuita iusticiæ in Christo Iesu prædicationē offensi, accingunt se ad extinguendum tam gratuitam iusticiam, quàm eius professores. **Vt eum interficerent.**

Finalis initi consilij causa, ut prodatur gratuita iusticia & eius professores. Finalis illa causa omnium consiliorum est, quæ ineunt impij, nec alia suorū consiliorū ab illis expectanda causa est. Cades præmiū est, quod dat mundus pijs, pro gratuita iusticiæ prædicatione. Vt eum interficerent: sub ea spe. Interfecto Saulo, peribit & doctrina. Sic enim persuadent sibi impij, quod extinctis prædicatoribus ueritatis, si mal ruat & ueritas.

**Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum.**

Plenum est tristitiæ inire consilium, ut interficiatur pij: at plenū est consolationis, ex dispositione dei, pijs nota fieri impiorum consilia, & insidias illorum.

Notæ

Note autem facte sunt Saulo insidie eorum: id est, disponente sic domino, qui piorum curam agit perpetuam contra impios. Obserua impiorum consilia non semper sortiri felicem euentum: inò deum potentem esse consilia eorum impedire. Insidie: exprimit hæc uox, qualia sint impiorum consilia, non sunt aperte sententiae, uerum insidie sunt, Psalm. 10. Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis, ut interficiat innocentem. Oculi eius in pauperem respiciunt, insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Insidiatur ut rapiat pauperem, &c. In summa quicquid agunt impij contra pios, ex insidijs agunt, nõ ex aperto, & sic agunt, ne uideantur male uelle ueritati, cum interim laborent illam in uniuersum unam cum illius professoribus extinguere. Enthymema. Impij ex insidijs agunt: Ergo impij non possunt facile caueri.

Pertinet huc scripturae loci, qui monent, ut caueant sibi pij de impijs, Matth. 10. Cauete autem ab illis hominibus: tradent enim uos in concilia, &c.

**Custodiebant autem & portas  
die ac nocte.**

Carnalis prudentiae opus in Iudeis, qui omnem uiam occludunt, ne elabatur ueritas, & aufugiant pij. Custodiebant: nota sitim & studium impiorum



pro sanguine piorum & ueritatis extinctione. Die ac nocte: exaggeratio sitis & studij in impijs pro sanguine & interitu piorum ac ueritatis, à circumstantia temporis. Enthymema. Iudæi impij custodiunt portas die ac nocte, ne elabatur Saulus: Ergo impiorum magna est sitis & studium magnum pro extinguendis pijs, & pro abigenda ueritate.

**Vt eum interficerent.**

Addit Lucas finalem causam custodiæ diligentis die ac nocte, ne putes Iudæos frustra custodisse portas. Cædes seu profligatio piorum & ueritatis, effectus est omnium consiliorum, & actionum in impijs, qui prius non feriantur, donec uideant profligatam ueritatem & cædem piorum.

**Accipientes autem eum  
discipuli.**

Deus semper disponit certa media, quibus liberet suos, atq; impiorum consilia & actiones impediat.

Consolatorium est deum suorū curam agere in cruce, & impiorum consilia impedire posse. Exemplum charitatis est in discipulis, qui Saulum dimittunt sponta per murum.

**Nocte per murum dimiserunt eum.**

Hypotyposis liberationis seu fugæ Sauli.

Discimus

Discimus exemplo Sauli, licere aufugere, ubi fieri potest sine ignominia gloriæ dei & scandalo proximi, sicut hic factū est. Exegit enim fugam gloria dei, quam porrò debebat propagare. Saulus: scandalum nullum esse potuit apud discipulos, qui adornarunt fugam, & dimiserunt Saulum sporta per murum.

Vox sporta declarat, nulla media & nullas occasiones fugæ negligendas esse, quascunq; etiam.

### Cum autem uenisset in Hierusalem Saulus.

Cohærentia est ex circumstantia temporis.

In Hierusalem: post tres scilicet annos, ad Gal. 1.

### Tentabat se adiungere discipulis.

Sicut hætenus non puduit Saulum Euangelij Christi: ita nunc non pudet eum fratrum suorum, quibus tentat se adiungere.

Tentabat: notat studium & feruorem Sauli, quem habuit in hoc, ut adiungeret se fratribus.

Lucas breuis est, nec continuat historie seriem, de qua uide caput primum ad Galatas, ubi sic legitur. Neq; redij Hierosolymam ad eos, qui ante me fuerant Apostoli: sed abij in Arabiam, ac denuo reuersus sum Damascum: deinde post annos tres redij Hierosolymā, ut uiderem Petrū, & mansi apud illam dies

*dies quindecim &c. Discipulis: eiusdem præceptoris et doctrine professoribus.*

**Et omnes timebant eum**

*Ex rationis iudicio, quæ statuere non potest, ex tanto persecutore ita facile posse fieri confesorem Christi. Non peccant discipuli, quia timent Saulum: nam pij mandatum habent cauendi impios persecutores: deinde quia nemo debet seipsum iniicere in pericula, ubi impiorum manus effugere potest.*

**Non credentes**

*Argumentis rationis persuasi, quæ sic argumentatur Saulus fuit magnus persecutor ecclesiæ:*

*Ergo Saulo non est credendum: ergo Saulus suspectus merito nobis est.*

**Quod esset discipulus**

*Confessor Christi, Euangelij, et gratiæ iusticiæ.*

**Barnabas autem apprehensum illum duxit ad apostolos.**

*Exemplo Barnabæ discimus, ne pertinaces simus ad credendum, quanquam tardos nos esse deceat, ne ex facilitate imprudenter agamus*

**Et narrauit illis**

*Nō ostentationis gratia, sed ut inde cognoscerent discipuli immensam dei misericordiã et gratiã, erga tantã setuorem:*

secutorē: præterea simul gratias agerent deo pro tanta misericordia et gratia: tandem ut confirmaret eos de ueritate Euangelij. A uitio ostentationis seu gloriationis alienissimus esse uult Paulus, sicut passim testatur. Quod per suas epistolas, in quibus cernere licet, adeo non delectari Paulum ostentatione et cum propter falsos dorores gloriari cogatur, fingit se delirantem. Posteriore ad Cor. 11. Ministri Christi sunt, (delirans loquor) excellentius sum ego &c.

Narrauit: Saulus.

**Quomodo in uia uidisset dominum**

Audiuisset uocem domini, eius potentiam expertus esset, sensisset misericordiam et gratiam domini &c.

Vidisset: per metaphoram deflectionis, pro audiuiisset aut cognouiisset.

**Et quod locutus esset cum eo**

Saule, Saule, quid me persequeris et alia, quæ ibi sequuntur.

In uoce locutus notat præuenientem gratiam.

**Et quomodo in Damasco liberè egerit in nomine Iesu.**

Confessus fuerit Christum esse filium dei, nos gratis per Christum iustificari &c.

Liberè: sine timore.

In nomine Iesu ea quæ spectant ad propagationem et commendationem nominis Iesu.



Nomen Iesu significat, quicquid bonorum habet Iesus, & quicquid de Iesu dici potest. Propter quos fines, hæc prædicta narrauerit Saulus discipulis, paulo ante monui.

**Et erat cum illis intrans & exiens  
in Hierusalem.**

Id est, discipuli Hierosolymitani non amplius timebant Saulum, nec amplius dubitabāt Saulum esse discipulum, nec amplius fugiebant eius consortium.

**Liberè agens in nomine  
domini Iesu.**

Hoc est, sine timore confitens Euangelium & gratiam Christi iusticiam. Liberè agere Saulum in nomine domini Iesu, opus est fidei, quæ non potest gloriam Dei tacere, aut nomen Dei subter modium ponere: iuxta illud. Credidi, propter quod locutus sum.

Libera hæc actio referenda est ad confessionem ueritatis. Confessio ueritatis ex hoc loco est, libera actio in nomine domini. Liberè hic non sonat temerariè aut confidenter, sed sicut Paulus ait ad Ephes. 6. quando inquit. Et ad hoc uigilantes cum omni sedulitate et deprecatione pro omnibus sanctis, & pro me: ut mihi detur sermo in apertione oris mei cum libertate, ut notum faciam mysterium Euangelij mei, super quod legatione fungor.

*fungor in catena &c. In nomine domini Iesu, in rebus ad nomen domini Iesu pertinentibus.*

### Loquebatur quoq; & disputabat cum Græcis

*Et hæc pertinent ad liberam confessionem nominis Christi in Saulo. Loquebatur &c. Confirmat Lucas aperto facto, Saulum libere egisse in nomine Iesu.*

*Loquebatur quoq; & disputabat: conferebat cum Græcis super negotio Euangelij & gratiæ iusticiæ.*

*Cum Græcis: in Græco est, οὐρεῖςτες πῶς τὸς Ἰουδαίους, in uerbo Hellinistæ factionem indicans.*

*Cum Græcis: id est, factione Græcorum. Græci hi aut fuerunt profeliti, aut Iudæi ex Græcia orti, aut studiosorum gratia uenerunt Hierosolymã, aut gentes ex Græcia, quæ uel propter uisendum templum, uel propter alias causas, appulerunt Hierosolymam.*

### Illi autem quærebant occidere eum

*Confessionem ueritatis sequitur crux. Et Poëta dixit, Veritas parit odium. Illi: Græci, aut de factione Græcorum. Quærebant: uerbum studij & sitis est, ex qua impij sitiunt sanguinem iustorum.*

*Enthymema. Impij quæruunt occidere Saulum.*

Ergo

Ergo impijs magna est sitis pro sanguine iustorum.  
Occidere eum: impij non modeste puniunt pios propter  
confessionem ueritatis, sed extreme perdunt. Sy mach  
en ihu den gharas. Et reuera nullum hominum  
genus, minus misericordiae experitur apud homines,  
atq; pij, qui sine omni misericordia prorsus tolluntur.

Ex caede apertum est, qui sint reliqui impiorum ad  
fectus erga pios.

Quod cum cognouissent fratres.

Exemplū charitatis in fratribus, qui laborāt Saulum  
ē periculo liberare.

Nota & hic Deum semper habere sua media, quibus  
liberet pios ē cruce: item, impiorū conatus non esse semper  
per foelices.

Deduxerunt eum Cæsaream.

Amplificatio charitatis in fratribus.

Et dimiserunt eum Tarsum.

In suam patriam. Tarsum enim patriā habuit Saulus,  
unde supra in hoc capite. Surge & uade in uicum, qui  
uocatur rectus, & quere in domo Iudae Saulum nomi-  
ne Tarsensem, &c.

Ecclesiae autem per totam Iudæam  
& Galilæam, & Samariam  
habebant pacem.

In hoc

In hoc ut ecclesia paululū respiraret, & repararet vires suas, non ut otio torpesceret.

Multa hic disputari possunt de efficientibus & finalibus causis pacis ecclesie. Causa efficiens Deus est, non mundus, qui non potest cum ecclesia pacem habere quia mundus ea, quæ de mundo sunt diligit tantum: ecclesia autem non est de mundo: ergo non diligit eam, nec pacem cum ea habere potest. Finales sunt causæ, pacis ecclesie, ut ecclesia respiret fiatq; ad tolleranda pericula paratior. Pax ergo ecclesie externa, de qua hic agimus, est requies ad respirationem & alacritatem, ut inde paratior sit ecclesia ad ferendum aduersa. Pax conscientie quam habet ecclesia, aliter describi potest, & adesse potest, ubi etiam foris ecclesia non habet pacem. Pax ecclesie externa tum salutaris pax est, quando conscientie intus pacem simul habent: non est salutaris pax externa ecclesie, ubi non simul præsens est et pax conscientie.

Aedificabantur & ambulabant in timore dō nini, & consolatione sancti spiritus replebantur.

Sequuntur finales causæ pacis, quam habuit ecclesia quæ sunt: ut ecclesia edificaretur, ambularet in timore domini & consolatione spiritus sancti repletur.



Aedificabantur: insignis metaphora: sumpta ab aedificijs, quae nō uno impetu exurgunt, atq; absoluuntur: sed sensim, ac sensim excrescunt & perficiuntur: & ut nunc aedificia, sic ecclesia non uno fit impetu, nec uno momento transcendit ad perfectionem, sed sensim ac sensim excrescit & fit perfectior.

Et ambulabant in timore  
domini.

Id est, non habebat ecclesiam talem pacem, ut otio torpesceret, aut rediret ad uomitum, aut obliuisceretur Euangelij, aut secure ageret, aut in uitam dissolutam incideret, &c. In pace uiuere ecclesiam nō est malū: at tēpore pacis torpere, & extra timorē dei uiuere: id malū est. Anabaptista docent hodie non esse uerā ecclesiam ubi pax est externa, nec adest persecutio: unde sequitur nec ecclesiam in Iudea, nec in Galilea, nec in Samaria, ueram ecclesiam fuisse

Ambulabant: & hoc uerbum indicat ecclesiam non uno impetu fieri, sed sensim ac sensim fieri perfectiorē.

Metaphora sumpta est ab ambulantibus, qui sensim ac sensim procedunt, donec perueniant, quō uolunt.

Aedificandi, & ambulandi uocibus significatur praecoces Christianos non esse durabiles, sicut & experientia docet hisce temporibus, & Christus praecoces illos

illos Christianos temperarios uocat, Matthæi 13.

Spectant huc prouerbia: Præcocia ingenia non sunt durabilia. Et præcocia ingenia non perueniunt ad frugem. Tandem. Præcocia mala citò maturefcunt et citò pereunt. In timore domini: cuius autor est dominus & quem dat dominus: iuxta illud Ecclef. 25. Beatus homo est, cui datum est habere timorem dei. Hiere. 32. Timorem meum dabo in corda eorum. Malach. 2. Dedi ei timorem & tremorem.

Timor domini hic est uerus pauor conscientie propter peccata, cum proposito cauendi sibi à peccatis, cū fide coniunctus. Hunc timorem Theologi timorem filialem uocant, quo p̄j timent deum, uerentur deum peccatis offendere, & horrent quidem poenas, sed fide se rursum erigunt ad remissionem peccatorum.

### Et consolatione sancti spiritus replebantur.

Id est, habebant spiritum sanctum consolatorem, ductorem, & rectorem: deinde donabantur & donis spiritus sancti. Et consolatione sancti spiritus replebantur: id est, iuuabantur à spiritu sancto, ut exarescerent, & ambularent in timore domini.

Replebantur: est quoq; in hac uoce insignis metaphora: quæ admodum enim uasa nõ uno uirtute, sed guttatim,

ut ita loquar, replentur: ita & ecclesia non uno fit impetu, sed sensim ac sensim fit perfectior, sensim ac sensim fit fortior, & accipit dona spiritus sancti.

Voces huius loci metaphoricæ constipant illorum ora, qui ad susceptum Euangelium, statim uolunt homines bonos ac perfectos Christianos esse.

Consolatione: præcipuum unum spiritus sancti officium est consolari, unde et nomen habet: uocatur enim paracletus, Ioan. 15. Cum autem uenerit paracletus, &c. Sancti spiritus: qui natura est sanctitas, & alios sanctos facit.

### Factum est autem.

Connectendi particule Lucæ familiares.

Cohærentia sic habet. Dixit Lucas de pace & augmento ecclesiæ, quod est effectus pacis, quam habuit ecclesia: porro exemplis confirmat Lucas, & pacem habuisse ecclesiam, & excreuisse admodum. Sic enim sequetur. Et uiderunt eum omnes, qui habitant Liddæ, & Assaronæ, qui conuersi sunt ad dominum. Item. Notum autem factum est per uniuersam Ioppen, et crediderunt multi in dominum.

Potest & hæc esse cohærentia. Dixit Lucas de pace & augmento ecclesiæ: subiiciet nunc miracula quedam, per que fuit ecclesia iam credens confirmata de merito

ueritate, & credentes ad ueritatem suscipiendam insti-  
gati atq; commoti.

Vt Petrus, dum per omnes  
peragraret.

Exemplum diligentie & sedulitatis in Petro, qui  
suo officio diligenter & sedulo inuigilauit.

Per omnes: scilicet regiones. Notat Euangelium esse  
uniuersalem pro omnibus hominibus doctrinam.

Peragraret: Euangelium ut non est alligatum ad  
circumstantiam personarum: ita nec ad circumstantiam  
locorum alligatum est. Christus ipse dixit, Lucæ 17. Re-  
gnum meum non uenit cum obseruatione.

Perueniret & ad sanctos, qui  
habitant Lydde.

Deo sic dirigente gressum eius: iuxta illud. Homo  
cogitat de uia sua: deus autem dirigit gressum eius.

Ad sanctos: per Christum & uerbum sanctificatos  
ad Ephes 5. Viri diligite uxores uestras, sicut & Chri-  
stus dilexit ecclesiam: & semetipsum exposuit pro ea,  
ut illam sanctificaret, mundatam lauacro aque per uer-  
bum. Priore ad Corinth. 1. Christus sanctificatio nostra  
est: item, per spiritum sanctum sanctificatos, cuius offi-  
cium est sanctificare credentes.

Lydda: Lydda Palestine ciuitas in tribu Dan.



Inuenit autem ibi hominem quen-  
dam nomine Aeneam.

Sequitur exemplum miraculosum in confirmatione  
credentis ecclesie, & ut qui nondum credant Euange-  
lio, ad fidem erga Euangelium inuitentur. Hic enim mi-  
raculosorum euentuum usus est: quemadmodum & se-  
quetur: Conuersi sunt ad dominum, &c.

Inuenit: disponente sic domino. Nihil enim creden-  
dum est in sacris historijs temere fieri.

Hominem quendam: homines sunt de materia, in qua  
uerbum operatur suam potentiam.

Nomine Aeneam.

Mentio nominis facit ad certitudinem historie.

Ab annis octo iacentem in  
grabato.

Exaggeratur morbus, ut inde magis inclarescat po-  
tentia uerbi, per quod Petrus potuit tantum morbum  
pellere. Exaggeratio morbi est à circumstantia tempo-  
ris. Enthymema.

Aeneas annis octo iacuit in grabato: Ergo Aeneas  
magna fuit infirmitas.

Adumbrat nobis hic praesens euentus, deum inuare  
nos ex praeuente sua gratia, antequam etiam à deo  
petamus. Non enim legitur hic Aeneas quicquam pro  
sua

sua restitutione orasse. Commendatur & hoc euentu potentia uerbi, quod potest etiam extreme infirmos restituere sanitati.

Commendatur & hoc euentu fidei miraculosa efficaciam, quam sequitur sanitas: iuxta illud. Marci 16. Credentes in nomine meo, demonia eijcient, &c. Et Marci 11. ait Christus: Confidite deo. Amen dico uobis, quod quicumq; dixerit monti huic: tollaris ac mittaris in mare: et non hesitauerit in corde suo, sed crediderit, fore quae dixerit, erit illi quicquid dixerit.

### Et ait illi Petrus.

Exemplum charitatis in Petro, qui cum proximo suo exercet misericordiae opus, & quem iuuare potentia uerbi potest, eum iuuat.

Et ait: ex certa fide qua statuit Petrus, secutur a sanitatem in Aenea: hoc autem quod certo credidit Petrus, id fide impetrauit: iuxta illud. Credenti nihil est impossibile.

### Aenea, sanet te Iesus Christus.

Sanitas in Aenea secuta, opus fuit potentiae Christi seu uerbi, non potentiae Petri. Actorum 3. Viri Israëlitae, quid miramini in hoc, quasi nostra uirtute aut pietate fecerimus hunc ambulare? Et paulo post. Quem deus suscitauit à mortuis, cuius nos testes sumus,

320 ERASMI SARCERII SCHOL-  
mus, & per fidem nominis eius, hunc quem uos uidetis  
& nostis, confirmauit nomen eius, & fides quæ per eum  
est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omni-  
um uestrum.

Nota miracula seu miraculosos euentus non esse no-  
strarum uirium opera, sed opera Christi, uerbi, & fidei  
& illius miraculosa. Nihil hic tribuit suis uiribus Pe-  
trus, quando inquit: Aenea, sanet te Iesus Christus.

Aenea, sanet te Iesus Christus, ait Petrus :

Ergo sanitas Christi opus est.

Sanet : in integrum restituat.

Iesus Christus: qui uenit sanare, quod perierat.

Surge, & sterne tibi.

Vehementissime fidei uerba in Petro, qui non dubi-  
tat de sanitate Aeneæ, per Iesum Christum præstanda.

Et continuo surrexit.

Sanitas effectus est sanantis Iesu Christi, cui de sani-  
tate fidit Petrus.

Continuo : circumstantia temporis commendat po-  
tentiam Christi medici. Enthymema.

Ad Christum medicum continuo surrexit Aeneas.

Ergo Christus potens est medicus.

Et uiderunt eum omnes, qui habitant  
Lyddæ & Asserone.

scilicet

Scilicet restitutum Confirmat Lucas factam san-  
nitatem à testibus, ut certam reddat historiam.

Assaron ciuitas Palestine, quam quidem Accaronē  
esse putant. Viderunt: uisus causa est sequentis con-  
uersionis ad dominum.

Qui conuersi sunt ad dominum.

Conuersio hæc ad dominum, effectus est uisi mira-  
culi. Habes hic usum miraculorum non postremum,  
inuitare homines ad conuersionem, & ut credant E-  
uangelio. Conuersi sunt ad dominum: id est, susce-  
perunt Euangelium.

In Ioppe autem fuit quædam  
discipula.

Huius exempli idem est usus cum præcedenti: nimi-  
rum & hoc factum est, ut ecclesia iam credens inde  
confirmaretur, & non credentes ad credendum pro-  
uocarentur. Quare & sequitur ad hoc miraculum. No-  
tum autem factum est per uniuersam Ioppen, & credi-  
derunt multi in dominum. Commendatur hoc euentus  
potentia uerbi & fidei miraculose.

Summa est huius euentus, fidem in pijs etiam alijs  
posse sanitatem corporis & alia temporalia impetrare  
Charitatis exemplum est in Petro, qui misericordie  
opus exercet cum Thabia muliere, quam uitæ restituit.

L 5 Ioppe



Ioppe ciuitas Palestinae in tribu Dan.

Discipula: Christi praeceptoris.

Nomine Thabita.

Nomen addit Lucas propter historiae certitudinem  
Capnion dignus perpetuae immortalitatis uir, Thabiam  
legendum putat. Vide Annotationes Erasmi.

Quae per interpretationem dicitur  
Dorcas.

Seruit Lucas ex charitate Lectori, interpretans  
uocem. Dorcas Latinis caprea, cuius uisus accerrimus  
est, unde fit uerisimile à uisus acritate, ut ita loquat,  
Thabiam dictam esse.

Hæc erat plena operibus bonis, & ele  
mosynis, quas faciebat.

Commendatio Thabiae à posteriori, hoc est, à fidei  
fructibus seu operibus, et à rebus iusticie gratuite cog  
natis & finalibus. Sed de operibus bonis male dispu  
tatur, sine fide & gratuita iusticia, precedentibus cau  
sis. Est & hæc ratio commendandi sanctos à poste  
riori ualde familiaris Lucae, qui non necessarium esse  
duxit à causis bonorum operum illos commendare,  
postquam causae per se manifestae sint: & sine his non  
ualeant opera, nec queant esse bona.

Debet itaq; hic complexio fieri causarum & esse  
etiam

Etiam id ubi fit, integra est ratio commendandi san-  
ctos, à fide, gratuita iusticia, & bonis operibus. Quia  
enim fides non potest esse otiosa: igitur sequuntur in  
sanctis bona opera: deinde, quia iustificamur in eum  
finem, ut bene operemur, ad Rom. 6. ideo bona facimus  
opera. Hæc Thabia credens, & fide iustificata.

Erat plena: ex dono et gratia, ut causis operantibus  
Operibus bonis: fide & gratuita iusticia bona effecta  
opera. Quicquid enim sine fide fit, peccatum est. Operi-  
bus bonis: in genere ait.

Et eleemosynis: peculiariter commendatur Thabia  
à misericordie operibus in proximum.

Stulta sunt papistarum argumenta.

Thabia plena fuit bonis operibus.

Ergo Thabia iustificata fuit operibus. **Item.**

Thabia plena fuit eleemosynis.

Ergo Thabia eleemosynis meruit iusticiam.

Factum est autem in diebus  
illis.

Cohærentia ex circumstantia temporis.

Vt cum ægrotasset moreretur.

Mors ne pijs quidem parcit,

Quam

Quam cum lauissent. *Pro more Iudeo-  
rum.* In cœnaculo.

*In locum editiorem.*

Cum autem propè esset Lyd-  
da ab Ioppe.

*Vide Ptolomeum in quarta tabula Asiæ.*

Discipuli audientes.

*Ex rumore & fama.*

Miserunt duos uiros.

*Exemplum charitatis in discipulis, qui curam agunt  
pro uita Thabie.* Rogantes.

*Charitas rogat, non agit cum impetu.*

Exurgens autem Petrus ue-  
nit cum illis.

*Ex charitate motus, tanquàm causa.*

Duxerunt illum in cœnaculum

*Officiosa semper est charitas, cuius natura hic pro-  
ximè exprimitur, quæ est flere cum flentibus, loqui de  
proximo omnia bona, nihil non proximi gratia facere,  
ut bene habeat, &c.*

*Duxerunt: fide, spe, & charitate moti. Fide, ex qua  
certò statuerunt adductores Petri, eum posse per uerbi aut  
nominis Christi potentiam, sanitati restituere Dorcam  
mortuam. Spe, ex qua certò expectarunt fide credita de  
restia*

restitutione uitæ ipsius Dorcæ. Charitate, ex qua laborarunt adductores inferuire mortuæ Dorcæ, ut rursus ad uitam pertingeret.

**Et circumsteterunt omnes viduę flentes.**

Exaggeratio charitatis, quæ in uiduis magna fuit.

Enthymema. Viduę flent: Ergo uiduę magnam habent charitatem.

Flere de officio charitatis est, quæ flent cum flentibus nec letatur ad proximi incommoda. ad Rom. 12. Gaudeate cum gaudentibus. & flete cum flentibus.

Circumsteterunt: sub fide credentes resurrectionem Dorcæ. Et sub spe resurrectionem expectantes.

**Et ostendentes ei tunicas & uestes.**

Et hæc tunicarum & uestium ostensio, opus charitatis est in uiduis, quæ etiam minima quæq; in proximo extollit, magnificat, & commendat.

**Eiectis autem omnibus foras.**

Quia oraturus erat Petrus, recte eiciebat omnes, ne uideretur ad ostentationem orare. Monemur itaq; exemplo Petri, ut oraturi, non oremus ad ostentationem. Matthæi 6. Et cum oraueris, non eris, quemadmodum hypocritæ. Nam illi solent in conciliabulis, & angulis platearum stantes orare, quò conspicui sint hominibus.

**Amen**



Amen dico uobis, quod habent mercedem suam. Tu uerò cum oras, introito in conclaue tuâ, et occluso ostio tuo &c. Christus Matthæi. 9. in restitutione puellæ primatis, similiter eiecit omnes foras. Sed quas causas et iectionis ibi habuerit Christus, consule nostra Scholia in Matthæum. Petrus ponens genua,

Gestus hic orantium est, sicut et sublatio manuum. 1. ad Timoth. 2. Volo igitur orare uiros in omni loco, sustollentes puras manus absq; ira & disceptatione. Sunt uerè eiusmodi gestus, animi humiliantis se coram Deo, signa, & monent in humilitate animi orandū esse, sicut & orauit Hanna. 1. Regum. 1. Orauit.

Seria oratione efflagitauit à Deo, ut dignaretur Thabiam mortuam uita. Petrus orauit ad resurrectionem Thabie: Ergo & nos orare debemus, uolentes re alii qua potiri à Deo. Orauit: ex certa fide se iri exaltatum. Est enim fides ad orandum necessaria causa. Iacobi. 1. Sed postulet cum fiducia, nihil hæsitans. Nam qui hæsitat, is similis est fluctui maris, qui uentis agitur & impetu rapitur. Neq; enim existimet homo ille, se quicquam accepturum à domino. Et Christus ait Marci. 12. Quicquid credentes petieritis, accipietis.

Testatur & Petrus oratione, quod non suarum uirium opus est resuscitare mortuam Thabiam, sed opus Dei & diuinæ potentie.

Et conuersus ad corpus.

Ex fide certus de exauditione: nimirum se iam esse exauditum. Dixit.

Ex fide, qua nihil dubitauit de resuscitatione Thabie

Thabia surge. Verbo tantum utitur Petrus ad resuscitationem Thabie, ad significandum medium per quod resuscitat Thabiam, quod est uerbum, uirtus Dei ad salutem omni credenti. Petrus enim credidit uerbum esse uirtutem Dei, & quod credidit, etiam re ipsa expertus est.

At illa aperuit oculos, & uiso Petro resedit.

Vita effectus est uerbi illius potentis, quod credidit Petrus esse uirtutem Dei ad salutem omni credenti. Hic effectus commendat uerbi potentiam, ad quam etiam mortui surgunt. Quadrat huc dictum illud. In uerbo uita est. Aperuit oculos: in signum uitae certae.

Resedit: in signum integritatis & sanitatis.

Porrigens autem illi manum erexit eam.

Charitas etiã opere inseruit proximo, nõ tantũ uerbis

Erexit eam: ut doceret Thabiam uerè uiuam esse.

Et cū uocasset sanctos & uiduas produxit eam uiuam.

In hoc, ut per restitutionem Thabie confirmarentur de ueritate uerbi, & uehementius crederent uerbo. Siquidem hic quidam miraculorum usus est pro credentibus. Sanctos : in genere. Viduas : specialiter, tanquam eas que singulariter rogauerant Petrum pro restitutione Thabie. Produxit eam uiuam : propter predictas causas.

Notum autem factum est per uniuersam Ioppen.

Potentia uerbi statim fuisse lateque spargitur, id quod pertinet ad commendationem potentie uerbi.

Et crediderunt multi in dominum

Habes hic usum quendam finalem miraculorum, pro nondum credentibus, ut credant, & inuitentur per miracula ad credendum. Hic miraculorum usus bene fundatus est in Euangelistis, ubi passim legere licet, quomodo ad miracula homines credere coeperunt. Multi non omnes : iuxta illud. Non omnium est fides. Et reuera fides singulare donum Dei. Crediderunt multi in dominum fide susceperunt Euangelium, & Christum pro saluatore, quem prius odio habuerunt. Dominum : fidei obiectum est dominus, quem fides ad iusticiam apprehendit sunt & de obiecto fidei, promissio, misericordia, gratia Dei &c. Factum est autem,

Connectendi particulae Lucæ familiares.

Ut dies aliquot moraretur.

Præmittit hæc de hospite Petri Lucas, ut præparet lectorem ad sequentem euentum, qui subinde huius hospitalis meminit. Exemplum charitatis & hospitalitatis est in coriario, cuius exemplo nos ad charitatis & hospitalitatis opera inuitamur. Dies multos: quos non otio consumpsit, sed prædicatione Euangelij.

## CAPVT X.

**A**D hoc usq; caput, audiuius diligentiam Apostolorum in conuertendis Iudæis ad Euangelium: de gentibus parum aut fere nihil percepimus, de quarum uocatione nunc porro copiosissime audiemus, et sic penè per totam reliquam partem huius libri. Occasio uocationis gentium sic se habet. Postquam Iudæi contempserunt Euangelium, uocatae fuerunt gentes. De qua occasione, in hæc uerba loquitur Christus, Matthæi 21. Numquam legistis in scripturis. Lapidem, quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli?

A domino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris. Ideo dico uobis, auferetur à uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Habes & huius occasionis, ex qua uocatae fuerunt gentes ad Euangelium, insignes parabolas, Matthæi 21. de homine habente



duos filios: itē, de homine patre familiās, qui plantauit uineam & sepem circumdedit ei &c. Mathæi 22. de homine rege, qui fecit nuptias filio suo.

Meminit & Apostolus occasionis de uocatione gentium quæ fuit contemptus Euangelij apud Iudæos, ad Rom. cap. 9. et 11. Undecimo sic ait. Per lapsum illorum contigit salus gentibus.

Ceterum uocatio gentium non ex merito contigit gentibus, sed ex nuda & sola misericordia ac gratia dei, sicut hoc ipsum egregie ostendit Apostolus in omnibus serè epistolis, quas scripsit ad gentes. Et docent Propheta gratuitam gentium uocationem, quando huius recordantur. Osee 2. Vocabo populum, qui meus non erat, populum meum: & ea quæ dilecta non erat, dilectam. Et erit in loco, ubi dictum fuerit eis. Non populus meus uos, ibi uocantur filij dei uiuentis.

Testatur de gratuita ad Euangelium uocatione ipsarum gentium, extenuatio illa gentium, ad Ephesios. 2. Quapropter mementote, quod uos quondam gentes, in carne, uocabamini preputium, ad ea quæ uocatur circumcisio in carne, quæ circumcisio in nobis fit: quod inquam eratis in tempore illo sine Christo, ab alienati à republica Israël, & extranei à testamenti promissionis, spem non habentes deoq;

deoq; carentes in hoc mundo. Nunc autem per Christum Iesum, &c.

Ibidem, de gratuita gentium uocatione. Gratia estis seruati &c. Verum quia gratis uocati fuerunt gentes: quare nunc decet eos gratiarum actio, ne propter ingratitudinē suam, rursus abijciantur. Si enim deus naturalibus ramis non pepercit, uidentum est, ne qua fiat, ut nec nobis parcat. ad Ro. 11. Ne efferaris animo sed timeas. Nā si deus naturalibus ramis nō pepercit, uide ne qua fiat ut nec tibi parcat. Ecce igitur bonitatem & seueritatem dei, in eos quidem, qui ceciderunt, seueritatem: in te uerò bonitatem, si permanseris in bonitate. Quoniam & si tu excideris, & illi rursus si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potest enim deus denuo inserere illos &c.

Sed quæris in quem finem uocate fuerunt gentes? Respondet Paulus ad Ro. 11. ut fide gentium Iudæi ad emulandum prouocarentur. Verba Pauli sunt. Sed per lapsum illorum salus contigit gentibus, in hoc, ut eos ad emulandum prouocarent.

In Cornelio exemplum est uocationis gratuite gentium ad Euangelij cognitionē. Et solari se Cornelij exemplo possunt omnes gentes, q; et Euangelij gratia ad se pertineat. Gentium uocatione significatur Euangelium esse uniuersalem

uniuersalem doctrinam pro omnibus hominibus, qui  
 nomine Iudeorum & gentium comprehenduntur. Sa-  
 lus ex Iudeis est. Gentibus ex lapsu Iudeorum conti-  
 git gratia. Declaratur hac uocatione gentium uerum  
 esse dictum Christi, Lucæ 17. Regnum meum non ue-  
 nit cum obseruatione: id est, nõ est ligatum ad ulla cir-  
 cunstancias aut locorum, aut temporum, aut persona-  
 rum. Et Dauid dixit. Et exhibit sonus eorum per or-  
 bem &c. Christus supra dixit, Acto. 1. Et eritis mi-  
 hi testes, non solum Hierosolymis &c. uerũ etiam usq;  
 ad extrema terræ. Porro quia Cornelius centurio  
 fuit, hoc est, magistratus: habet magistratus se solandi  
 exemplum in Cornelio, quod possibile sit eos conuerti  
 posse quanq̃ difficile: sicut Christus ait de diuitibus,  
 Mathæi 19. Difficile est diuitem ingredi in regnũ cœ-  
 lorum: Difficile est, scilicet propter multa auocamenta  
 & occasiones multas, quibus diuites & magistratus à  
 regno dei auocantur. Damnatur in exemplo Cen-  
 turionis Anabaptistarum opinio, ex qua negant Chris-  
 tianũ esse posse magistratũ, nisi se ab officio abdicet.

Discimus quoq; hic in exemplo Cornelij, Euangeli-  
 um non requirere mutationem officij honesti. Contra-  
 docent Anabaptistæ, qui cõditionis seu officij uitæ mu-  
 tationem necessario exigunt, suscepto Euangelio. Ioan-  
 nes baptista

nes baptista Lu. 3. interrogantibus militibus, quid facerent, respondit, Ne quid amplius quam constitutum est vobis, exigatis. Non iussit eos mutare vitæ conditionē.

Vir autem quidam erat in Cæsarea nomine Cornelius.

Nouus hic prorsus euentus est, qui cum præcedentibus nihil commune habet, præter  $\pi\alpha\rho\rho\sigma\kappa\epsilon\nu\eta\gamma$  de hospite Petri. Commendatio Cornelij spectat ad genus demonstratiuum, cuius est usus, ut cōmendatione personæ Cornelij, celebrior reddatur gentium uocatio quæ à tam pio ac honesto uiro cœpit exordium.

Monet & hæc tam diligens Cornelij commendatio, aliquam esse occasionem ad Euangelium, ciuilitèr honestū esse, & pietatis esse studiosum. Qui enim omnino non curat pietatem, nec ciuilitèr honestus est, is nec Euangelium admodum curabit.

Facit & commendatio Cornelij pro confirmatione naturalis illius pietatis, quæ à natura, cuius autor deus est, indita est mentibus nostris. Sed quia natura corrupta & imperfecta est ex lapsu Adæ: quare & pietas ex natura nō est sufficiens: unde & Cornelius opus habet institutione Petri ad ueram pietatem.

Si uerò naturalis pietas sufficeret, nō opus habuisset Cornelius Petro, qui eum de uera pietate instituisset



Mira hic imaginantur Scholastici doctores de lumine nature quod adeò perfectum faciunt, ut dicant illud etiam ad perfectissimam pietatem, & sic ad ipsam iusticiam coram deo, sufficere. Magnum est argumentum naturalem notitiam dei nõ sufficere, ex loco Apostoli ad Ephe. ubi scribit Euangelium nature non fuisse cognitum. Et reuera natura de Euangelio nihil nouit, neq; de Christo, neq; de regno eius &c.

Nomine Cornelius: incertum est, an hic Cornelius idem sit ille Centurio, de quo fit mentio, Matth. 8. cuius fidem ita commendat Christus, quod talem in Israhel non repererit. Nomen addit propter historice certitudinem adijcit Lucas

### Centurio ex cohorte quæ dicitur Italica.

Et uite conditionem propter historie certitudinẽ adijcit Lucas. Ex cohorte: ipse non princeps cohortis, quæ circiter mille milites continet, sed unus ex ea cohorte, nec tamen postremus, quia centurio, qui centuriam curabat. Commendatio si quæ hic est, à uite conditione est. Italica: notat hominem gentilem.

### Religiosus & timens deũ

Commendatio Cornelij à pietate. Sed queritur hic unde Cornelius, et qualẽ pietatẽ seu religionẽ habuerit  
Respondetur

Respondetur dupliciter. Si Cornelius Centurio is fuerit, de quo meminit Euangelium, habuit fidem ante hanc uisionem, & anteq̄ Petrus ad eum perueniret, habuit & aliquam ueræ pietatis cognitionem. Si autem alius fuerit ab illo, non habuit aliam dei notitiam, non religionem, nec pietatem aliam, quàm eam quæ ex natura est, & de qua loquitur Apostolus, ad Rom. 1. & Actorum .17: fecitq; ex uno sanguine omne genus hominum, ut inhabitaret super uniuersam faciem terræ: præfinitq; præstituta tempora, præfixitq; terminos habitationis eorum, ut quærent deum, si forte palpent eum & inueniant, quanq̄ non longè absit ab unoquoq; nostrum. Placet posterius responsum propter grauissimas causas, quarum hic narrandi non est locus. Sed utile est circa hæc scire, qualis sit notitia dei aut pietatis ex legibus naturæ, aut ex ipsa natura.

Notitia non est leuis, sicut præsens locus, & ille, qui extat ad Romanos. 1. docet. Siquidem non sunt res leues, in Cornelio, religiosum esse, timere deum, facere eleemosynas multas, & deprecari deum semper. Ad Roma. 1. tribuit Apostolus notitiæ dei ex lege naturæ, quod sit cognitio æternæ potentie & diuinitatis dei, hoc est, quod deus non tantum existat, sed etiam quod creet, gubernet, & conseruet omnia.

Quæ dei notitia ex natura licet magna sit, tamen non est sufficiens, uerum imperfecta tantum, quia corruptæ naturæ effectus.

Religiosum esse.

Hi effectus

Timere deum.

sunt natu-

Facere eleemosynas multas.

ralis cogni-

Deprecari deum semper

tionis.

Veri sunt hi effectus & uiuaces, quando accedit spiritus sanctus, & renouat seu regenerat naturam. Religiosum esse, notat in genere, quicquid pietatis est in nobis ex natura: & quod aliàs dicimus in genere de lege naturæ esse, noscere deum, id hic dicimus in Cornelio, religiosum esse. Timere deum, facere eleemosynas multas, & deprecari deum, spectant ad cultum dei ex natura, quæ cognitum deum contendit etiam cultu certo prosequi. Religiosus: notatur magna pietatis cognitio ex natura in Cornelio. Timens deum: sequitur cultus dei cogniti ex natura. Natura itaq; nõ solum docet, deum cognoscendum esse, sed etiam prosequendum esse certo aliquo cultu, de quo gentes accusat Apostolus, ad Roman. 1.

Cum omni domo sua.

Et hoc naturale est in omnibus, nõ tantum sibi de pietate prospicere, quæ est ex natura, uerum etiam & alijs

alijs, ut liberis, coniugi, cognatis, amicis, &c.

**Faciens eleemosynas multas populo.**

Et misericordiae opera natura docet, quamuis formam ueram praestandi ea ignoret. Nescit enim misericordiae opera sine circumstantiarum respectu exercenda esse. Sic Christus, Lucae 6. Vult nos misericordiae opera exercere iuxta exemplum patris coelestis, qui misericordiae opera sine circumstantiarum respectu exercet, & qui sinit solem suum oriri super bonos & malos, super iustos & iniustos, &c. Corruptae naturae sententiae sunt. Cui des uideto. Cras redito. Hoc loco me expectato, &c. Multas: exaggeratur misericordia in Cornelio erga alios.

**Et deprecans deum semper.**

Est & deprecatio hae naturae opus, quo nitimur cognitum deum colere, & eum in necessitate inuocare. Deprecans: notatur studium & feruor pro cultu dei in Cornelio. Idem studium & eundem feruorem notat particula semper. Semper, id est, sedulo.

**Is uidit in uisione manifeste.**

Visionum omnium communis effectus est, ut inde per eas deus reuelat alijs suam uoluntatem, aut illis det alijs occasionem de uoluntate dei indaganda. Sic supra capite 9. Ananias uisionem uidit, qua declarauit deus,



quid Ananiam facere uoluit: sic Saulus supra uisionem uidit. Vidit: cognouit. Manifeste: discernit inter phantasma & ueram uisionem.

### Quasi hora diei nona.

Confirmat certitudinē uisionis à circumstantia temporis. Enthymema. Vidit uisionem manifeste quasi hora diei nona: Ergo uisio certa fuit, nō phantasma.

### Angelum dei introeuntem ad se.

Angeli sunt ministratorij spiritus, deo & nobis in ministerium creati. Angelum dei: à deo missum.

### Et dicentem sibi.

Vocatio Cornelij specialis est, quæ fit è cælo per angelum. Sed specialis illa uocatio non tollit communem & generalem, qua uocantur homines ad Euangelij cognitionem & uitam æternam, uocali & audibili uerbo, de qua uocatione consule 10. cap. ad Rom. Item quæ supra dixi contra Anabaptistas de speciali uocatione Sauli, illa debent huc referri, quæ monstrant uocationem specialem seu miraculosam, nō præiudicare communi ac generali. Prætereà quanquàm hic Cornelius uocetur ab angelo speciali modo, tamē postea iubetur Cornelius ire ad Petrū, pro uocali & audibili uerbo audiendo.

### Cornelio.

Voce uocatur Cornelius, ad significationem communis

munis uocationis, quæ uocali uerbo fit.

At ille intuens eum.

Intuitus hic effectus timore correpti Cornelij est: uel causa est timoris in Cornelio.

Timore correptus.

Hic timor adumbrat nobis contritionis effectus, quales esse possunt: timor, tremor, stupor, &c. Est & hic timor communis effectus, qui sequi solet ad omnes ferè uisiones & miracula. DIXIT.

Fidei opus est hoc dicere, quæ è timore erigit se Cornelius: uel est effectus hominis ex timore recipientis animum.

Quis es domine?

Fidei hæc uerba sunt, quæ non diu deliberat, sed statim respondet deo, & illi se committit. Est & obedientiæ exemplum in Cornelio, qui uocanti angelo statim respondit: Quis es domine?

Dixit autem illi.

Vnus est hic locus ex illis, quem pro trophæo circumferunt hodie iusticiarij operum, Sed res sic se habet. Si Cornelius hic ille Centurio fuit, de quo fit mentio in Euangelio, habuit omnium maximam fidem, ex qua bene operari potuit, & propter quam placuerunt deo orationes & eleemosynæ eius. Quicquid enim sine fide fit, peccatum est, ad Rom. 14. Et nulla persona

persona, nec ullum opus placet Deo sine fide, ad Hebræos 11. Impossibile est placere Deo sine fide.

Si autem Cornelius hic alia persona fuit à Cornelio, de quo scribunt Euangelistæ, sciendum est Deum etiam naturæ bona opera considerare in heroibus et honestis uiris, quorum heroica & honesta opera & considerat Deus et summis sæpe foelicitatibus et uictorijs adornat & recompensat.

Aut igitur concedendum est, Cornelium habuisse fidem, ex qua bene operatus est, & propter quam placuerunt Deo orationes et eleemosynæ eius: aut locus de operibus Cornelij intelligendus est de consideratione, ex qua Deus considerat in honestis & pijs ex natura honesta ac pia sua ex natura opera, & recompensat.

Ridiculum est argumentum iusticiariorum.

Orationes & eleemosynæ Cornelij ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.

Ergo orationibus & eleemosynis iustificatus est Cornelius. Habent ergo probare iusticiarij operum, ascendere in memoriam in conspectu Dei, idem significare, quod iustificare. Locum presentem sic tripliciter intelligo. Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascēderunt in memoriam in conspectu Dei: id est bona tua opera placuerunt Deo, grata et accepta fuerunt, propter fidē tuam, quam

quam & habuisti Corneli, si fuerit modo Centurio, de quo meminerunt Euangelistæ. Si autem non fuerit Centurio ille, non potuerunt tamen sine fide deo placere eius opera, iuxta locum ad Rom. 14. Quicquid sine fide fit, peccatum est: item iuxta locum ad Hebræos cap. 11. Impossibile est, placere deo sine fide. Fidem ergo Cornelius habuit. Vel: orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriã in conspectu dei: id est, deũ orationes tuæ & eleemosynæ tuæ non latent, qui honesta ac pia ex natura opera & uidet et recompensat. Et ex hoc sensu cadit opinio de iustificatione operum. Vel orationes tuæ & eleemosynæ tuæ, &c. id est, deus exaudiuit orationẽ tuã, & considerauit eleemosynas tuas: sic enim porrò inquiet Cornelius ad Petrum de uerbis angeli. Corneli exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ habitæ sunt in memoria coràm deo. Vnde intelligendum uenit Cornelium orasse deum pro reuelatione ueræ pietatis.

**Et nunc mitte uiros in Ioppen.**

Pro priori sententia, quod Cornelius hic Centurio in Euangelio fuerit, & fidẽ habuerit, de qua Christus ipse testatus est: ne in Israël quidẽ tantã fidem inueni, sic intelligenda sunt hæc uerba. Et nunc mitte, &c. id est, ut per Petrũ porrò perfectẽ instituaris de uera pietate



pietate, de ea confirmeris, & baptizeris, in hoc ut ha-  
 beas signaculum fidei & acceptæ iusticiæ. Pro me-  
 dia sententia, uerba hæc: & nunc mitte, &c. id est  
 notitia tua de pietate: item opera tua de cultu dei ex  
 natura, insufficientia sunt, quare mitte uiros in Iop-  
 pen, & accerse Simonē, qui te de notitia ueræ pietatis  
 instituat, & doceat te quæ sint ueri dei cultus, uera  
 bona opera, et quomodo præstanda, ut sint grata deo  
 & placeant illi. Pro tertia sententiâ sic. Et mitte, &c.  
 id est, quia nunc exaudiui orationes tuas, & conside-  
 ravi elemosynas tuas, tanquàm signa seriæ tuæ peti-  
 tionis & efflagitationis pro uera pietate. Docemur  
 ergo ex posteriore sententia, notitiam dei naturalem,  
 & cognitionem cultus dei ex natura, imperfectam &  
 insufficientem esse, & nos perfectiore & magis suffi-  
 ciente notitia seu cognitione opus habere, quæ est ex  
 uerbo dei, quod potest nos de uera dei notitia instituere  
 & impartiri nobis ueram cultus dei cognitionem.

Mitte: mandatū Christi est audire uocalem et audibili-  
 le uerbū, ad quod à Petro audiendum, relegatur Cor-  
 nelius: idè externū uerbi ministeriū non est contem-  
 nendū, nec cōtemnendæ sunt publicæ cōcionēs, in quibus  
 agitur de uerbo. Circūstantiæ locorū & perso-  
 narū accedunt, ne erret Cornelius in accersenda per-  
 sona, quæ eum de uera pietate instituat.

Hic

Hic hospitatur apud Simonem  
quendam coriarium.

Hospitiū Petri procul non accedit ad hospitiū, quod  
nunc Papa successor eius adulterinus, habet.

Hic dicet tibi, quid te oporteat  
facere.

Id est, quæ sit mea uoluntas, quæ sit uera pietas, præ-  
ter eam, quæ est ex natura.

Dicet: ecce uocale & audibile uerbum, ad quod Cor-  
nelius homo ex nature dictamine religiosus, uir timens  
Deum, faciens eleemosynas multas, & deprecans Deum  
semper, inuitatur.

Quid te oporteat facere: scilicet, præter ea, quæ tu facis  
eis ex legibus nature. Enthymema. Cornelius nōdum  
scit, quid debeat facere, aut quid eum facere oporteat.

Ergo Cornelius ante institutionem à Petro factam, nec  
ueram Dei notitiam, nec fidem ueram ac integram, nec  
bona opera uera ac integra habuit.

**OBIECTIO.** An non fuerunt uera ac integra  
bona opera, & religiosum esse, timere Deum?

**RESPONSIO.** Vera fuerunt de facto, sed non  
integra, quia natura nō potest aliquid integri atq; certi  
de notitia Dei docere, de uero cultu Dei, de integritate  
bonorum operum.

Et cum

Et cum discessisset angelus  
 Expedito suo ministerio, discedunt angeli.

Vocauit duos domesticos suos

Exemplū obedientiæ in Cornelio, qui nuncio dei statim adhibet fidē, & accingit se, ut uocanti deo per angelum satis faciat. Obedientia illa fidei alicuius effectus est, quæ non diu deliberat cum carne & sanguine sed committit se uocanti deo. Quod domesticos uocat & militem meruentem dominum ex his, qui apud eum assidui erant, & mittit eos, id significat serium studiū in Cornelio, pro expediendo cōmisso. Monemur itaq; exemplo eius ut mandata dei serio, non negligenter curemus.

Postero autem die

Coherentia ex circumstantia temporis, qua sequentia annectit præcedentibus.

Ascendit Petrus in fastigium  
 ædium, ut oraret.

Ne uideretur orare ad ostentationem. Locus ergo orationis secretus esse debet, quemadmodum & Christus monet, Matthæi 6.

Vt oraret: pro propagatione Euangelij, pro scælici Euangelij successu, pro augmento ecclesiæ, pro pace ecclesiæ, &c

Circa

Circa horam sextam.

Sobriè orandum est. Et Christus dixit, oratione & ieiunio eijci demonia: id est ieiuna & sobria oratione

Et cum esuriret, uoluit gustare.

Sic sobriè studendum est sacris exercitijs, ne tamen nimia sobrietate et temerantia perdamus nos, idq; exemplo Petri, qui cum esuriret uoluit gustare cibum.

Gustare: alludit ad temperantiam Petri, qui gustauit cibum, non abliguriendo deuorauit, nec potum inurgitauit.

Parantibus autem illis, cecidit in eum mentis excessus.

Id est, uisionem uidit, e qua redderetur certus de uoluntate Dei circa delectum ciborum, et uocationem gentium ad Euangelij gratiam. Summa est huius uisionis, regnum Christi non esse alligatum ad certas circumstantias, aut locorum, aut temporum, aut personarum, aut aliarum rerum. Luca. 17. Regnum meum non uenit cum obseruatione, ad Rom. 14. Non est enim regnum Dei cibi ac potus, sed iusticia, pax, & gaudium in spiritu sancto. Porro ut nunc regnum Christi non est alligatum ad obseruationes certas aut circumstantias: sic nec Euangelium, nec iusticia, nec remissio peccatorum nec uita eterna, nec baptismus, nec cœna domini, nec



546 ERASMI SARCERII SCHOL.  
sic quicquid ad regnum Christi pertinet.

Ceterum regnum Christi cum rebus ad illud pertinentibus, non esse alligatum ad observationem, aut ad circumstantias: est regnum Christi uniuersale esse pro omnibus hominibus, pro Iudæis & gentibus, &c.

Est Euangelium esse uniuersalem doctrinam pro omnibus hominibus. Est iusticiam esse uniuersalem pro omnibus hominibus, &c.

Tandem regnum Christi non uenire cum obseruatione, est regnum Christi contingere omnibus gratuitò non propter hæc aut illa opera, nõ propter hæc aut illa merita, non propter hæc aut illas bonas intentiones. Est Euangelium contingere gratuitò, non propter hæc aut illa, &c. Est iusticiam contingere gratuitò, non propter hæc aut illa, non propter hunc aut illum cibum, &c.

Totus præsens euentus uisionis Petri referri debet ad locum cõmunem de Christiana libertate, qua liberi sumus facti per Christum: ne amplius laboremus operibus contendere pro iusticia, quæ datur gratuitò propter nulla aut opera, aut merita, aut dignitatē, sine personarum respectu.

Explicat hanc uisionē satis Apostolus, ad Rom. 14.  
quod caput huc referri debet.

Ante hanc uisionem Petrus unà cum alijs alligauit regnum Christi ad obseruationem, & ad certas circumstantias, & sensit Euangelij gratiam ad gentes non pertinere: item statuit regnum dei cibum ac potum esse: item, putauit delectum ciborum adhuc aliquid facere ad iusticiam, &c.

Iusticiarij operum & miseri Papistæ, etiam nunc hodie tali uisione opus haberent, ut discerent regnum dei non uenire cum obseruatione: regnum dei non esse cibum, nec potum: iusticiam non propter hæc aut illa opera contingere, sed gratuitò.

Et uidit cœlum apertum.

Hypotyposis uisionis, cuius usus est, ut per eam doceat Petrum deus, regnum dei non uenire cum obseruatione: non esse cibum ac potum: iusticiam uniuersalem esse & gratuitò dari: Euangelium esse pro omnibus hominibus doctrinam: Christum esse uniuersalem regem, &c.

Allegorias uarij uarias proferunt. Mea hæc est & simplex. Videre cœlum apertum, est cognoscere è cœlo dari intellectum uerbi de uniuersalitate gratiæ. Vas uelut linteum magnum, uerbum dei est, hoc quatuor initijs submittitur de cœlo in terram: id est, est uniuersale uerbum, pro omnibus hominibus: nam quatuor

initia quatuor mundi plagas significant: submittitur de cœlo in terram: id est, cœlitus reuelatur uerbi intellectus hominibus in terra commorantibus: in linteo sunt omnia quadrupedia, et serpentina terræ, & uolatilia cœli: id est, in uerbo. Discimus non esse habendum delectationum ciborum: regnū dei non uenire cum obseruatione: regnum dei non esse ligatum ad circumstantias: regnum dei non esse cibum ac potum: Euangelium uniuersale esse: iusticiam esse uniuersalem, &c.

Vas in cœlum recipitur: id est, uerbum ubi defunctum est officio, redit ad eum, à quo exiit. Vel uas in cœlum recipitur: scilicet in hoc, ut significetur gentiū uocationem singulariter placere deo.

Et facta est uox ad eum.

Hæc uox allegoricōs uerbum representat, quod iubet nos surgere, mactare & manducare omnia quadrupedia, &c. id est, docet nos, regnum dei non uenire cum obseruatione, neq; regnum dei cibum ac potū esse, neq; Euangelium esse particularem, sed uniuersalem doctrinam pro omnibus hominibus, neq; iusticiam particularem esse, sed pro omnibus hominibus uniuersalem, &c.

Surge Petre: omnia sine delectu, obseruatione, & circumstantijs uti in regno dei mandatum dei est, quod in uerbo promulgatum est.

*Macta & manduca : id est, noli regnū dei alligare ad certas obseruationes : ad cibum ac potum, ad certas circūstantias : item, noli Euangelium facere doctrinam particularem pro Iudeis tantum, & iusticiam particularem pro Iudeis tantum : item, noli ex Christiana libertate seruitutem facere, &c.*

**Ait autem Petrus.**

*Petrus illorum typus est, qui regnum dei alligant ad certas obseruationes seu circūstantias : qui regnum dei iudicant cibum ac potum esse : qui Euangelium particularem doctrinam faciunt pro certis personis tantum : qui iusticiam ligant ad certas personas : qui ex Christiana libertate seruitutem moluntur.*

*Ignorantia Petri nō est leuis error, nec debet extenuari. Siquidē Apostolus. 1. ad Timoth. 4. non dubitat eam doctrinam hominum, quæ delectum ciborum præcipit, demoniorum doctrinam appellare. Ait enim : Spiritus autem certo loquitur, quod in posterioribus temporibus, desciscunt quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus, ac doctrinis demoniorum, per simulationē falsiloquorum, cauterio notatam habentium conscientiam, prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abstinere à cibis, quos deus creauit ad sumendum cum gratiarum actione &c.*



Absit domine. Serio ignorauit Petrus, regnum dei non esse cibum nec potum: regnum dei non esse ligatum ad certas circumstantias, &c.

Zelum quendam habet Petrus pro ciborum delectu sed non secundum scientiam.

Quia nunquam manducaui quicquam commune & immundum.

Aetiologia, cur absit, dixerit Petrus, ut mactet & manducet: sumpta à diligenti obseruatione legis de immundis animalibus, quæ extat Leuitici 11.

Ostendit quoque Petrus hac aetiologia, se nullam unquam cum gentibus cõuertium habuisse, nec post hæc habiturum. Nunquam manducaui: Petrus strictè seruauit legem. Commune & immundum: secundum legem prohibitum.

Et uox iterum secundo ad eum.

Quod iterum uox fit ad Petrum, philanthropie dei tribuendum est, qui boni cõsultat nosiram ignorantiam.

Porrò quia iterum & tertio fit uox ad Petrum, id significat, nos non facile acquiescere libertati Christiane, nec facile posse deserere nos opinionem, ex qua stas tuimus, regnum dei uenire cum obseruatione, & ligatum esse ad certas circumstantias: regnum dei cibum, ac potum esse. Euangelium particulare esse, iusticiam parit

particularem, &c. Vox quæ iterum fit ad Petrum, representat uerbum dei, quod docet, mundis omnia esse munda: regnum dei non esse cibum ac potum: regnū dei non uenire cum obseruatione: regnum dei non esse ligatum ad certas circumstantias: Euangelium non esse particularem, nec iusticiam, &c.

Summa est uocis iterum factæ ad Petrum, mundis omnia esse munda, & sub regno Christi, omnia esse uniuersalia: hoc est sub illo, non esse delectum aut personarum, aut locorum, aut temporum, aut cibi, aut potus, &c.

Quod deus purificauit, tu ne commune dixeris.

Id est, hæc est ordinatio dei sub regno Christi, quod hoc non sit alligatum ad delectum ciborum, non sit cibus ac potus, non ueniat cum obseruatione, non sit alligatum ad certas circumstantias, &c.

Sub regno legis alia res fuit, quod ad delectum ciborum alligatum fuit, quod uenit cum obseruatione, quod fuit alligatum ad certas circumstantias, quod fuit particulare pro Iudæis tantum, &c.

Vides hic ab initio creationis non fuisse creaturas habitas immundas, sed sub regno legis primum immundos habitas esse coram Israëlítico populo, idq;

Ex præcepto, & hoc tantum ad certum tempus durantis regni legis: præsentis uero regno Christi, & redire creaturas ad primam suam libertatem, quæ est eas puras esse & non immundas.

Quod Deus purificauit: in creatione purum fecit & sanctificauit per uerbum. 1. ad Timoth. 4. item, quod Deus sub regno Christi, fuit redire ad primam suam libertatem: item, quod Deus uniuersale pro omnibus hominibus instituit. Tu ne commune dixeris: immundum feceris & particulare.

Explicatorius locus huius præsentis, extat ad Titum 2. Puris omnia pura. Spectant huc & supra sepe di Eli loci. Regnum meum non uenit cum obseruatione. Regnum Dei non est cibus nec potus. Pertinent etiam huc explicatorie illorum locorum ex cognatis sententia Euangelium est uniuersalis doctrina pro omnibus hominibus. Iusticia est uniuersalis pro omnibus hominibus. Sub regno Christi non est ciborum delectus. Regnum Christi non est ligatum ad ullas circumstantias. Gentis æque pertinent ad Euangelij gratiam, atq; Iudæi. Insuper est locus Apostoli, pro explicatione huius, ad Gal. At postquam uenit fides, non amplius sub pædago sumus. Omnes enim filij Dei estis, eò quod credidistis in Christo Iesu. Nam quicumq; baptizati estis, Christum induistis

induistis. Non est Iudæus, neq; Græcus: non est seruus, neq; liber: non est masculus neq; fœmina. Omnes enim uos unus estis in Christo Iesu.

Hoc autem factum est tertio.

Huius repetitionis causas supra dixi.

Et statim receptum est uas in  
cœlum.

Allegoria notat, uerbū ubi suo officio defunctū est, redire ad eum, à quo exiit &c. Vide ea, quæ supra dixi.

Et dum intra se hæsitaret Petrus.

Visio quasi per digressionē irrepfit. Redit nunc Lucas ad historię seriē. Hæsitaret: hæsitando secū expenderet. Hæsitatio Petri effectus est animi stupefcentis ad nisi nem. Quid nam esset uisio,

Quid significaret, & cuius eius usus esset.

Ecce uiri, qui missi erant à  
Cornelio,

Ecce inopinantis particula.

Inquirentes domum Simonis.

Notantur fidi & diligentes serui qui non negligenter expediunt dominorum commissa: est enim inquirere studij & sedulitatis uerbum.

Et cum uocassent.

Hypotyposis expediti commissi apud Petrum. De-



corum ordinis est: primum uocare, postea interrogare.

An Simon. *Questio de hospitiis Petri.*

Qui cognominatus est Petrus,

Notatio certe personæ.

Petro autem cogitante de uisione

Serio seruum deliberante, quid sibi uisio uellet.

Dixit spiritus ei. Ecce uiri tres  
quærunt te.

*Visionem, quam Petrus ex infirmitate non potest  
assequi, eam exponit illi spiritus sanctus.*

*Monemur, intellectum regni Christi & rerum ad  
illud pertinentium, esse singulare spiritus sancti donum.  
& eos tantum intelligere regnum Dei non uenire cum  
observatione, nec esse cibum ac potum, nec ligatum esse ad  
certas circūstantias &c. quibus reuelat spiritus sanctus*

Dixit spiritus ei: intus in corde monuit.

*Ecce uiri tres quærunt te: id est, hæc est significatio  
uisionis, quam uidisti, Euangelium non tantum ad  
Iudeos, sed & ad gentes pertinere, quæ nunc adsunt, &  
quærunt te, ut per te de Euangelio instituatur.*

*Enthymema. Gentes te quærunt:*

*Ergo gentibus prædicabis Euangelium.*

Surge itaque & descende, & uade  
cum eis.

Mandatum spiritus sancti est, gentibus prædicare  
Euangelium: Ergo non prædicare gentibus Euangelium  
& excludere eos ab Euangelij gratia, peccatum est.

Porro quia spiritus sanctus reuelat intellectum uisionis, & monet Petrum de uniuersali gratia: ergo non est nostrarum uirium, nec res facilis, posse intelligere Euangelij gratiam uniuersalem esse: regnum Dei non uenire cum obseruatione: regnum Dei non esse cibum nec potum: regnum Dei non esse ligatum ad certas circumstantias. *Enthymema.*

Spiritus sanctus iubet Petrum ire cum gentibus.

Ergo spiritus sanctus uult Petrum gentibus prædicare Euangelium. *Nihil dubitans.*

Scilicet & ad gentes pertinere Euangelij gratiam: uel: nihil dubitans: scilicet hunc esse uisionis intellectum quod gentibus sit prædicandum Euangelium, quamuis coram ratione diuersum appareat.

Nam ego misi illos. *Actiologia, cur nõ debeat dubitare Petrus: sumpta ab autoritate spiritus sancti, qui disposuit, ut uiri ad Petrum accedant, & petant de Euangelij gratia institui. Enthymema Ego spiritus sanctus misi uiros: Ergo mea autoritate & dispositione fit, quicquid hic fit, & nihil hic fit temere.*

*Nota ordinationem spiritus sancti esse, prædicatio-*

nem Euangelij apud gentes, & ut gentes pro Euang-  
gelio currant.

### Descendens autem Petrus

Exemplum obedientiæ in Petro, qui dicenti spiritui  
sancto nõ diu reluctatur, sed obedit ei. Obedientia fidei  
effectus est, de cuius natura est, non diu deliberare erga  
uoluntatem dei, nec inire rationem cum carne & san-  
guine contra dei uoluntatem.

Descendere fidei effectus est. Dixit.

Et hoc dicere fidei effectus est.

Ecce ego sum quem quæritis

Charitatis est in Petro, nõ grauari se adiungere gen-  
tibus, & se illis manifestare.

Quæ causa est propter quam  
uenistis?

Questio de causa aduentus.

Qui dixerunt.

Simplex commissi narratio.

Cornelius Centurio uir iustus  
& timens.

Commendatio Cornelij, cuius usus est, ut ea ipsa uiri  
se coram Petro insinuent, illumq; facilius ad sequelam  
commoueant.

Charitatis opus est commendatio Cornelij, quæ in omnibus extollit proximum

Est quoq; exemplum reuerentiæ, ut ita loquar in seruis missis erga suum dominum Cornelium, quo inuitantur serui ad honorem & reuerentiam erga suos dominos. Centurio commendatio à conditione uitæ.

Vir iustus & timens deum: à pietate commendatio. Enthymemata. Cornelius Centurio est: Ergo ad eum ut uenias æquum est. Aliud. Cornelius iustus est & timens deum: Ergo ad eum ut uenias æquum est. Potest & huius cõmendationis usus esse, quod illa uoluerint uiri timorẽ aut suspicionem periculi tollere à Petro. Enthymemata. Cornelius Centurio est: Ergo eum accedere tuto potes. Aliud.

Cornelius iustus est & timens deum:

Ergo ad eum sine periculo potes accedere.

Et testimonium habens ab uniuersa gente Iudæorum.

Confirmatio à testibus, Cornelium esse uirum iustũ & timentem deum. Enthymema.

Cornelius testimonium habet ab uniuersa gente Iudæorum: Ergo Cornelius uir iustus est & timens deum. Habens testimonium: scilicet suæ iusticiæ & timoris.



Qualis autem hæc iusticia fuerit, & qualis timor Dei in Corne'io, patet ex superioribus. Ab uniuersa gente Iudeorum: exaggeratio testimonij & probitatis Cornelij. *Enthymema.*

Cornelius ab uniuersa gente testimonium habet: Ergo Cornelij probitas magna est.

**Responsum accepit ab angelo sancto**

Responsum pro commisso seu negotio. Ab angelo sancto: passiuè, qui à deo sanctificatus est nō qui sanctificat

**Vt accersat te in domum suam.**

Exponit quale responsum acceperit ab angelo Cornelius. Et audiat uerba abs te.

Finalis responsi causa ab angelo accepti. Ut audiat uerba abs te: id est, abs te instituatur & erudiat de uera pietate. Verba Hebræorum more ponit pro ipsis rebus, & pro toto commisso officio.

**Introducens autē eos recepit hospitiū**

Exemplum charitatis, humanitatis, & hospitalitatis in Petro, qui utros ad se missos hospitiū suscipit.

Monentur exemplo Petri, ministri uerbi ut sint humani & hospitales, id quod etiam Apostolus requirit in episcopo. 1. ad Timoth. 3. *Enthymema.*

Petrus uiros suscepit hospitiū: Ergo Petrus susceptos uiros & humaniter tractauit. Valet argumentum à consequentibus.

*Sequenti*

Sequenti autem die,

*Cohærentia ex circumstantia temporis.*

Surgens profectus est.

*Spectant hæc ad obedientiam Petri, qui obediuit sp̄i ritus sancto nomine gentium, nec dubitauit omnia fieri dispositione & ordinatione spiritus sancti. Obedientia fidei effectus est. Enthymema. Petrus surrexit & profectus est: Ergo Petrus nō dubitauit ad dicta spiritus sancti.*

Et quidam ex fratribus ab Ioppe, comitati sunt eum.

*Charitatis exemplum in concomitantibus est, qui nō ex petulantia carnis comitati sunt Petrum, sed ut illi inferuissent. Potest & exemplum studij pro uerbo esse in concomitantibus, qui concomitati sunt Petrum, ut ab illo audirent uerbum.*

Altera autem die.

*Cohærentia ex circumstantia temporis.*

*Locorum & temporum circumstantie faciunt & ad certitudinem historie.*

Cornelius uerò expectabat illos.

*Ecce studium et feruorem Cornelij pro institutione ex Petro audienda.*

*Enthymema.*

Cornelius expectabant illos:

Ergo

Ergo Cornelius magnum habebat feruorem pro institutione ex Petro audienda.

Conuocatis cognatis suis & necessarijs amicis.

Et hæc conuocatio cognatorum & necessariorum amicorum, feruoris signum est in Cornelio. Est præterea charitatis in Cornelio conuocare suos cognatos & necessarios amicos, ut & illos lucretur Deo, ex institutione Petri. Et factum est.

Connectendi particule Lucæ admodum familiares  
Obuius uenit ei Cornelius.

Exemplum reuerentiæ erga ministros uerbi in Cornelio, qui in summo honore haberi debent, nõ quia magni aut parui sunt: nõ quia diuites aut pauperes sunt, sed officium, quod gerunt. Spectat huc uulgare dictum. Honor propter officium Apostolus ministrum uerbi duplici honore dignum esse adserit 1 ad Tim. 2. Pertinent huc & illæ Christi sententiæ. Qui uos audit, me audit. Qui uos spernit me spernit: Obuiam uenire Cornelium Petro, signum seu opus est humiliationis in Cornelio, humiliante se coram Petro propter officium eius, & uerbum, quod erat auertitum ex Petro.

Et prociens ad pedes eius.

Gestus animi humiliati, & foris declarantis reuerentiam

rentiam in animo conceptam.

Adorauit eum.

Tribuit ei honorē soli Deo conuenientem. Ignorantia exemplum in Cornelio, qui creaturæ tribuit, quod solius Dei est. Adorare enim cultus est soli Deo conueniens. Adorare creaturas opus est idololatriæ, quæ quod Dei est tribuit creaturæ. Commisit ergo Cornelius suam adoratione peccatum idololatriæ.

Petrus uerò subleuauit eum, dicens: surge, & ego homo sum.

Increpat Petrus Cornelium, non quod ei obuius uenerit, aut reuerenter se erga eum gesserit, sed quod ei tribuerit cultum soli Deo conuenientem, & quia in idololatriæ peccatum inciderit. Docemur ad hanc increpationem, ne creaturis cultum soli Deo conuenientem tribuamus. Exemplo Petri increpantis docemur, ne arrogemus nobis cultum soli Deo conuenientem.

Et ego homo sum: ergo non decet me cultus soli Deo conueniens. Exemplum humiliationis in Petro est, qui de se non plus facit, quàm est, sequens in hoc Apostolum, ad Rom. 12. Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, cuiuslibet uersanti inter uos, ne quis arroganter de se sentiat, supra quàm oportet de se sentire, sed ita sentiat, ut

○ modestus



modestus sit & sobrius &c. Est & philanthropia exemplum in Petro, qui infirmum Cornelium & grauius errantem non reijcit, nec increpat durius.

### Et loquens cum illo intrauit

Et loqui Petrum cum Cornelio, pertinet ad Petri philanthropiam, quæ uirtus maxime decet prædicatores, ne nimia sua seueritate deterreant infirmos.

Porrò quia Cornelius infirmus adhuc fuit, & Petrus tractauit eum modeste, discimus rationem tractandi infirmas conscientias. De qua forma consule & Apostolum, ad Gal. 6.

### Et inuenit multos

Multi expectant Petrum Euangelij prædicatorem, ergo Euangelium grata est pro conscientijs doctrina.

### Qui conuenerant

In hoc, ut audirent Petrum.

### Vos scitis

Oratio Petri ad gentes excusatoria, qua excusat eos meritate sue accessionis, ne fratres ex Ioppe offendat: deinde ut gentibus fidem faciat, ne quid mali de se suspicentur. Nam ad hos duos fines uidetur tota oratio alludere. Vos scitis: partim ex lege prohibente gentium consortium: partim ex ipsa experientia. Lex de uitando consortio gentium temporaria tantum fuit. hoc est

hoc est, ad certum tempus duratur a, quo presente ab-  
rogari coepit, sicut & alie leges ad tempus tantum da-  
te.

Non esse fas

Secundum legem, que licet externum consortium  
cum gentibus prohibuerit, tamen potius respexerit ad  
impietatem gentium, cuius non debuerunt se facere par-  
ticipes Iudei.

Ad alienigenam

Non ait simpliciter ad hominem gentilem: non &  
profelyti ex gentibus admittebantur ad Iudeorum con-  
sortium

Sed ostendit mihi deus

Ex aduerso docet Petrus, id nunc fas esse, quod ali-  
quando fas non fuit. Videmus hic legem priorem  
abrogari posteriore. Petrus his suis uerbis multa mo-  
net: primum, leges ad tempus tantum datas Iudaico po-  
pulo, abrogatas esse: secundo, deum non solum Iudeo-  
rum, sed & gentium deum esse: tertio, Euangelij gra-  
tiam esse uniuersalem: quarto, regnum dei non uenire  
cum obseruatione: quinto, regnum dei non esse cibum  
ut potum: sexto, regnum dei non esse alligatum ad cer-  
tas circumstantias: septimo, nos liberos esse a tempo-  
rarijs legibus etiam ad literam usq; &c. Ostendit: pe-  
culiariter reuelauit.

Enthymema

Deus ostendit Petro, ne quis homo communis aut im-  
mundus dicatur: Ergo dei donum est, scire Euangelij  
gratiam

gratiam uniuersalem esse. Deus: allegat deum, ut eius autoritate excuset temeritatem Petrus.

Enthymema. Deus ostendit mihi, ne quis homo communis aut immundus dicatur: Ergo dei consilio adiungo me gentibus, nec id facio temere. Monemur hic exemplo Petri, ut omnium nostrarum actionum habeamus deum autorem, & ne quid ex priuato nostro cerebro agamus. Ne quis homo communis aut immundus dicatur.

Hoc est, sicut porro dicet Petrus, quod non sit personarum acceptor deus, sed quod in omni gente, quisquis timet eum, & operatur iusticiam, acceptus sit illi.

Præterea quid sibi Petrus his uerbis uelit, paulo ante dixi.

Propter quod sine dubitatione

Quia deus ostendit mihi gratiam Euangelij uniuersalem esse, & deum non esse personarum acceptorem. Tota Petri oratio ferè includi potest syllogismo.

Quicumq; Iudæus accedit gentes ex priuato, male agit. Ego Iudæus non accessi gentes ex priuato:

Ergo ego Iudæus non male egi. Maiorem his uerbis ferè extulit Petrus. Vos scitis, non esse fas uiro Iudæo &c. Minorem, his. Sed ostendit mihi deus &c. Conclusionem his. Propter quod sine dubitatione ueni

accessurus.

accerſitus. Sine dubitatione: quia non dubitavi me rectè ac piè facere, quò me adiungerem gentibus

Discimus hic, ut quicquid agamus, id agamus conscientia non dubitante, quæ libera est à dubitatione, ubi noſtrarū actionum rationem dare poſſumus ex uerbo ſeu mandato dei. Priore ad Timotheū 1. Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee iuxta prophetias, quæ de te præceſerunt, ut milites in eis bonam militiã, habens fidem & bonam conscientiam &c.

Interrogo ergo, quam ob cauſam accerſiſtis me?

Queſtio de cauſa accerſionis, quam non ignorat Petrus, à ſpirituſancto de gentium uocatione inſtitutus. præterea à miſſis uiris de cauſa edoctus, ut ſupra: querit autem cauſam accerſionis, ut Cornelium ipſum nã cum ſocijs ſuis ad confeſſionem abducatur, e qua cognoscat Cornelij & aliorum ſtudiũ pro audiendo uerbo.

Et Cornelius ait.

Reſpondet Cornelius de cauſa accerſionis Petri, quæ eſt, ut ex illo audiant uerbũ ſeu præcepta domini.

Die ab hinc quarto

Repetit Cornelius ſuam uisionem, ut cauſam, ex qua occaſionem coepit mittendi ad Petrum.



Die ab hinc quarto: circumstantia temporis certā facit narrationem aut ad minus uerisimilem.

Vsq; ad hanc horam ieiunans eram

Et hac temporis circumstantia uerisimile facit narrationem Cornelius. Ieiunans eram: monemur exemplo Cornelij, ut oraturi sobrij id faciamus. Est ergo sobrietas preparatoria seu formalis quādā ad orationem causa. Et hora nona in domo mea orans. Et hac circumstantia temporis uerisimilem reddit narrationem. Et ecce

Ecce attentionis particula.

Vir stetit ante me in ueste candida

Periphrasis angeli.

Decuit angelum sub nouo testamento missum, & in causa Euangelij, habere uestem candidā, ad significandam qualitatem & officium Euangelij, quod ipsum est candidum, & alios candidos facit. Sic angeli uestibus albis induti asidebant sepulchro Christi. Sic Acto .1. apparuerunt Apostolis duo uiri albis uestibus induti.

Cornelio. Vocantis uox.

Exaudita est oratio tua

Hec explicant clare, que supra dixit angelus. Orationes tue &c. Sensus ergo est horū & precedentium uerborum angeli, deū exaudiuisse Cornelium pro uera pietate

pietate orantem, & deum nō latuisse Cornelij eleemosinas, sed eas in illo considerasse, ut tales quæ placuerint ei. Siquidem & uita pia atq; honesta secundū naturam placet deo: longo tamen discrimine placent deo priorum bona opera.

### Mitte ergo in Ioppen

Vt fias compos illorum, quæ à me petisti, & instituas de uera pietate. Circumstantias personarum & locorum diligenter repetit Cornelius ex uerbis angeli, ne uideatur non ueri similia narrare. Est quoq; tam diligentis repetitionis hic quidam usus, ut uideas, quàm aptè sibi respondeant scripturæ narrationes de iisdem rebus semel atq; iterum reiteratæ.

### Confestim ergo misi ad te

Ex uehementi studio & ardore pro uera pietate. Studiū & ardorem suum tacitè allegat Cornelius, ut agnoscat Petrus se habiturum diligentem auditorem.

### Et tu benè fecisti ueniendo

Verba hæc grati animi in Cornelio indicia sunt erga Petrum.

### Nunc ergo omnes in conspectu dei adsumus

Epilogus, qui continet promptam beneuolentiam Cornelij & sociorum eius tam erga Petri personam, quàm erga communis Petri.

In conspectu dei adsumus: iubente & uolente sic deo.

### Audire omnia

Non tantum partem, sicut illi faciunt, qui partem Euangelij suscipiunt, partem non suscipiunt.

**Quæcunq;** Sine delectu. Quicquid enim præcepit deus, id audiendum est.

### Tibi præcepta sunt à domino

A domino: excluduntur humane traditiones, & inuenta humana circa causam salutis.

### Aperiens autem Petrus os suum

Oratio Petri didactica est, status finitiui. Docet enim & definit, quid sit deus, quid regnũ Christi, quid Euangelium, quid Christus, quid Apostoli & sic prædicatores Euangelij, quid prophetae, & quid uera ecclesia. Deus est uniuersalis adiutor, pro omnibus hominibus, sine personarum respectu.

Regnum Christi uniuersale regnum est, pro omnibus hominibus. Euangelium est uniuersalis doctrina, pro omnibus hominibus, annuncians illis pacem per Iesum Christum. Christus est uniuersalis dominus, pro omnibus hominibus, benefaciens omnibus et sanans omnes oppressos à diabolo, iudex uiuorum & mortuorum.

Apostoli & sic prædicatores Euangelij sunt testes uniuersales, qui testificantur populo, hoc est, omnibus hominibus.

hominibus, quod Christus sit constitutos à deo iudex uiuorum & mortuorū. Prophetæ sunt uniuersales testes, testantes, quod per nomen Christi remissionem peccatorum accipiant omnes qui credunt in eum.

Ecclesia est uniuersalis congregatio, quæ credit in Christum, ad remissionem peccatorum. Rectissime orditur Petrus suam orationem, hoc modo, quod deus nō sit personarum acceptor, sed uniuersalis deus pro omnibus hominibus, quia deuit eum uniuersalem deū facere, qui uenerat gentes docturus, in hoc mundo carentes deo, ad Ephes. 2. Postea rectissime prosequitur suam orationem, in qua regnum Christi, Euangelium, Christum ipsum prædicatores, prophetas, & ecclesiā uniuersalē facit. Quo ordine orationis ualde opus habuit Petrus qui uenerat coram gentibus prædicaturus quas summa cura oportuit à suspitiōe particularitatis liberare. Facit itaq; hic Petrus omnia uniuersalia, ut gentibus animum addat, liberè accedendi ad Euangelium, & hoc suscipiendi. Petenda est hinc forma quedā prædicandi coram gentibus, quas prius certas fieri oportet de uniuersali gratia, antequam de Euangelio instituantur. Est quoque illa forma in omnium hominum institutione ad Euangelium diligenter seruanda.



Summa autem orationis Petri in hoc consistit potissimum, omnes homines per Euangelium contingere ad fidem in Christum saluatorem, idq; gratuito. Magna igitur laus est ministerij uerbi ex hac Petri oratione contra Anabaptistas. Tota Petri oratio referri potest ad hæc tria: ad uniuersalitatem Euangelicæ gratiæ, ad reuelationem Euangelij, & ad Euangelij effectus. Vnde omnes prædicatores monentur, ut hæc tria inter docendum diligenter sequantur: doceant Euangelij gratiam uniuersalem esse, urgeant reuelationem Euangelij & huius effectus. Aperiens autem Petrus os suum: commendatur ministerium uocalis & audibilis uerbi. Aperiens: studio & seruore Cornelij & sociorum eius pro audiendo Euangelio, motus.

In ueritate comperi, quod non est personarum acceptor Deus.

Exordij orationis Petri summa est, Deum non tantum Iudeorum, sed & gentium Deum esse: hoc est omnium hominum sine respectu personarum. Et ut nunc Deus uniuersalis est pro omnibus, sic & gratia Dei & beneficia eius sunt uniuersalia.

Porro ut Deus non est personarum acceptor: ita nec reliquas circumstantias locorum & temporum respicit in beneficiendo. Qui enim sinit solem suam oriri  
super

super bonos & malos, super iustos & iniustos, ille & omni loco & omni tempore benefacit. In ueritate conperi: ex uisione spiritus sancti institutione, & experientia propter accessum gentium ad audiendum Euangelium. Nihil hæsitat Petrus, quin Deus uniuersalis sit Deus pro omnibus hominibus, id quod fidei est in Petro, qui credit uerbis spiritus sancti. Surge itaq; & descende, & uade cum eis, nihil hæsitans.

Quod non est personarum acceptor Deus: id est, quod non curat personarum circumstantiam.

Sed in omni gente, quisquis timet, eum, & operatur iusticiam, acceptus est illi.

Id est, deus uniuersalis deus est pro omnibus hominibus, qui eum pro deo recipiunt. Et ut nunc deus uniuersalis est deus pro omnibus hominibus, sic & gratia eius. In omni gente: sine delectu aut circumstantia personarum. Et gens hic uniuersalis uox est omnium populorum: sumit uerò signanter gentium uocem apud gentes. Quisquis timet eum, & operatur iusticiam: id est, recipit eum, credit in eum, & sequitur uoluntatem eius. Timere deum & operari iusticiam: effectus sunt fidei, quos posuit Petrus pro ipsa fide ut causa, & est simplex huius loci sensus, sine respectu personarum

personarū omnes esse gratos Deo propter fidem, quam  
 in eum habent. Timere Deum & operari iusticiam  
 possunt & sic intelligi, ut per operationē iusticiæ fides  
 intelligas, per timorem Dei omnia fidei bona opera. Si  
 quidem operari iusticiam, hic nihil est aliud, quàm fide  
 ad iusticiam credere: nam sine fide iusticiam corā Deo  
 ualentem nemo operari potest. Timere autem Deum,  
 est uerus Dei per fidem ad iusticiam cogniti & suscepti,  
 cultus, & fons omnium bonorū operum: iuxta illud.  
 Timor domini initium sapientiæ est: id est, omnium eorū  
 quæ sapit Christianus, & præstat sapienter ad pla-  
 citum Dei. Et ad hunc modum, hic præsens locus, com-  
 plexio est causæ & effectus, id est, fidei & bonorum  
 operum: ut sit sensus, omnes gratos esse Deo, qui in eum  
 credunt pro iusticia, & postea iusti facti, bene operan-  
 tur. Sine fide enim & accepta iusticia, nec personæ nec  
 opera placent Deo: iuxta illud. Quicquid sine fide fit,  
 peccatū est. Item Impossibile est placere Deo sine fide.  
 Nihil refert etsi hic præponatur timor Dei operationi  
 iusticiæ, cum Lucas etiam in more habeat, sæpe pone-  
 re opera sine causis, quas permittit lectori colligendas,  
 ut res per se alioqui apertas.

Timere Deum est cognitum & susceptum Deum fide  
 cultu in uerbo præscripto, hoc est, bonis operibus, quæ  
 præcipit

præcepit deus, prosequi ac colere. Sunt qui hunc locum de operibus tantum intelligunt, & operari iusticiam exponunt, promereri iusticiam ex operibus: sed uideant ipsi, quàm foeliciter disputent de effectibus, sine præcedentibus causis: item, quàm pie tribuant effectibus, quod solius causæ est.

Quanquàm & tectius sensus huic loco sic addi potest: timere deum sæpe ponitur in scriptura pro fide deo, sicut & diligere deum: ergo timere hic fide est, & operari iusticiam, est per bona opera de accepta per fidem iusticia, testari.

Acceptus est illi: propter fidem, & accepta sunt deo opera personæ fide iustificatæ. Non enim accepta sunt opera, nisi prius fide accepta sit personæ.

Verbum misit deus filiis Israël.

Locus de reuelatione Euangelij, in quem incidit Euangelij definitio, quod est uniuersalis doctrina, annuncians omnibus credentibus per Iesum Christum pacem. Verbum: intelligit Euangelium, seu uerbum Euangelij. Integram Euangelij methodum hic habes, sicut & ad Collos. 1.

Misit: notat causam reuelati Euangelij, ipsam gratiam, & excludit meritum, ad Ephes. 1. iuxta diuinitas gratiæ suæ, de qua ubertim nobis impartiuit, in



omni sapientia & prudentia, patefacto nobis arcano voluntatis sue, iuxta beneplacitum suum, quod proposuerat in semetipso, usq; ad dispensationem plenitudinis temporum, ut summam instauraret omnia per Christum, &c. Deus: commendat Euangelium ab auctore deo. Enthymema. Euangelium misit deus: Ergo Euangelium sana & certa est doctrina. Filijs Israel: salus ex Iudeis est, & prima gratia Iudeis facta est: item, Iudeis primitus reuelatum est clarè Euangelium. Alludit Christus ad primam Euangelij reuelationem Iudeis factam, quando inquit ad Syrophoenissam: Non est honestum sumere panem filijs & dare canibus.

### Annuncians pacem.

Effectus Euangelij est annunciatio pacis. Pax hic ponitur ut res cognata & pro iusticia: nam pax iusticie tantum res cognata est, ad Rom. 5. iustificati igitur fide, pacem habemus per dominum nostrum Iesum Christum. Pacis annunciatione intelligit Petrus simul omnes alios Euangelij effectus, ut iusticiam, remissionem peccatorum, uitam eternam, &c.

### Per Iesum Christum.

Notat personam ob quam contingit pax per Euangelium. Ea Christus est, per quem contingit pax, ad Rom. 5. Pacem habemus per dominum nostrum Iesum Christum

Christū. Nota extra Christum non esse pacem. Item, ostendit Petrus, per has uoces, per Iesum Christum, de qua persona sit Euangelij doctrina, & per quam Pax Euangelij effectus contingat.

**Hic est omnium dominus.**

Occupatio necessaria, qua anteuortit Petrus tacitas gentiū cogitationes, quæ sic cogitare potuerunt. Deus Israël uerbū misit, annuncians pacem per Iesum Christum: Ergo deus Israëlitis tantū uult dare pacem per Iesum Christū, nō nobis gentibus. Respondet Petrus occupatiuē: hic est omniū dominus, id est, deus pater non tantū Iudæis uult dare pacem per Christū Iesum, sed & gentibus: item, Iesus Christus uniuersalis saluator esse debet, pro Iudæis & gentibus simul: tandem Euangelium est uniuersalis doctrina pro omnibus.

**Vos scitis, uerbum quod prædicatum est per uniuersam Iudæam, &c.**

Confirmatio Euangelij missi seu reuelati, à testibus, rumore, et fama: item à locis in quibus prædicatū est. Scitis: ex rumore & fama. Verbū quod prædicatū est per uniuersam Iudæam, inceptum à Galilæa post baptismum quem prædicauit Ioannes: hæc omnia periphrasticiōs circumloquuntur Euangelium, & huius apertam prædicationē. Enthymema. Euangelium prædicatum

prædicatū est per uniuersam Iudæam: & inceptum à Galilæa, &c. Ergo Euangelij reuelatio uos non latet. Per uniuersam Iudæam alludit: ad primam Euangelij gratiam Iudæis factam: item, amplificat uerba illa: per uniuersam Iudæam, &c. gratiā Iudæis præ gentibus factam. **Inceptum à Galilæa.**

Marci 1. Postquàm autem comprehensus esset Ioannes, uenit Iesus in Galilæam, prædicans Euangelium regni dei, &c. Galilæam gentium intelligit, in qua cepit Iesus suam prædicationem in consolationem & gentes aliquando uenturas ad Euāgelij gratiā, Matthæi 4. Cum audisset autem Iesus, quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam: & relicta Nazareth, profectus habitauit in Capernaum, quæ est ciuitas maritima, in finibus Zabulon & Neptalin, ut impleretur quod dictum fuerat per Esaiam prophetam, dicentem: Terra Zabulon & Neptalin, iuxta uiam maris, ultra Iordanem, Galilæa gentium. Populus qui sedebat in tenebris, &c.

**Post baptismum quem prædicauit Ioannes.**

A circumstantia temporis confirmat Euangelium reuelatum ac missum esse, & recto ordine prædicatum. Enthymemata. Euangelium prædicatū est post baptismum

baptismum iohannis: Ergo Euangelium reuelatum ac missum est. Aliud.

Euangelium post baptismum iohannis prædicatū est.

Ergo Euangelium recto ordine prædicatum est. Ratio recti ordinis est, quia oportuit iohannem præcurso-rem præcedere, poscentibus sic prophetarum uaticinijs Esaiæ. 40. & Malach. 3. & 4.

Obiter facit Petrus mentionem baptismi iohannis, ut ostendat prædicationem poenitentiae ad Euangelij prædicationem necessariam esse: imò hoc esse prædicare Euangelium, poenitentiam prædicare cum remissione peccatorum. Baptismi uoce simul intelligit & doctrinā iohannis, cuius signum fuit baptismus.

Iesum à Nazareth unxerit deus spiri-  
tu sancto & uirtute.

Hyperbaton obscurum facit locum. Erasmus scribit quedam exemplaria sic legere  $\omega\varsigma \epsilon\chi\rho\iota\sigma\tau\omicron\upsilon\varsigma \acute{\alpha}\nu\tau\omicron\upsilon$ , id est, quomodo unxerit eum: & sic coherent omnia per repetitionem. Et uos scitis, quomodo Iesum à Nazareth unxerit Deus. Quidam sic,  $\acute{\alpha}\nu\tau\omicron\upsilon \epsilon\chi\rho\iota\sigma\tau\omicron\upsilon \acute{\alpha}\nu\tau\omicron\upsilon$ : quem unxit eum: & hac lectione, respiciendum est ad superiora. Per Iesum Christum: scilicet, quem ipsum unxit etc. Locus præsens de unctiōe Christi est confirmatio contra scandalum uilis & contemptæ personæ  
P Christi



Christi in speciem, quasi sic argumentetur Petrus.

Iesum unxit deus spiritus sancto & uirtute :

Ergo Iesus quanquam contempta & uilis persona  
tamen placet deo. Aliud

Iesum unxit deus spiritus sancto & uirtute : Ergo  
Iesus placet deo & est magna persona in conspectu dei

Aliud. Iesum unxit deus spiritus sancto & uir-  
tute : Ergo Iesus potens fuit benefacere omnibus, san-  
nare & saluare omnes à diabolo.

Quare occupatione ferè coherent hæc, ne quia Iu-  
dei contempserint Iesum, uilitate & contemptu perso-  
næ eius offensi, similiter & gentes Iesum contemnunt, uili-  
tate & contemptu personæ eius offensi.

Diligenter laborat Petrus, ut infirmis conscientijs  
medeatur, & conseruet eas ab offendiculis.

A Nazareth : uilem & contemptam personam in  
speciem, & quæ credita est purus homo esse. In Nazare-  
th nutritus est Christus, Lucæ 4.

Vnxit deus : Psalmo 44. præ consortibus suis.  
Nam Psalmus ille agit de unctione Christi regis, quem  
deus extulit præ omnibus suis consortibus, & dedit illi  
uirtutem super omnem uirtutem, nomen super omne no-  
men. Vngi Christum spiritus sancto & uirtute, est Chri-  
stum accipere spiritum sanctum in ductorem & prote-  
ctorem

florem, & est eum repleti donis spiritus sancti, uirtutibus & efficacis, ad facienda miracula, ad sanandum homines oppressos diabolo, & ad liberandum totum humanum genus. Et in hunc sensum Esaias quoque cap. 61. loquitur de Christi unctione. Spiritus domini super me, eo quod unxerit me. Ad annuncian- dum mansuetis misit me, ut mederer contritos corde, & predicarem captiuis penitentiam, & clausis apertionem, & predicare animam placibilem domino, & diem ultionis deo nostro ut consolarem omnes lugentes, ut ponerem fortitudinem lugentibus Sion, & dare eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris, etc.

Exponit & Esaias cap. 11. aliquo modo ad nostram sententiam unctionem Christi, dicens. Et requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientie, & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientie & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini. Non secundum uisionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium audiet, &c. Spiritus sancto & uirtute: ut spiritum sanctum habeat rectorem, ductorem et protectorem: & repleatur donis eius uarijs. Spiritus sancto unctus est Christus à deo: ergo non secundum uisionem oculorum iudicabit, sicut Esaias dixit, neque secundum auditum aurium audiet, quem-  
 a. modum mundani reges. Per uirtutem intelligo omnia

dona spiritus sancti, quibus repletus est Christus.

Quod Petrus hic dicit, Christum unctum esse spiritu sancto & uirtute, David Psal. 44. exprimit oleo lœtitiæ, per quod omnes boni Theologi intelligunt spiritum sanctum & dona eius.

### Obambulauit benefaciendo.

Sequuntur effectus Christi spiritu sancto & uirtute uncti. Enthymema. Christus spiritu sancto & uirtute unctus fuit à deo: Ergo Christus potuit benefacere alijs, & sanare oppressos diabolo. Plura enthymemata huius negotij, uide paulo ante à me posita.

Obambulauit: notatur studium Christi, unà cum diligentia, in commisso sibi officio. Benefaciendo: in genere complectitur omnia beneficia Christi.

### Et sanando omnes oppressos à diabolo.

Distributio quedam beneficiorum Christi in species, ex uno beneficio intelligens omnia alia.

Quicquid de officijs Christi habet utrumque Testamentum, Petrus his duobus, uno generali, altero speciali expressit. Et sanando omnes: uides hic quid Christus sit: nimirum uniuersalis rex pro omnibus hominibus, benefaciens omnibus, et sanans omnes oppressos diabolo. Omnes: sine respectu circumstantiarum.

Oppressos à diabolo : in corpore & anima à diabolo obsessos. Exaggeratur potentia diaboli, ut clarius innotescat potentia Christi, qui tam potentē hostē expugnare potuit. Quoniā deus erat cum illo.

Actiologia, quod Christus potuerit benefacere omnibus & sanare omnes: sumpta à præsidio dei patris.

Enthymema. Cum Christo erat deus : Ergo Christus potuit benefacere omnibus, & sanare omnes oppressos à diabolo. Idem est usus huius actiologiæ atq; præcedentis unctionis Christi : nimirū Christum quamquam contemptam personam, tamen potuisse benefacere omnibus & sanare omnes. Vult ergo inferre Petrus, ne gentes scandalizentur uili ac contempta persona Christi, qui tamen est filius dei, & potens est sanare omnes, & ille est deus, etsi foris non appareat.

Et nos testes sumus omnium  
quæ fecit in regione  
Iudæorum.

Alia confirmatio gentium contra scandalum dubitationis de effectibus seu operibus Christi, à testibus, qui uiderunt Christum obambulare, benefacere omnibus, & sanare omnes. Enthymema. Omnium quæ fecit Christus in regione Iudæorum & Ierusalem, nos testes sumus : Ergo omnium quæ fecit Christus in re-



gione Iudeorum & Ierusalem, certa sunt.

Quem occiderunt suspenden-  
tes in ligno.

Vili ac contempta eius persona offensi Iudæi, nō sus-  
ceperunt Christum, neq; crediderunt Euangelio.

Postponit Petrus suspensionē Christi beneficijs eius  
ut exaggeret ingritudinem Iudeorum erga tam phi-  
lanthropum Christum & beneficum: & faciat gentes  
admirari Christum atq; suspicere.

Facit & Petrus hic mentionem mortis Christi, ut pa-  
ret sibi aditum ad Christi gloriam ob oculos ponenda  
dam, quæ est mortem eius secuta.

Suspendentes in ligno: contemptissima morte adfice-  
ntes eum.

Hunc deus suscitavit tertia die.

Hactenus enarravit Petrus cursum totius uitæ Chri-  
sti, quomodo missus fuerit, mundo innotuerit, quid fecerit,  
& quomodo perierit: porro recenset, quid mortem Christi  
secutū fuerit, quæ gloria, quæ uictoria, qui triumphus, &c.  
Hæc sequentia de exsuscitatione Christi ferè coherent  
occupatione, ne quia gentes audierunt Christum in ligno  
suspensum esse, putent iam de Christo actum esse. Tota doctrina  
Euangelij ex præsentē oratione Petri, in duobus cōsistit, in explicatione  
mortis et resurrectionis

resurrectionis Christi, & causarum atq; effectuum utriusq; Hunc: quoniam à iudeis in ligno suspensum.

Deus: nam suscitatio Christi potentie dei patris opus est, ad Ephes. 1. & ad Rom. 4. & 6.

Suscitavit: ostendit Christum potentibus hostibus fuisse oppressum: nimirum peccato, diabolo, morte, &c. Tertia die: circumstantia temporis certam reddit historiam.

### Et dedit eum manifestum fieri

Id est, fecit eum apparere, in signum quod uerè resurrexisset, & in hoc ut nos discipulos suos cōfirmaret, & certos redderet de sua resurrectione.

Sed quomodo Christus suis Apostolis apparuerit, passim docent Euangelistæ in fine suorum Euangeliorum.

### Non omni populo.

Et hæc faciunt ad historię certitudinem, quæ certa est, etsi Christus non apparuerit omni populo. Nō omni populo apparuit Christus, sed credentibus tantum.

### Sed nobis testibus præordinatis à deo.

Christus frequentius apparuit post suam resurrectionem Apostolis: interim tamen & hoc uerum manet, quod & alijs apparuerit personis Christus quæ non fuerunt Apostoli ueluti mulieribus, &c.

Nobis testibus: scilicet, qui debuimus toti mundo de resurrectione Christi testari. *Lucæ. 24.* Vos autem estis testes horum &c. Præordinatis à Deo: in hoc ut testemur de resurrectione Christi.

**QUI** manducauimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis.

In signum Christum uerè resurrexisse. *Enthymema*

Post resurrectionem Christi manducauimus & bibimus cum illo: Ergo resurrexit Christus uerè.

**Et præcepit nobis.**

Occupatio, ne cogitent gentes, Apostolos & sic ipsum Petrum, præter mandatum se ad testandum de resurrectione Christi ingressi. *Enthymema.*

Nobis præcepit Christus, ut testaremur de resurrectione eius: Ergo nos ad testandum de illa non ingressi sumus nos: Et præcepit. *Marci. 16.* Ite in mundum uniuersum, & prædicate Euangelium omni creature &c: *Matthæi. 28.* Euntes ergo docete omnes gentes &c.

*Acto. 1.* Et eritis mihi testes &c. *Lucæ. 24.* Prædicate sub nomine meo poenitentiam &c. Nobis: singulariter ad hoc deputatis. Populo: in genere omni sine dilectu. Est enim populus hic uox generis denotans Iudeos & gentes simul. Cernis hic Apostolos & sic prædicatores in genere esse testes uniuersales pro omnibus hominibus

minibus, quod Christus sit constitutus à Deo iudex uiuorum & mortuorum. Et iustificare.

Tanquàm qui spectatores fuimus, omnium eorum, quæ fecit Christus, & quæ circa Christum contigerunt Ioannis. 15. Quin & uos testes estis, quia ab initio mecum estis. Potest & uox testificari sic accipi: id est, uerò testimonio approbare, & miraculis confirmare ea, quæ & fecit Christus, & quæ circa eum acciderunt. Testificari uehementius quid sonat, quàm prædicare.

Quod ipse sit.

Et non alius. Ipse magnam habet emphasim.

Qui constitutus est à deo iudex uiuorum & mortuorum.

Id est, à Deo ipso proclamatus & ordinatus, sapientia, iusticia, sanctificatio, & redemptio nostra. Enthymemata. Christus à Deo constitutus est iudex uiuorum & mortuorum: Ergo Christus est filius Dei iustificator, saluator &c: ergo non est contemnendus &c.

Qui constitutus est: effectus seu fructus resurrectiõnis Christi, de quibus consule Psal 81. ad Ephes caput, & . 1. ad Col. 1. ad Ephes. 1. Et sedere fecit ad dexteram suam in coel: stibus, supra omnem principatum ac potestatem, & uirtutem, & dominium, et omne nomen &c ad Col. 1. Qui est principium primogenitus ex mortuis



ut sit in omnibus ipse primas tenens &c. Iudex uiuorum & mortuorum: unam Christi gloriam aut unam partem gloriæ eius ponit pro tota gloria, quæ est mortæ Christi secuta. Viuorum & mortuorum: & sic in genere omnium hominum.

**Huic omnes prophetæ testimonium perhibent.**

Occupatio, ne putent gentes, Apostolos pro se testari, quod Christus à Deo constitutus sit iudex uiuorum & mortuorum, addit & testimoniū prophetarum eadē de Christo simul testantium. Continet autem occupatio hæc confirmationem testimonij Apostolorum de Christo. Enthymema. Prophetæ simul testati sunt, Christum esse iudicem uiuorum & mortuorum, saluatorem & iustificatorem omnium hominum in eum credentium, à Deo constitutum: Ergo nostrum testimonium de Christo quod sit à Deo constitutus iudex uiuorum & mortuorum, saluator & iustificator, uerum est.

Nota quid sit testamentum uetus: nimirum testimonium de Christo, quod per nomen eius accipiant remissionem peccatorum, omnes qui credunt in eum. Nota & quid prophetæ sint: nimirum uniuersales testes de Christo Iesu, quod omnes in eum credentes, accipiant remissionem peccatorum per nomen eius. Disces quoque hic uerum sum

sum quendam totius ueteris testamenti & omnium prophetarum, qui est testari de Christo, quod homines in eum credentes, accipiant per nomen eius remissionem peccatorum. Discas & hic uetus testamentum nihil diuersi à nouo docere. Et Christus dixit Matthæi. 5. Non ueni soluere legem sed adimplere: id est, non ueni diuersum à lege & prophetis docere. Omnes prophete: prophetarum omnium idem est de Christo testimonium.

**Quod remissionem peccatorum accipiant per nomen eius.**

Proclamatur his uerbis Christus salus, sapientia, iusticia, sanctificatio, & redemptio nostra. Accipiant: ergo ex se non adferunt, nec propter sua aut opera aut merita accipiunt. Per nomen eius: & his excluditur meritum operum. Enthymema. Per nomen Christi accipimus remissionem peccatorum: Ergo non per nostra opera aut merita.

Per nomen eius: id est, propter nomen Christi.

**Omnes qui credunt in eum.**

Gratia Christi seu Euangelij uniuersalis est pro omnibus. Habes hic definitionem ecclesie, que est uniuersalis congregatio, omnium eorum, qui credunt in Christum.

Qui credunt in eum: dixit Petrus remissionem peccatorum contingere per nomen Christi: addit nunc  
medium

medium, quo apprehenditur nomen Christi ad remissionem peccatorum, quod est fides, cuius obiectum est nomen Christi, promissio de Christo, gratia & misericordia Christi.

## OBIECTIO.

Gratia Christi seu remissio peccatorum per Christum uniuersalis est, qui ergo fiat, quod non omnes remissionem peccatorum accipiant & saluentur?

RESPONSIO. Quia non omnes credunt Christo. Hic uero ait Petrus. Omnes qui credunt in eum, accipiunt remissionem peccatorum per nomen eius. Ioannis 1. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis, ut liceret filios dei fieri, uidelicet his, qui credidissent in nomen ipsius. Credere in Christum, est certa fiducia statuere, nos per nomen Christi accipere remissionem peccatorum.

Adhuc loquente Petro uerba hæc.

Quod spiritus sanctus cecidit super omnes, qui audiebant uerbum: propterea factum est, ut auditores uerbi inde de auditis confirmarentur & obfirmarentur: ite uarijs spiritus sancti donis replerentur, sicut & accidit loquentes linguis & magnificantes deum.

Quia spiritus sanctus cadit post prædicationem Petri super auditores uerbi, id significat, externum uerbi ministros

ministerium absq; incremento esse, sine spiritus sancto: et uel iuxta illud etiã 1. ad Corinth. 3. Ego plantaui, Apolos rigauit, sed deus dedit incrementum.

Potest & casus spiritus sancti post prædicationem Petri, hic esse usus, quod deus aperto miraculo uoluit ostendere, sibi Petri prædicationem placere, & eos benè facere, qui credunt prædicationi à Petro factæ.

Tandem & hic usus esse potest casus spiritus sancti ut deus aperto miraculo declararet, & gentes placere sibi, atq; in gratiã recipi posse. Cecidit: siue uisibiliter, siue inuisibiliter incertũ est: quanq̃ spiritum sanctũ uisibiliter cecidisse credibilius sit, sicut & Matth. 3. ad baptismum Christi cecidit, & Acto. 2. super Apostolos.

Super omnes: in hoc, ut confirmarentur & obfirmarentur de audito uerbo: item dona acciperent: uel etiã propter alias plures causas, de quibus paulo ante.

**Et obstupuerunt ex circum-**  
**cisione fideles, qui uene-**  
**rant cum Petro.**

Stupor hic effectus est ignorantie, ex qua statuunt credentes Iudæi, gratiam Euangelij ad se solos, & non ad gentes pertinere.

**Quod in gentes donum spi-**  
**ritus sancti effusum est.**

Adijcit



Adiicit stuporis causam ex qua obstupescere fideles ex circumcissione coeperunt. Quod in gentes donum spiritus sancti effusum est : id est, quod gentes ad Euangelij gratiam suscipiuntur, & de illa per spiritum sanctum confirmantur & obsignantur, simulq; uarijs spiritus sancti donis replentur.

**Audiebant enim illas loquentes  
linguis.**

Alia etiologia stuporis per expolitionem addita. Enthymema. Iudaei audiunt gentes loqui linguis et magnificant Deum : Ergo Iudaei obstupescunt. Loquentes linguis : confitentes aperte Euangelij gratiam, de qua antequam acciperent spiritum sanctum gentes, tacebant. Quid sit linguis loqui, satis monui supra capite. 2. quae huc referri possunt.

Locutione linguarum ut uno spiritus sancti dono, intelliguntur & reliqua plura. Et est sensus uerborum : audientes eos loquentes linguis : id est, utentes donis spiritus sancti uarijs.

**Magnificantes deum.**

Glorificantes Deum & gratias illi agentes, quod et ipse ab alienati à republica Israëlis, & extranei à testamenti promissionis, Deoq; carentes in hoc mundo, contigissent ad Euangelij gratiam, & dona spiritus sancti accepissent

Debet

Debet & hic tractari questio, qui spiritus sanctus dari potuerit ante baptismum? Respondetur. Spiritus sanctus non ligatur ad certa tempora, nec una uice dat dona sua, sed sensim ac sensim, quando uult, & cui uult.

Ligant spiritum sanctum ad circumstantiam temporis, qui putant eum non posse dari ante baptismum. Diuersum exemplum hic habemus, quod illis temporarijs opponi debet.

Tunc respondit Petrus.

Quaquam Petrus iam certus sit de gentium uocatione ad Euangelium: item, cognorit gentes magnum habere erga Euangelium studium: item, uiderit spiritum sanctum cadere super gentes & repleti eos spiritus sancti donis: tandem confirmatos esse & ob signatos per spiritum sanctum de Euangelij ueritate: tamen nunc urget baptismum, tanquam necessarium ad salutem signum. Errant itaq; ualde contemptores signorum, qui obgannunt illa superuacanea esse.

Numquis prohibere potest, ut non baptizentur, hi aqua, qui spiritum acceperunt, sicut & nos?

Questio de baptismo gentium, quem Petrus & pro gentibus uniuersale signum facit, sicut & alia omnia. Necessitatem

Necessitatem baptismi hic diligenter specta, ne tantum signum temere contemnas. Enthymema.

Baptizari iussit Petrus eos, qui acceperunt spiritum sanctum: Ergo baptismus non est superuacaneum signum. contra Anabaptistas hinc fortissimum argumentum sumi potest.

Qui spiritum sanctum acceperunt, baptizari debent.

Infantes possunt spiritum sanctum accipere:

Ergo infantes baptizari debent.

Maior aperta est ex uerbis Petri. Minor sic patet. Spiritus sanctus non ligatur ad aetatem aut certa tempora, sed quem aequè bene infantes accipere possunt, atq; adulti. Conclusio ex certis propositionibus, maiore & minore certa est.

Et iussite eos baptizari in nomine domini.

Ipse non baptizat, ut uideas etiam apostolorum temporibus, in ecclesia distincta officia fuisse, nec uniuersa fuisse imposita, sicut hodie fit, sed non sine magno dispendio ecclesiae. Ex distinctione officiorum potest & locus. i. ad Corinth. i. intelligi, quo ait Apostolus. Non enim misit me Christus ut baptizarem, sed ut euangelizarem. Baptizari: ut signaculum iusticie fidei haberent, quo de promissionibus Dei & gratia admonerentur.

monerentur per totam uitam, & in tentationibus pro-  
uocarentur ad fidem. Siquidem hic signorum usus est,  
ex descriptione circumcisionis ex 4. cap. ad Rom.

In nomine domini: in nomine totius Trinitatis, cui ap-  
pellatio domini communis est: idem ergo est baptizari  
in nomine domini, & in nomine patris, & filij & spiri-  
tus sancti.

Tunc rogauerunt eum, ut ma-  
neret apud eos ali-  
quot dies.

Exemplum gratitudinis & humanitatis in baptiza-  
tis gentibus erga Petrum. Est quoq; in iisdem exem-  
plum uehementis feruoris pro audiendo uerbo, quod ut  
porro audire possint, rogant Petrum, ut maneat apud  
eos aliquot dies. Verū hic fit dictum, quod extat Eccles.  
24. Qui edunt me (inquit sapientia) adhuc esurient,  
& bibunt me ad huc sitient.

C A P V T X I.

**S**equens hoc caput, uocationem gentium in præce-  
denti capite diligenter descriptam, nunc late fuseq;  
spargit, ut innotescat & alijs, Euangelij gratiam ad  
gentes pertinere. Est itaq; hoc caput propagatio uo-  
cationis gentium in Iudeos, necessaria quidem: nam  
Iudæi uel ex lege etiam, fugiebant gentium consortium,  
& habebant



et habebant eos pro prophanis hominibus, hoc est, in  
circumcisis, ab alienatis à republica Israël, extraneis  
à testamenti promissionis, carentibusq; in hoc mundo,  
deo, ad Ephesios secundo.

**Audierunt autē Apostoli & fratres.**

Autem cōnectendi particula est. Audierunt: ex ru-  
more et fama. Apostoli et fratres: periphrasis eccle-  
siae Iudaicae. Quod & gentes rece-  
pissent uerbum dei.

Id quod auditu ingratum fuit in auribus Iudeorū,  
in sua prerogatiua gloriantium, de qua uide Aposto-  
lum, ad Ro. 3. in initio capitis, ad Ro. 9. et ad Ephes. 2.

Et gentes non habentes oracula dei ad Ro. 3. non  
adoptionem et gloriam, non testamenta, non legis con-  
stitutionem, non cultum, non promissiones, non patres,  
ad Ro. 9. non circumcisi, sed praeputium, sine Christo  
homines, ab alienati à republica Israël, extranei à tes-  
tamenti promissionis, spem non habentes deoq; caren-  
tes in mundo, ad Ephes. 2.

Et gentes: cum stupore et admiratione haec efferunt.  
Receperunt uerbum dei: crediderunt Euangelio.

Cum autem ascendisset Petrus Hie-  
rosolymā, disceptabant aduersus illū.

Exemplum ignorantiae in his Iudaeis, qui ignorant  
Euangelij

Euangelij gratiam uniuersalē esse, & regnum Christi non uenire cum obseruatione, hoc est, non esse ad ullas circumstantias ligatum. Disceptabant: ex ignorantia, & zelo, sed non secundum scientiam. Disceptabant: id est, serio conferebant cum Petro, ut cum illo, qui non leuiter peccasset. Error Iudaorum non leuis est, cuius magnitudo monet nos, etiā Christianos suscepto Euangelio, tamen infirmisimos esse posse, & grauissime errare. Quare hic error ecclesie Iudaicæ, referendus est ad infirmitatē ecclesie quæ infirmitati semper est obnoxie. Commodū responsum dari potest ex hoc errore Iudaicæ ecclesie, illis, qui his temporibus, extremā & absolutam perfectionē ecclesie requirunt, quam cum non uident statim sequi ecclesiam, damnant eam, & temerarijs suis linguis proscindunt.

### Qui erant ex circumcisione

Periphrasis Iudaicæ ecclesie. Ex circumcisione: in qua gloriabantur Iudæi præ gentibus, & ex qua studebant gratiā ad se solos pertinere. Iudæi hi illorum typum gerunt, qui propter prærogatiuā carnis, aut quā habent in carne, excludunt alios à gratiā dei, corā quo nulla est prærogatiua, sed qui æquē omnibus timentibus eum, & operantibus iusticiam, deus est.

Dicentes. Ex prærogatiua carnis moti.

Quare introisti ad uiros preputi um  
habentes, & manducaſti cum illis

Quæſtio de cauſa annunciati Euangelij gentibus in-  
circumciſis, extraneis à teſtamenti promiſſionis &c.

Non tamẽ quærent Iudei credentes, quia ante ſe car-  
nis prærogatiuam habent, oracula, teſtamenta, & pro-  
miſſiones dei: item, legem dei de uitando gentium con-  
ſortio. Accuſat Iudaica eccleſia Petrum hac quæſti-  
one, tanq̃ illũ, qui grauiffimẽ deliquit contra legem dei  
& Iudeorum prærogatiuam. Ad uiros preputium  
habentes: cum contemptu quoq; hæc dicunt, hoc eſt, ad  
illos uiros, qui incircumciſi ſunt, non habentes oracula  
dei, non teſtamenta, non promiſſiones, non cultum, non  
patres &c. Et manducaſti cum illis? contra legem  
deide uitando gentiũ conſortio, & nõ edendis immun-  
dis animalibus, quæ edunt gentes. Oſtendit Iudaica ec-  
cleſia hac quæſtiõe, ſe nondũ libertatẽ Euangelij intel-  
ligere, neq; regnũ Chriſti, quod nõ eſt particulare pro  
uno certo populo, ſed uniuerſale pro omnibus homini-  
bus: præterea, q̃ non eſt cilus neq; potus, ad Rom. 14.

Incipiens autem Petrus, exponebat  
illis ordine, dicens: Exemplum ueri zeli  
pro uera pietate in Petro eſt, qui turbatores ueræ pieta-  
tis, ad meliora inſtituit, id quod charitatis eſt, quæ dili-  
gens eſt.

gens est, ut errantes fratres in uiam reducat. Iudaicam ecclesiam persistentem in sua prerogatiua, et facientem gratiam Euangelij particularē: regnū Christi particulare, et sic quicquid pertinet ad regnum illud. Petrus suo responso arguit et eam rectius instruit, docens, coram deo nullam esse prerogatiuam, sed deum esse pro omnibus hominibus uniuersalem deum: Euangelium esse uniuersale, regnum Christi, et omnia quae ad hoc regnum pertinent: item, regnum Christi non esse ligatum ad ullas circumstantias: non uenire regnum Christi cum obseruatione: non esse regnum Christi cibum ac potum &c.

Nihil noui producit Petrus, in suo responso, pro cōsutatione erroris Iudaicae ecclesiae, sed contemptus est sua uisione, quam prius uidit, in hoc, ut certus redderetur, Euangelij gratiā esse uniuersalē, et deum non solum Iudeorum, uerū et gentium deū esse. Ex repetitione historiae nihil decedit ei, nisi in quantum attinet ad mutationem status orationis. Usus autē est tam equalis repetitionis ante actae historiae, ut sciamus scripturam sibi ubiq; similem esse, id quod facit ad certitudinē scripturae. Quae supra copiose dixi ad uisionem Petri, ea huc referri debent: nam animus est supra explicata, hic obiter tantum percurrere.

Incipiens: gloria Euangelij et charitate erga errantē ecclesiam



ecclesiam motus. Exponebat illis ordine: ut ex certo ordine melius omnia intelligerent, quæ esset dicturus Petrus de uniuersali Euangelij gratia. Commentatur in prædicatoribus ordo, qui ut i præsens adest, multum adfert utilitatis, ad melius atq; rectius instituendum imperitum auditorum uulgus.

Ego eram in ciuitate Ioppe, orans.

Certam reddit historiam à circumstantia loci.

Orans: pro propagatione Euangelij, pro scilicet Euangelij successu, & alijs rebus necessarijs.

Et uidi in extasi mentis meæ.

In extasim raptus fuit Petrus, qui debuit mysteria de gentiũ uocatione audire & cognoscere: ergo seria meditatione opus est, ad cognitionem mysteriorũ dei.

Descendens uas quoddam.

Simplex uisionis narratio, uti gesta est uisio. Uas hoc signũ est, e quo discere Petrus debuit, et gentes ad Euangelij gratiã pertinere: quare descendũ est, deum uarijs uti medijs, per quæ ducat homines ad sue uoluntatis cognitionem: nunc per uisiones apertas, nunc per signũ, nunc per uerbũ, nunc per alia atq; alia media.

Significationem huius uisionis, & quid sibi uelit uas hoc quasi linteum, supra explicauit. Interim paucis hic dico, uas quasi linteum, in quo sunt quadrupedia terre

terra, bestiae, & reptilia, & uolatilia caeli: significare gratiã Euangelij & ad gentes pertinere, & regnum Christi esse uniuersale pro omnibus hominibus.

**Surge Petre, maccha & manduca.**

Adhortatio ad credendum & gentes ad Euangelij gratiam pertinere, & regnũ Christi uniuersale esse, non in cibo aut potu consistere.

**Dixi autem: Nequaquam domine, quia omne commune aut immundum nunquam introiuit in os meum.**

Excusat his Petrus suam sollicitatem, quod non facile ad sensum præbuerit uoci adhortanti eum ad credendum, & gentes ad Euangelij gratiam pertinere.

Item fatetur Petrus his suis uerbis, quod in eodem errore cum Iudaica ecclesia steterit, gratiam Euangelij ad gentes non pertinere.

**Respondit autem uox de caelo: Quod deus mundauit, tu ne commune dixeris.**

Profert Petrus suam increpationem propter suum errorem, ut à longe ostendat, & Iudaicam ecclesiam, merito increpari propter similem errorem.

**Hoc autem accidit tertio.**

Diligenter hæc adiicit Petrus, ne uideatur temere præbuisse ad sensum, & et gentes pertineat ad Euangelij

gratiam: item, ut declaret hanc seriem esse dei uoluntatem, quo recipiantur & gentes in gratiam.

Et recepta sunt omnia sursum  
in coelum.

In hoc, ut significaretur, gentium receptionem ad Euangelij gratiam, singulariter placere deo.

Et ecce uiri tres confestim astiterunt in domo.

A Cornelio missi ex urbe Caesarea, sicut sequitur.  
Missi a Caesarea ad me.

Loci circumstantia certam reddit historiam.

Dixit autem spiritus mihi, ut irem  
cum illis, nihil haesitans.

Et haec signanter repetit Petrus, ad excusandum se de temeritate, quod ad uiros praepositos habentes introierit, & cum illis manducauerit &c. Q. d. Spiritus sanctus iussit me ire ad gentes: ergo nihil temere feci. Nihil haesitans: scilicet, et gentes ad Euangelij gratiam pertinere. Venerunt autem mecum & sex fratres isti.

Præterea & haec signanter adducit Petrus, ne uideatur temere, aut malo dolo ad gentes abiisse.

Narrauit autem nobis.

Pulchre huc quadrant & haec, ut sciat Iudaica ecclesia

pleſia, omnia ex ſingulari ordinatione atq; diſpoſitione dei facta eſſe, & Petrum nihil temere feciſſe: imò ex uoluntate dei uocatum eſſe, ut introiret ad gentes.

Qui loquetur tibi uerba, per quæ talis uis eris tu, & uniuerſa domus tua.

Translatio culpæ in eos, qui Petrũ uocârunt conſilio dei. Summa eſt horũ uerborũ, gentes per miniſterium uerbi cõtingere ad ſalutẽ, quæ ſumma ſcopus eſt 10 cap. ad Rom. Per quæ ſaluus eris: inſignis cõmẽdatio externi uerbi miniſterij, cõtra Anabaptiſtas.

Tu et uniuerſa domus tua: nota Petrũ uelle oſtendere, quod deus addiderit gentibus gratiã, anteq̃ ipſe inciperet prædicare gentibus, et cũ illis ſerio cõuerſari.

Cum autem cõepiſſem loqui.

Certus factus per ſpiritum, & Cornelij relationẽ, & gentes ad Euangelij gratiã pertinere: item, facta mea concione ad gentes.

Cecidit ſpiritus ſanctus ſuper eos.

In hoc, ut certus faceret gentes de ſua ad Euangelium uocatione, ut confirmaret & obſignaret gentes de Euangelij gratia, ut repleret illas donis, aperte & fiducialiter conſitendi Euangelium, &c.

Sicut & in nos in initio.

Viſibiliter & propter eodem fines, propter quos



Et nunc cecidit in gentes. Recordatus sum  
autem uerbi domini.

Quod ad Apostolos dixit supra cap. 1.

Verbum domini : de promissione spiritus sancti.

Ioannes quidem baptizauit aqua.

Locus est promissio de spiritu sancto, quam hic impletam esse, ait Petrus. Vide Scholia in primum Acto-  
rum caput. Ioannes quidem baptizauit aqua : id est,  
suo baptismo testatus est, credentes aliquando baptiza-  
tum iri spiritu sancto : id est, confirmari et obsignari  
per spiritum sanctum de ueritate uerbi. De discrimine  
baptismi Ioannis et Christi supra dixi capite 1.

Vos autem baptizabimini spiritu sancto.

Id est, confirmabimini et obsignabimini per spiri-  
tum sanctum de Euangelij ueritate. Si ergo.

Epilogus narrationis Petri de causis, ex quibus mo-  
tus fuerit, ad introcundum ad uiros habentes preputi-  
um, et ad manducandum cum illis.

Continet uero epilogus necessitatem, quam ex pre-  
dictis causis allegat. Enthymema. Gentibus eandem  
gratia dedit Deus atque iudeis. Ergo gentibus eadem  
gratia predicanda est, que nobis predicatur.

Valet argumentum a pari uocatione ad idem Euange-  
lium, et a paribus uocationis causis. Eandem gratiam:  
ut gentes

IN ACTA APOSTOLORVM. 603

ut gentes suscipiant idem Euangelium ad salutem, sicut  
& nos suscepimus. Dedit illis deus: ex dono.

Sicut & nobis: ex circumcisione. Nullam hic facit  
Petrus Iudeorum in carne prerogatiuam. Qui tra-  
didimus in dominū Iesum Christum: fidei obiecta per-  
sona, quam apprehendit ad salutem, Christus est.

Ego quis eram, qui possem pro-  
hibere deum?

A necessario seu impossibili probabilis, imò certa ex-  
cusatio. Enthymema. Deo nemo resistere potest: Ergo  
non ego resistere potui. Item. Gentibus deus uult præ-  
dicari Euangelium: Ergo gentibus prædicandum est  
Euangelium. His auditis tacuerunt

Fidei opus est tacere, & uoluntati dei acquiescere.

Tacuerunt: in signum uictarū conscientiarum de uer-  
itate. Et glorificauerunt deum

Gratias illi egerunt. Nam hoc est glorificare deū.  
Gratiarum actio seu glorificatio fidei opus est, quæ nõ  
potest ingrata esse ad misericordiam & beneficia dei.

Dicentes. Quas gratiarum actionis intus  
animus uoluit, statim foris confitetur.

Ergo & gentibus pœnitentiam de-  
dit deus ad uitam.

Sequitur propter quid glorificauerit Iudeorū eccle-  
sia, deum:

ecclesia, deum : nimirum, quia receperit gentes in gratiam. Pœnitentiam dedit : ut doleant & desistant de sua impietate. Dedit deus : pœnitentia donū dei est.

Ad uitam: ut credant Euangelio & uiuant. Habes hic quid sit pœnitentia : scilicet dolor de peccatis, & fides erigens se è peccatis ad uitam.

**Et illi quidem, qui dispersi fuerant in tribulatione.**

Est & in his dispersis exemplum ignorantie, qui adhuc ignorant Euangelij gratiam uniuersalem esse. Ex his dispersis intelligit Lucas & reliquos Iudeos, qui nondum ex Petro intellexerant, Euangelij gratiam uniuersalem esse.

**Quæ facta fuerat propter Stephanū.**

Propter confessionem Stephani, quæ tribulationis causa fuit.

**Peruenerunt usq; ad pœnitentiam.**

Ex fuga propter tribulationem.

**Nemini loquentes uerbum.**

Non otiose uagati sunt dispersi, sed confessi sunt uerbum : Anabaptistæ hodie & alij quidam nebulosones uagantur per orbem, non confitentes uerbū, sed sua priuata somnia, & speculationes priuatas. Loquentes uerbum : ecce uocale & audibile uerbum.

**Nisi**

Nisi solis Iudæis.

Ignaris Euangelij gratiã uniuersalẽ esse, regnũ Christi uniuersale, Euangelium uniuersalem doctrinam, &c.

Erant autem quidam ex eis uiri  
Cyprii & Cyrenenses.

Quod hi prædicauerint Euangelium gentibus, id sine dubio ex singulari dei reuelatione accidit, unde edocti fuerunt, Euangelij doctrinam uniuersalem esse pro omnibus hominibus. Hi Cyprii & Cyrenenses uerè intelligunt libertatem Christianam, ex qua statuunt regnum Christi & res ad hoc pertinentes, uniuersales esse pro omnibus hominibus.

Loquebantur & ad Græcos.

Tanquã participes eiusdẽ Euangelicæ gratiæ. Græcos gentes. Annunciantes dñm Iesum.

Communem & pro gentibus saluatorem. Euangelium ex hoc loco est annunciatio domini Iesu. Prædicatores eiusdem domini annunciatores sunt.

Et erat manus domini cum eis.

Deus dabat incrementum prædicationi illorũ & fortunabat ministerium uerbi apud gentes. Monemur uerbi ministerium non esse frugiferum, sine presidio domini, 1 ad Corinth. 3. Ego plantaui, Apollos rigauit, sed deus dedit incrementum.

Multusq;



Multisq; numerus credentium, conuersus est ad dominum.

Commendatur hac conuersione, multorum ad dominum, potentia uerbi, multos conuertere potens. Enthymema. Ad prædicationem uerbi multus numerus credentium conuersus est ad dominum: Ergo uerbi prædicati magna est potentia, cooperante domino. Disce ministerium uerbi per cooperationem domini efficax esse. Conuersus est ad dominum: suscepit Euangelium. Peruenit autem sermo ad aures ecclesiæ.

Incrementum ecclesiæ facile innotescit alijs creditibus, quia illud magna expectatione expectant.

Quæ erat Ierosolymis.

Vna est ecclesiæ catholica, uarijs locis dispersa: Sic Antiochiæ ecclesiæ fuit, sic Ierosolymæ, sic in alijs locis. Impium est ecclesiam ad certum unum locum ad ligare, aut eam ex loci alicuius dignitate æstimare.

De istis.

Scilicet, qui annuntiabant dominum Iesum Græcis gentibus in Antiochia.

Et miserunt Barnabam Antiochiam.

Iudaica ecclesiæ nunc non fuit offensa prædicatione Euangelij apud gentes, quia à Petro de gentium uocatione

catione edocta satis. Exemplum charitatis est in Iudæica ecclesia, quæ in consolatione mittit ecclesie Antiochensi Barnabam insignem & fidelem coadiutorem in uinea domini. Miserunt: in consolatione & subsidium, cum ecclesie Antiochensi, tum ministro uerbi.

**Qui cum peruenisset.**

Est quoque in Barnaba charitatis exemplum, qui non grauatur ecclesie nomine, tam longinquam iter subire. Verum ergo est, quod ait Apostolus. 1. Cor. 13. Charitas non quæ sua sunt, querit.

**Et uidisset gratiam dei.**

Positio cause pro effectu. Gratiam dei: id est, incrementum ecclesie gentium per gratiam dei. Recte uocat gratiam dei incrementum ecclesie gentium, quia ex sola gratia contigit.

**Gauisus est.**

Gaudium effectus est cogniti incrementi ecclesie gentium, & cognite gratie dei in gentes.

**Et hortabatur omnes in proposito cordis permanere in domino.**

Causa adhortationis in Barnaba est, quia non minor labor est tueri parta, quam acquirere. Siquidem cum magnis thesauris, simul contingunt et magni hostes.

Fecit & adhortari Barnabam ecclesiã Antiocheni-  
sem, naturalis illa securitas, quæ ad susceptũ Euange-  
lium sequi solet. Præterea quia uaria sunt auocamen-  
ta, quibus abduci à suscepto Euãgelio possumus: qua-  
re ecclesia Antiochensis opus adhortatione ad cons-  
tantiam habuit. Omnes: non unum aut alterum. Et  
reuera constantia omnes opus habent, quia à diabolo  
omnes agitantur. In proposito cordis permanere in  
domino: id est, corde constanter adherere suscepto  
Euangelio. In proposito cordis: constantiam cordis  
requirit Barnabas, non tantum constantiam exteri-  
ne conuersationis. Sic quidam & si foris adhereant  
Euangelio in speciem: tamen intus in cordibus defece-  
runt, quanquam interim non uolunt uideri defecisse.

Permanere: notat perpetuitatem. Et sicut Christus  
ait: Qui perseverauerit usq; ad finem, hic saluus erit.

Vult itaq; Barnabas Antiochenses constantes uer-  
bi auditores esse, non temporarios, qui ad tempus cres-  
cunt, donec bene audiat Euangelium, & postea ad  
persecutionem deficiunt. Hos Christus Matthæi 13.  
temporarios uerbi auditores uocat.

Erat enim uir bonus & plenus spi-  
ritu sancto & fide.

Actiologia & perfectionis Barnabæ, & diligentis  
eius

adhortationis ad constantiam, à probitate & pietate  
uir. Enthymema. Barnabas uir bonus fuit :

Ergo Barnabas profectus est Antiochiam, & ada-  
hortatus est Antiochenses ad constantiam & progres-  
sum in uerbo. Item.

Barnabas uir plenus spiritu sancto & fide fuit :

Ergo profectus est Antiochiam, & adhortatus est  
Antiochenses ad constantiam & progressum in uerbo.

Pertinent huc uulgaria quedam dicta. Qualis uir,  
talìa uerba. Qualis uir, talia opera & consilia. Vir bo-  
nus, non nisi ad bona hortatur. Vir malus, non nisi ad  
mala. Vir bonus : ex gratia bonus factus, & prop-  
ter fidem bonam persona bona Bonus : in genere ait.

Et plenus spiritu sancto & fide: distributio per ex-  
positionem, quæ addit causas bonitatis in Barnaba, quæ  
sunt spiritus sanctus & fides, & hæ effecerunt eum bo-  
num. Ratio commendandi sanctos hinc petitur, quæ  
consistit non in operibus externis, sed in spiritu sancto  
& fide ut causis omnium operum bonorum.

Iusticiarij operum impense gaudent & triumphant  
quando in scripturis legunt, sanctos à posteriori com-  
mendari : at hic eos tristari oportet, quia Lucas Barna-  
bam non à posteriori, hoc est, à bonis fidei operibus,  
sed à priori, id est, à spiritu sancto & fide, ut bonorum



operum causis, commendat. At obijciunt & hic bonitatem effectum preponi causis? Respondeo. Hoc nihil incommodi habet: nam etsi preponantur effectus, male tamen disputabitur de effectibus, nisi prius de causis egeris. Plenus spiritu sancto: id est, habebat plenarie spiritum sanctum rectorem, ductorem, & gubernatorem: postea & plenus erat uarijs spiritus sancti donis, maxime autem fide ornatus erat, ex precipuo spiritus sancti dono, Lucas colligens & alia uaria. Enthymema.

Barnabas spiritu sancto & fide plenus fuit: Ergo Barnabas potuit esse uir bonus.

Et addita est magna turba domino.

Additio hæc effectus est prædicationis Barnabæ adhortatoriæ, cõmendans nobis potetiam uerbi, per quod efficax est spiritus sanctus homines conuertere, idq; prædicatorum ministerio. Magna turba addita est domino: id est, credidit Euangelio. Locus communis est de incremento ecclesiæ, per ministerium uerbi, ad quod deus dat incrementum.

Profectus est autem Tarsum ut quæreret Saulum.

Et hæc profectio charitatis opus est in Barnabæ, qui Tarsum proficiscitur, ut quærat Saulum & secum Antiochiam

hiã abducatur, quò illius ministerio adiuuetur ecclesia & simul de suscepta ueritate cõfirmetur. Nam hic quidam usus est peregrinorũ ministrorũ in ecclesia. Cõmendatur quoq; in Barnaba studiũ pro plantatione ueræ pietatis, quæ ut plantetur, summo studio laborare debemus. Saulus Tarsi inuenitur, id est, in sua patria, ut uideas pietatis exemplum in Saulo erga patriã, quam Christo lucrificere sine dubio adnixus est.

Quem cum inuenisset pro-  
duxit Antiochiã.

In hoc, ut Saulus suo ministerio adiuuaret Antiochensem ecclesiam, & hæc eius ministerio de suscepta ueritate confirmaretur.

Et annum totum conuersati  
sunt ibi in ecclesia.

Circumstantia temporis commendat studiũ & diligentiam Barnabæ & Sauli in promouenda ueritate & pietate apud Antiochensem ecclesiam.

Conuersati sunt: diligentie ac studij uerbum, ne putes Barnabam & Saulum egisse otium.

Ibi: in ecclesia: non apud hos aut illos.

Enthymema. Barnabas & Saulus in ecclesia tã conuersati sunt: Ergo Barnabas & Saulus, nõ immiscuerunt se ciuilibus negotijs.

Et docuerunt turbam multam.

Exprimit Lucas in quo officio conuersatio Barnabæ & Sauli constitit: non in his aut illis expediendis, sed in docendo multam turbam. Enthymema.

Apostoli docuerunt turbam multam: Ergo Apostoli non immiscuerunt se ciuilibus, non inuitarunt turbam ad seditiones & tumultus, &c.

Turbam: nota quales auditores habeat Euangelium. 1. ad Corinth. 1. Non multi nobiles, &c.

Multam: exaggerat hæc uox incrementum ecclesie, & cõmendat doctrinam à multitudine auditorum.

Enthymema. Euangelij prædicatores Barnabas & Saulus, multos habuerunt auditores: Ergo euangelium est grata & potens doctrina.

Ita ut cognominarentur primum  
Antiochiæ discipuli, Christum

Quia apud Antiochiam multa erat ecclesia, ideo frequentia ecclesie effecit, ut à duce et autore ecclesie, nominaretur ecclesia, & sic ecclesie membra. Indictio nominis occasionem accepit ex frequentia ecclesie.

Enthymema. Ecclesia multa fuit:

Ergo ecclesia appellatione opus habuit, à qua appellaretur: item, præbuit occasionem nominis à duce suo.

Discipuli

Discipuli: sectatores & professores Christi magistri, doctrinae & uitae eius.

Christiam: ab autore & duce ecclesiae, qui Christus est. Vocantur itaq; Christiani, qui Christum ducem & saluatorem, eius doctrinam, & uitae mores sequuntur. Sicut Dominicis dicitur, qui Dominicum ducem & saluatorem sequuntur: item, doctrinam eius & uitae mores. Franciscani, qui Franciscum ducem, eius doctrinam & uitae mores. Platonici, qui Platonis personam suscipiunt, & doctrinam eius unam cum uitae moribus exprimunt.

Sunt autem huiusmodi appellationes cognitionis nomina, ex quibus notum fit, in cuius praecceptoris uerba quisq; iurauit.

Sed quia ecclesiae membra, sicut patet ex hoc loco, à Christo nomen accipiunt, & uocantur Christiani: quare sequitur non esse Christianos, qui uel Dominicum uel Franciscum, uel alios quoscunq; duces & saluatores habent. Praeterea quia hodie multae sunt sectae, nec unum commune nomen est omnibus ab uno Christo: igitur oportet pauci sint hodie Christiani.

In his autem diebus.

Cohærentia ex circumstantia temporis.

Superuenerunt.



Præter expectationem.

Ab Ierofolymis.

Loci circumstantia certam reddit historiam.

Prophetæ Antiochiam.

Ex diuina ordinatione ac dispositione missi. Nam prophetæ ipsi nõ currunt, nec quicquam ex priuato agunt, modo sint ueri prophetæ, qui spiritu dei ducuntur.

Prophetas intelligit hic Lucas eos, qui habuerunt singulares de rebus futuris, revelationes.

Sequens euentus de uaticinio famis per uniuersam terrarum orbem futura, commendat nobis singulari dei curam, quam habet pro suis, quos præmonet, ut sint tuti tempore famis.

Enthymema. Deus præmonet ecclesiam de fame futura: Ergo deus curam agit suæ ecclesiæ.

Finales huius famis cause, hæc esse possunt, ut deus per famem illam fidem primitiuæ ecclesiæ probet, & impietatem mundi unâ cum ingratitude erga Euangelium puniat. Fames, pestis, bella, & huiusmodi alia, tales sunt res, quæ pertinent ad probationem fidei in pijs, & ad pœnam impietatis in impijs. Et quanquam illa dicta, in speciem uidentur esse mala, tamen reipsa non sunt: seruiunt enim tam pijs, quàm impijs in bonum illis, ut fortius fidere discant: his, ut ab impie-

late

tate cohibeantur, nec peccent grauius.

Porro qui a foelix ecclesie Antiochensis incrementum sequitur fames, sciendum est, crucem esse Euangelio rem cognatam, non ut crux pijs incommodet, sed ut ad gloriam promoueat.

Et surgens unus.

Spiritu ut sequitur motus.

Nomine Agabus.

Appellatio nominis certam reddit historiam.

Significabat per spiritum.

Ex reuelatione spiritus sancti, qui causa omnis prophetie est. Enthymema. Prophetiam de futura fame reuelat spiritus sanctus: Ergo prophetie priuatae, sine spiritus sancti reuelatione, nihil sunt.

Famem magnam futuram.

In hoc, ut credentis ecclesie fides probaretur, & impiorum impietas puniretur. Est namq; fames una poena ex illis, quos mittit deus ad probationem fidei piorum, & ad supplicia impietatis impiorum.

Magnam: haec uox exaggerat famem, sicut & haec sequentes. In uniuerso orbe terrarum.

Quae fuit sub Claudio.

Circumstantia personae certam facit historiam, & simul iudicat causam aliquam subortae famis, qui

fuit Claudius Cæsar uino, luxuria, & omnibus peſſimis uitijs deditiſſimus, ſicut refert Victor hiftorio graphicus, unâ cum Suetonio & alijs. Et ut nunc Cæſar fuit ita & ſubditi: iuxta uulgaria illa dicta: Qualis rex talis lex. Qualis princeps talis populus. Sunt qui ex hoc loco mouent queſtionem de cauſis calamitatum, que ſequi ſolent ad Euangelium, quas quidam in ipſum Euangelium transferunt. Reſpondetur. Calamitates que ſequi ſolent apud pios poſt ſuſceptum Euangelium, autorem habent Euangelium, quod calamitatibus carere non poteſt, ut eccleſiæ fides probetur. Apud impios ad exortum Euangelium, cauſe ſunt omnium calamitatum, tumultuum, & ſeditionum, ſcelera mundi unâ cum ingratitude erga Euangelium, que eſt omnium maximum ſcelus.

### Discipuli autem prout cuiq̄ ſupp̄tebat.

Liberalitatis & miſericordiæ in egentes exemplum eſt in Antiochenſi eccleſia, qua omnes Chriſtiani ad liberalitatis & miſericordiæ opera in egentem proximum inuitantur. Forma liberalitatis & miſericordiæ in proximum, que eſſe debeat, ſatis docet Apoſtolus. 2. ad Cor. 8. & 9. Spectat hæc eccleſiæ liberalitas, ad teſtimonium fidei & gratiarum.

Discipuli

Discipuli : in genere omnes. Nam ad misericordiae opera ex aequo omnes ligamur. Prout cuiq; suppetebat: posteriore ad Corinth. 8 Nunc autem quod facere coepistis, perficite : ut quemadmodum uoluntas prompta fuit, ita et perficiatis, ex eo quod potestis. Etenim si prius adsit animi promptitudo, iuxta quicquid illud est, quod possidet aliquis, accepta est, non iuxta id quod non possidet. Non enim ut alijs relaxatio sit : uobis autem angustia : sed ut ex aequabilitate in praesenti tempore, uestra copia illorum succurrat inopiae &c. Prorsus tollit hic locus communitatem honorum, quam somniant Anabaptistae, & ostendit qualis communitas fuerit, quae apud primitiuam ecclesiam in usu extiterit.

Proposuerunt in ministerium mittere : in Graeco est εἰς διακονίαν, in ministerium uel subsidium potius. Eadem uoce utitur & Apostolus. 2. ad Cor. ubi sic ait in initio capitis. περὶ μὲν γὰρ τῆς διακονίας : de ministerio &c. Habitantibus in Iudaea fratribus : periphraſis Iudaicae ecclesiae.

Quod & fecerunt mittentes ad  
seniores.

Providentiae exemplum in Antiochensi ecclesia, quae non cuius, collectam in subsidium Iudaicae ecclesiae perueniam, communicat, sed senioribus, qui pro dignitate



et diligentia nouerunt distribuere eam in pauperes.

## CAPVT XII.

**Q**VAE de Antiochensi ecclesia haecenus au-  
diuimus, obiter quasi per digressionem in-  
repere, idq; propter incrementum ecclesiae gentium,  
quod studuit Lucas, pro confirmatione dictorum Petri  
de gentium uocatione, ponere ob oculos. Redit nunc  
Lucas ad Petrum et Iudaeorum ecclesiam, apud quam  
Petrus erat Hierosolymis. Totus sequens euentus per-  
tinet ad crucem Iudaicae ecclesiae, quam tulit ob confessio-  
nem Euangelij. Vsus persecutionis seu crucis eccle-  
siae Iudaicae est, ut inde probetur fides illius erga Euan-  
gelij. Siquidem hic praecipuus crucis finis est. Iudi. 2. Non  
deleuit Deus gentes, ut experiretur in ipsis Israel, utrum  
custodirent uiam domini. Exodi. 26. Ut tentem eos utrum  
ambulent in lege mea. Deute. 8. Ideo adflixit te Deus  
per quadraginta annos, ut in animo tuo nota fierent, ut-  
rum custodires praeccepta eius. Priore Petri. 1. Nunc  
ad breue tempus adflixi in uarijs experimentis, si opus  
sit, quo exploratio fidei et c. De eodem fine crucis uide  
et Iacobum cap. 1. Adumbrat et hic sequens euentus,  
quae sint partes crucis: nimirum duae: passio et libe-  
ratio. Alteram terroris est: alterum consolationis. Item  
commendat sequens hic euentus curam Dei pro suis in  
crucis

cruce, in qua non sinit perire eos, quanquam ad tempus  
subijciat cruci & mactandos præbeat.

Tandem in genere docet hic sequens euentus, quomo-  
do mundus prædicatores Euangelij soleat excipere,

Herodes exemplar est persecutorum ecclesiæ, qui ad  
tempus summam tyrannidem in ecclesiam exercent, do-  
nec tandem & ipsi iusto Dei iudicio, miserrimè pereunt:  
nam Herodes, sicut in fine huius Capituli audiemus, ab  
angelo domini percussus est, & à uermibus consump-  
tus, expirauit. Iacobus & Petrus eorum typum ge-  
runt, qui propter Euangelij & gratiæ iusticiæ con-  
fessionem, persecutionem patiuntur.

Eodem autem tempore,

Cohærentia ex circumstantia temporis.

Eodem autem tempore: id est, sub tempus famis.

Iniecit Herodes rex manus.

Quis hic Herodes fuerit ferè incertum est. Sunt qui  
per Herodem intelligant eum, qui occidit Ioannē. Hic  
cum non dubitârit Ioannem occidere, cuius studiosissi-  
mus fuit ( nihil enim teste Marco, agebat Herodes, si-  
ne Ioannis consilio: metuebat eum & sciebat eum esse  
uirum sanctum & iustum, obseruabat eum, auditoq;  
eo multa faciebat, & libenter audiebat eum ) sanè  
nec ueritus est Iacobum è medio tollere, & Petrum  
inijcere

620 ERASMI SARCERII SCHOL.  
inijcere uinculis : Alij per Herodem intelligunt Hero-  
dem Agrippam Aristobuli filium, id quod uerissimè  
lius est.

Vt affligeret quosdam de  
ecclesia.

Discimus in exemplo Herodis, ne fidamus principi-  
bus, idq; in negotio pietatis, sint interim quantumuis  
studiosi prædicatorum. Quemadmodum et David mo-  
nuit, quando dixit: Nolite confidere in principibus, in  
quibus non est salus.

Malè ergo agunt hodie, qui spem conseruandi Euan-  
gelium ponunt in principes. Vt affligeret: notat stu-  
dium, sitim, & feruorem Herodis in persequendis pijs.  
Idem studium, eandem sitim, & eundem feruorè passim  
notat scriptura in impijs persecutoribus.

Quosdam: significat singulare odium Herodis,  
erga singulares personas. De ecclesia: hoc est, qui  
habent uerum sacramentorum usum, qui sequuntur &  
confitentur gratuitam iusticiam, &c.

Nota eos non adfligi, qui sunt extra ecclesiam, sed  
tantum eos, qui sunt de ecclesia.

In uoce ecclesia simul cernuntur & materiales per-  
secutionis cause, quæ sunt purum uerbum, pura sacra-  
menta, gratuita iusticia, & illarum rerum confessio,  
qui

quibus omnibus renascitur ecclesia uera.

Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio

In genere dixit, ut affligeret quosdam de ecclesia: nunc specialiter per distributionem quandam partitur genus in species, & exponit, quos nam de ecclesia affligerit Herodes. Occidit: Christianorum poena est caedes, & sanè nullum hominum genus crudelius tractatur, atq; Christiani. Den Christen macht man den gar aus. Occidit: scilicet sub ea spe, ut extinctis personis confitentibus doctrinam, ruat & doctrina.

Fratrem Ioannis: notat certam personam.

Videns autem quod placebat Iudæis.

Ecce impulsuam quandam causam, qua motus fuit Herodes ad persequendam ecclesiam, & ex qua plerunq; principes mouentur: ea est aura popularis seu gratia populi ac subditorum, quam student demereri. Et ut nunc magistratus in gratiam populi sepe persequitur pios: ita uicissim populus plerumq; in gratiam magistratus iniiciunt manus pios.

Perrexit apprehendere & Petrum.

Rectè dixit Solomon Prouerb. 1. Sanguinolentos ty



rannos comedere fructus uiae suae, suisq; consilijs satiarari: id est persecutores piorum quanto magis perferunt qui pios tanto magis sitire persecutionem aduersus eos. Sic Herodes, qui cum non dubitauit Iacobum occidere, nec dubitat Petrum inijcere carceribus.

Erant autem dies Azymorum.

Exemplum hypocriseos in Herode, qua suam tyrannidem et furorem tegere laborat, ne uideatur tyrannus esse. Et quia Herodes propter festum Azymorum noluit producere Petrum, piissimus ab omnibus iudicatus est, interim ipse tyrannus et impietas ipsa.

Monemur ergo impietatis et tyrannidis in impijs comitem esse hypocrisis, qua cruentos suos affectus tegunt. Exemplar est hic Matth. 2. Herodes: item, Laban Ge. 31. et Iudas, qui osculo prodidit Christum. Consequuntur se inuicem haec propositiones. Omnis impius est hypocrita. Et omnis hypocrita est impius. Circūstantia temporis adumbrat quoq; media, quae subinde solet mittere Deus in cruce pijs, ne statim e medio tollantur. Erant autem dies Azymorum: q. d. Lucas, qui si non adfuerat, statim ab Herode occisus fuisset Petrus.

Quem cum apprehendisset, misit in carcerem.

Vt impietatis et tyrannidis in impijs comes est hypocrisis: ita hypocriseos in impijs comes est timor sui.

cut hic uidemus timere Herodem hypocritam, qui apprehensum Petrum mittit in carcerem, traditq; cum quatuor quaternionibus militum ad custodiendum, ne amittat Petrum. Esaius dixit. Territi sunt in Sion, peccatores & timore possedit hypocritas. Mittere Petrum in carcerem & tradere eum quatuor quaternionibus militum ad custodiendum, exaggerant timorem in Herode hypocrita. Porro ut Herodes hypocrita plenus est timore: sic omnes hypocritas semper sunt.

**V**olens post pascha eum producere populo.

Captat Herodes auram popularem, que sepiissime causa est necis piorum. Volens post pascha: ecce hypocritas in tyranno.

**E**t Petrus quidem obseruabatur in carcere.

Diligenter & magna cura custodiebatur à custodibus. Hi custodes eorum typum gerunt, qui magistratui impio obediunt in persequenda ueritate, contra priorē tabulam, que posteriori in omnibus proponi debet.

Potest hic institui collatio utriusq; tabule, utra preferenda sit. Et Petrus quidem obseruabatur in carcere exaggerant hæc crucem Petri, unà cum timore hypocritarum.

**O**ratio

Oratio autem fiebat sine intermissione  
ne ab ecclesia ad deum

pro eo.

Sequitur medium, quo abigitur crux illud est oratio  
que ualidissima sunt contra crucem arma, ad que &  
Christus in extrema sua necessitate confugit, reliquens  
nobis exemplum, ut in cruce constituti, ad orationem  
tanquam ad sacram ancoram confugiamus. Et Aposto-  
lus ad Ephes. 6. orationem inter precipua Christianorū  
arma recenset. Sed quia postea liberatur ē carceribus  
Petrus, id significat, orationem ecclesie efficacem esse.  
Pro. 15. Orationes sanctorum Deus exaudiet. Et Dauid  
dixit. Oratio iusti efficax est.

Non sequitur ex hoc loco, Oratio aliena efficax est  
pro alijs: ergo & fides aliena pro alijs est efficax. De  
oratione enim promissionē habemus exauditionis: de  
fide aliena non itidem. Definitio quedam orationis hinc  
sumi potest, que talis est. Oratio est, que fit sine inter-  
missione ad Deum. Causam unam orationis specta  
que est necessitas seu periculum.

Fiebat: ex causis instigantibus, ut ex mandato orati-  
di ex promissione exauditionis, & ex fide credente se  
exaudiri iuxta promissionem.

Sine intermissione: pro sedulo & diligenter. Sine  
intermissione

intermissione orat ecclesia: id est, non præscribit Deo exauditionis tempus. Siquidem eò pertinere uidentur scripturæ loci, qui agunt de sedula oratione. Eccles. 18. Ne impediaris semper orare. Lucæ 8. Oportet semper orare & non deficere, ad Colos. 4. Instate obsecrationi Priore ad Theß. 4. Orate sine intermissione. Item exempli Hanne, Lucæ 2. docet, quid sit sine intermissione orare. Ab ecclesia: cuius oratio fortis & efficax est. Inuitamur exemplo primitiue ecclesiæ ad orationem contra crucem, quæ non temporalibus armis, sed oratione pellitur. Ad Deum: Deus pater persona est, ad quam dirigi debet oratio. Pro eo: exemplum charitatis in ecclesia, quæ orat pro Petro, ut è carceribus liberetur. Hodie in tantâ falsorum fratrum peruersitate, non orat ecclesia pro prædicatoribus, id quod signum est frigide charitatis, quæ ecclesia prosequitur suos uerbi ministros.

Cum autem producturus esset  
eum Herodes.

παρὰ τὸ κενὸν ad sequentem euentum de liberatione Petri. Cum autem producturus esset: studia & conatus persequendi pios & tollendi nõ deficiunt impios, id quod terrori est: at consolationi est, studia & conatus impiorum non esse semper foelices: imò dum impij ma-



ximè proni sunt & student nocere pijs, ibi & maximè impediuntur. Spectat huc sententia. Homo cogitat de uia sua: at deus dirigit gressus eius. In ipsa nocte: circumstantia temporis & certam reddit historiam, & ostendit, quo tempore iuuare soleat deus, & simul notat occasionem liberationis Petri è carceribus.

### Dormiens inter duos milites

En timorem impiorũ hypocritarũ, ne aufugiant pijs.

### Vinctus cathenis duabus

Et hæc uerba timorem in impijs hypocritis ostendunt, sicut & illa que sequuntur. Et custodes ante ostium custodiebant carcerem.

Item, diligens hæc Petri custodia, exaggerat studium & seruorem in impijs hypocritis persequendi pios.

### Et ecce angelus domini astitit

Sequentia agunt de liberatione Petri è carceribus, quorũ hic est usus, ut inde consolemur nos, scientes deũ ducere ad inferos & reducere: iniicere in crucem, & rursus liberare: permittere ut impij adfligant pios ad tempus: sed rursus impedire impios, in suo proposito.

Omnia referenda sunt ad alteram crucis partem, que est liberatio, que suo tempore sequitur ad afflictionem, idq; ex promissione adflictis facta.

Docet in genere liberatio Petri, impiorum conatus in perdendis

in perdendis pijs non esse semper felices.

Porrò quia deus angeli ministerio utitur in liberando Petro, commendatur hic nobis officium angelorum, quod est tã deo quàm nobis ministrare, unde & ministratorij spiritus dicuntur in scriptur. 1. Psalmo 103. Qui creat angelos suos spiritus, & ministros suos ignis flammam. ad Hebræos 1. Nonne omnes sunt ministratorij spiritus, qui in ministeriũ emittuntur propter eos qui heredes erunt salutis?

Et ecce: quando nihil minus cogitamus, adest deus liberator è cruce. Angelus domini: à domino missus.

Astitit: notat & hoc uerbum, inopinans præsidium dei in cruce. Et lumen refulsit in habitaculo

Adumbrat hoc lumen gloriosam piorum liberationem, quæ perpetuo gloriosior esse solet ipsa captiuitate.

Locus præsens hypotyposis est liberationis Petri, cuius usus est, ut commendetur nobis gloriosa sanctorum liberatio.

**Surge uelociter**

Specula curam angelorum pro nobis.

Diligenter describit Lucas modum liberationis Petri, uti declarat, deum non statim uno impetu, sed sensim ac sensim liberare. Surge: mandatum dei est, fugere in cruce, ubi fuga sine ignominia nominis dei, & scandalo ecclesie fieri potest. Velociter: festinanda est fuga ubi fugiendum est.

Et ceciderunt eius cathe-  
næ de manibus

Hic casus cathenarum de manibus Petri, effectus est  
potentiæ dei per angelum liberantis, quo effectu exag-  
geratur & commendatur potentia dei.

Præcingere & calcia te soleis tuis.

Sensim ac sensim liberat deus e cruce, & ita, ne faci-  
amus iacturã nostrarum rerum, i dñ; iuxta promissio-  
nem Mathei 9. Et fecit sic

Exemplum obedientiæ in Petro, qui iubenti angelo  
in omnibus morem gerit, ut liberetur e cruce.

Damnatur exemplo Petri pertinacia Anabaptista-  
rum, qui liberè dimissi, tamen abire nolunt.

Circunda tibi uestimentum  
tuum, & sequere.

Et hæc declarant deum sensim ac sensim liberare e  
cruce, id quod ad hoc scire prodest, ne in cruce de præ-  
sidio dei desperemus, & si non statim liberet. Habet  
enim deus suæ moræ causas, ut probet mora fidem no-  
stram. Et exiens sequebatur eum

Obedientiæ exemplo in Petro, qui angelo iubenti su-  
gam, obedit. Et nesciebat, utrum ue-

rum esset, quo liberet per angelum

Sic cum Petro ex æquo omnes adfecti sumus, quod  
credimus.

credimus, in magnis periculis constituti, non esse probabile, nos è tantis periculis liberari posse, aut etiam ubi adesse uidetur liberatio, eam ad nos spectare aut ueracem esse.

Existimabat autem se

uisum uideri. Existimamus nos uisum uidere, quando in cruce nihil minus futurum speramus, quàm liberationē, & eam tamen promitti nobis.

Transeuntes autem primam & secundam custodiam

Quando ratio desperat de liberatione, ibi proximè adest. Primam & secundam custodiam: coram deo liberatore, nulla potentia subsistit. Et ubi desperat ratio ibi quàm optimè potest liberare deus

Venerunt ad portam ferream

Facit & tam diligens descriptio liberationis Petri ad certitudinem historie.

Quæ ultro est aperta

Corā potentia dei, nullum quantum uis firmū munimentum subsistere potest.

Et exeuntes processerunt uicū unū

In integrum & perfectè liberat è cruce deus.

Et continue discessit angelus ab eo.

Angeli expedito suo officio, ad dominū, à quo egressi sunt, redeunt.



Et Petrus ad se reuersus, dixit.

Sine dubio spiritus sancto admonitus de sua liberatione. Monemur exemplo Petri, non esse semper nostrarum uirium, cognoscere beneficia dei, maxime ubi sumus in periculis constituti. DIXIT:

Ex fide certus de liberatione sua. Est enim hoc dicere effectus fidei, quæ credit à deo liberationem.

Nunc scio uerè.

Fides non potest esse ingrata erga beneficia dei, quare Petrus nunc pro cognitis & apprehensis beneficijs dei, ipsa fide, gratias agit. Gratiarum actio fidei effectus est. Totus præsens locus referendus est ad gratiarum actiones, tanquam ad locum communem. Nunc scio uerè: scilicet ex fide, qua statuo de liberatione dei erga me. Verè: hæc particula ostendit, qualis res sit fides, non hæsitatio aut dubitatio, sed uera & firma fiducia, sine hæsitatione et dubitatione. Est igitur fides, uera seu certa fiducia erga beneficia, gratiam & misericordiam dei. Quia fides uerè scire facit: ergo quidam definiunt fidem esse ueram notitiã dei & beneficiorum eius. Et reuera rectè intellecta illa definitio, nihil habet incommodi. Verè scire effectus est fidei.

Quod milit dominus angelum suum.

Hæc uerba indicant, quid uerè sciat Petrus: nimirum se liberatum esse per angelum præsidio domini.

Angelo

Angelo tribuit Petrus, quod est angelorum: scilicet: ministerium, per quod deus perficit suam potentiam. Tribuit et deo, quod dei est: uidelicet liberationem. Docemur ne angelorum aut sanctorum presidij tribuamus, quod solius dei est: item, ne cultum soli deo conuenientē, creaturis uedicemus. Enthymemata. Dominus misit angelum et eripuit me de manu Herodis. Ergo dominus liberauit me, non angelus, quanquam illius ministerio usus sit. Aliud: Deus mittit angelum suum: Ergo deus superior est angelis. Dominus: recte circa liberationem utitur domini uocabulo. Est enim dominus potentie uocabulum. Angelum suum: quo deus utitur in suo ministerio.

Et eripuit me de manu Herodis.

Verbum eripuit, notat potentiam et crucis magnitudinem in Petro. Est enim eripere potentia quadam liberare est potentissimis hostibus. Ereptio de manu Herodis effectus est potentie dei. De manu Herodis: exaggeratur potentia Herodis, ut commendetur longe potentia maior dei. Et de omni expectatione populi Iudeorum.

Pertinent et haec ad exaggerationem potentie hostium, quibus oppressus fuit Petrus, ut magis innotescat potentia dei maior hostium potentia. Et de omni expectatione

populi Iudæorum: populus magnorum hominum auctoritate commouetur, ad persequendum pios.

Consideransq; uenit ad domum  
Mariæ matris Ioannis.

Considerandi uoce utitur, quia in nocte, pro ex-  
pendere. Circumstantiæ loci & personarum certam  
reddunt historiam. Quod autē Petrus ita statim uenit  
ad discipulos, id factum est, ut ecclesiam orantem  
pro Petro, exhilaret, suaq; præsentia declararet eccle-  
siam non frustra orasse.

Vbi erant multi congregati.

In frequenti congregatione orauit ecclesia, quæ frequens  
congregatio signū fuit seriæ orationis. Enthymema. Multi orant: Ergo seriò orant.

Et orantes.

Finalis cōgregationis causa, oratio. Orantes: pro  
liberatione Petri. Orare unus est de præcipuis effectibus  
congregationis ecclesiæ, quæ in hoc conuenit,  
ut pro imminentibus periculis oret.

Pulsante autē eo ad ostium vestibuli.  
Diligens hæc descriptio seruit ad certitudinē historie.

Processit puella ad uidendum nomine Rhode.

Cōmendatur in hac puella diligentia cōmissi officij,  
quæ

quæ in seruitutis statu, quod seruorū est, expedit atq; curat. Est & in Rhode exemplū charitatis, quæ ad liberationem Petri letatur, & eam simul in consolationem ecclesie annunciat.

**Et cognouit uocem Petri.**

Id est, ex uoce cognouit personam Petri.

**Præ gaudio non aperuit uestibulū.**

Christiani etiam suscepto Euangelio, non exuunt humanos adfectus, quales sunt: gaudium, tristitia, &c. Anabaptistarum & Stoicorum est, ceteri ceteris requirere in Christianis. Non aperire uestibulū præ gaudio, exaggerat in Rhode magnitudinem gaudij,

**Sed introcurrens.**

Gaudij & charitatis effectus est introcurrere. De officio charitatis est, cognita alijs impartiri.

**Nunciauit.** In solatium ecclesie pro liberatione Petri orantis. Scripturæ historie est hæc: quare non est statuendum circa eam quicquam temere, id est, sine singulari dei cōsilio & dispositione accidere.

**At illi dixerunt ad eam: insanis.**

Infirmi-  
tatis exemplum in ecclesia, quæ non admodum credidit se exaudiri in liberando Petro, alioqui facilius uerbis puellæ credidisset. Discimus ergo ecclesiam semper infirmitati obnoxiam esse. Potest & hic



locus sic intelligi, quod ecclesia præ gaudio, non statim ad sensum præbuerit puellæ. Siquidem id quoq; nobis inexpectato gaudio gaudentibus, accidere solet.

Infans: rides nos aut ludis.

Illa autem affirmabat sic se habere.

A certis non debemus facile desistere exemplo Rhode, in qua constantia exemplum est.

Illi autem dicebant,

Vel ex infirmitate, qua erant ad credendum difficiles: uel ex nimio gaudio.

Angelus eius est.

Qui in custodiam Petri à Deo deputatus est. Hieronymus super Mattheum. Magna dignitas animarum, ut unaquæq; habuit ab ortu natiuitatis in custodiam sui angelum deputatum. Bernardus in sermone de angelis. Simus deuoti, simus grati tantis custodibus, rogamus eos, &c. Vos actores & tutores à patre positi & præpositi nobis adhuc paruulis sub actoribus & tutoribus. Origines Homelia 71. Adest unicuiq; nostrum etiam minimis, qui sunt in ecclesia Dei angelus bonus, angelus domini, qui regat, admoneat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis & miserationibus exposcendis, quotidie uideat faciem patris in cælis. Ridiculum est ex angelo Petri Pultrones spiritus intelligere

ligere, hoc est, animas à corpore diuisas, & noctu oberrantes atq; hæc aut illa misericordie opera exposcetes.

Petrus autem perseuerabat pulsans

Est & charitatis in petro, qui non egrè fert morã, sed eam boni consulit: præterea, qui non abit, donec sua præsentia exhilaret confratres.

Cum autem aperuissent,  
uiderunt eum.

Aperire ianuã recepti animi opus est, qui sensim ac sensim cœpit fortius sibi persuadere de liberatione Petri.

Et obtupuerunt.

Stupor hic effectus est uulgaris & communis, quid ad omnia uerbi miracula & potenter à uerbo facta, ac uidere solet, commendans uerbi potentiam, quod si non plus efficiat apud homines, tamẽ eos obstupescere facit.

Innuens autem eis manu, ut tacerent.

Innitio hæc signũ est attentionis, quo reddit sibi fratres attentos, quasi de rebus magnis dicturus: nimirum de sua potenti liberatione. Ut tacerent: qui loqui cœperant ex gaudio ad præsentiam Petri.

Narravit quomodo dominus eduxisset eum de carcere.

Narrationis huius hic usus fuit, ut fratres de scripta

scepta ueritate cōfirmarentur, ut discerent deum suorum curam agere, ut cognosceret se non frustra orasse, &c. Narrauit: iusto ordine recensuit à capite liberationis usq; ad finem. Ex uerbo narrauit, uult ostendere Lucas, Petrum totam liberationis narrationem, ut gesta fuerat enarrasse. Dominus: qui ducit in crucem & reducit. Quomodo: designat & hæc uox integram liberationis narrationem.

Dixitq;: nunciate Iacobo & fratribus hæc.

Vt ex hac mea liberatione, de suscepto Euangelio confirmentur: discant deum suorum in cruce curam agere, & intelligant se non frustra orasse.

Liberatio Petri orationis ab ecclesia facta effectus est, prouocans nos ad orationem pro communibus ecclesie periculis. Iacobo: Alphaei filio cognomento Iusto, qui fuit Hierosolymitanus episcopus.

Et egressus abiit in alium locum.

Id est, ab his diuertit ad alios fratres, quibus quoq; suam liberationem narrauit. Notabis hic usum quemdam liberationis fratrum è cruce, qui est, ut inde confortentur fratres.

Facta autem die.

Cohærentia ex circumstantia temporis.

Erat

Erat non parua turbatio  
in er milites.

Turbatio hæc pœna est impietatis in custodibus, quos loco pœnæ in turbationem incidere mittit deus: postea uerò in supplicium. Spectat huc uulgare illud simile. Quemadmodum ludimagister ubi satis usus est uirga, eam à se projicit & igni tradit: ita & deus ubi impijs satis usus est in uirgam suorum, postea eos à se projicit, & uel simili uel maiore pœna adfcit. Esa. 10. de Senacharib. Væ Assur, uirga furoris mei & baculus ipse est. In manu eius indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spoliū & diripiat prædam, & ponat illum in conculatione quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius nō ita æstimabit, sed ad conterendū erit cor eius, & ad internitionem gentium non paucarum. Dicit enim: Numquid non principes mei simul reges sunt? Numquid non ut Carchamus, sic Calano, &c. Propter hoc mittet dominator dominus exercitū in pinguibus eius leuitatem, &c. Noli timere populus meus habitator Sion ab Assur. In uirga enim percutiet te, & baculum suum leuabit super te in uia Aegypti. Adhuc enim paululum moicumq; & consummabitur indigna



indignatio mea, & furor meus super scelus eorū, &c.  
 Herodes autem cum requisisset eum,  
 & non inuenisset.

Ex non inuento Petro accipit Herodes occasio-  
 nem puniendi custodes. Exemplum tyrannidis est in  
 Herode. Iussit eos abduci.

Rapi in supplicium, uel ad carceres. Pœna hæc  
 est impietatis & tyrannidis in custodibus, impio ma-  
 gistratui contra prioris tabulæ obedientiam, obse-  
 quium præbentibus.

Descendensq; à Iudæa in Cæsaream.

Potest hic descensus signum tristitiæ esse in Hero-  
 de, quod mœroris gratia descenderit à Iudæa in Cæ-  
 saream. Habent alij alias descensus causas.

Irat autem iratus Tyrijs & Sidonijs.

Alterum tyrannidis exemplum in Herode, quod  
 præmittit Lucas, ut postea facilius innotescat, Hero-  
 dem tyrannum, suæ tyrannidis supplicia, merito tu-  
 li e. Iratus: sine dubio ex priuatis & nõ iustis cau-  
 sis, quas tyranni sibi facillimè excogitant, ad perdedendū  
 iudos. Tyrijs & Sidonijs: Phœnicie populis.

At illi unanimes uenerunt ad  
 illum.

Rectè sentiunt Tyrij & Sidonij, qui uerbis pugna-  
 re malunt.

re malunt, quàm armis. Pacis itaq; exemplum est in  
Tyrijs & Sidonijs.

Et persuaso Blasto.

Coram ciuilibus regibus, multum possunt fidi intercessores. Blastus persuasus fuit, aut uerbis amicis, aut muneribus, sicut plerumq; persuaderi uolunt aulici intercessores. Blastus eorum typus est, qui aut uerbis aut muneribus persuadentur, ut intercedant pro pace. Tyrij & Sidonij eorum typum gerunt, qui malunt pacem pecunia emere, quàm se committere dubio & incipiti bello.

Qui præerat cubiculo regis.

Et ideo potens intercedere pro Tyrijs & Sidonijs.

Postulabant pacem.

Ex certis causis persuasi, ut homines prudentes.

Eò quod aleretur regio eorum à rege.

Aetiologia postulatae pacis, à necessitate. *Woß vnd armüt halten frid.*

Statuto autem die Herodes uestitus regia ueste.

Hactenus audiuimus tyrannidem Herodis in ecclesiam, & sic etiam in alios, quam præmisit Lucas, ut ostendat, Herodem de merito in sequens supplicium incidisse: & in eundem usum præmittit nunc Lucas arrogantiã

arrogantiam Herodis, qua maxime meruit sequentem interitum. Non ergo iniuste punit Deus Herodem, sed iustissime, idq; propter peccata tyrannidis & arrogantie. Tyrannidis fructus est arrogantia seu animi elatio, tum erga Deum, tum erga homines. Confirmatur interitu Herodis, tyrannorum & blasphematorum Dei eventus esse tristes, & nullam tyrannidem neq; blasphemiam in Deum esse perpetuam.

Herodes exemplar eorum est, qui propter suam tyrannidem & arrogantiam, gravissima dant in hac terra supplicia, ad significandum post hanc vitam, eterna.

Vestitus ueste regia: uestitus haec regia index fuit arrogantis animi, iuxta vulgare illud dictum. Vestitus index animi est. Induere uestitum regium peccatum non est: at peccatum est, ex arrogantia animi uestitui adherere, & in illum fidere, atq; praeter illo Deum in caelo contemnere. Sedit pro tribunali.

Decuit in tribunali perire Herodem tyrannum, qui parum iusticiae in tribunali exercuerat.

Consentientem historiographum habet Lucas in describendo interitu Herodis, & causis eius interitus, Eusebium lib. 7. Eccles. historiae cap. 10.

Et concionabatur ad eos.

Habebat uerba, sed quibus de rebus incertum est.

Populus

Populus autem acclamabat.

Adulationis exemplum in populo, qui in arrogan-  
 tis Herodus gratiam adulatur, & tribuit illi gloriam  
 Dei. Hic populus eorū typū gerit, qui in gratiā magno-  
 rum principum adulantur, & ex adulatione illis tribue-  
 unt, quod illorum non est. Est igitur adulatio vitium,  
 quo alicui tribuimus, quod eius non est, ut nos inde meli-  
 us habeamus. In populi acclamatione, propriè expressa  
 est omnium adulatorum natura. Est uerò adulatio hæc  
 presens non simplex adulatio, quippe in Deum blasphem-  
 ia. Nā blasphemia in Deum est, quæ creaturis tribuit,  
 quod solius Dei est: item, est hæc blasphemia idolola-  
 triæ peccatum, ideo nihil mirum est, Deum tam horri-  
 biliter, tam graue peccatum puniisse. Acclamare  
 effectus est adulationis.

Dei uox & non hominis.

Id est, Herodes Deus est, non homo. Enthymema.  
 Herodis uox Dei uox est: Ergo Herodes Deus est.  
 Summa hæc blasphemia & idololatria est, humanæ  
 creature tribuere, quod dei est.

Confestim autem percussit eum  
 angelus.

Pœna impietatis, tyrannidis, arrogantiae, & blas-  
 phemiae Dei in Herode, qua pœna monemur, impiorū



tyrannorum, arrogantium & blasphematorum dei exitus esse tristissimos atq; infelicitissimos. Enthymema.

Impietatem, tyrannidem, arrogantiam, & blasphemiam dei, horribiliter puniuit deus in Herode:

Ergo impietas, tyrannis, arrogantia, & in deū blasphemia, maximè displicent deo, et à deo grauissimè puniuntur.

## O B I E C T I O.

Herodes non blasphemauit, sed populus, qui ergo fit, ut percutiatur Herodes?

RESPONSIO. Quia Herodes sine dubio, permisit sibi acclamationem populi placere, & cepit in corde sibi acclamatione populi adblandiri, unde factum est, quod Herodes tam horribilem poenam meruerit. Item, discant hic reges & principes, ne adulatoribus delectentur, nec titillent se adulationibus, imò contemnant cohibeantq;.

Confestim: circumstantia temporis exaggerat peccatum blasphemie, quod si non esset magnum peccatū non ita statim deus illud punisset. Enthymema.

Propter blasphemie peccatum, confestim percutitur Herodes: Ergo blasphemie peccatum magnum est peccatum. Angelus domini: à domino missus.

Et hic uides ad quid creati sint angeli: nimirum ad ministerium dei, quibus deus in suo ministerio utitur, in

Custodiendis pijs & in perdendis impijs. Percutitur hic Herodes ab angelo, in signum eterne percussiois & damnationis post hanc uitam.

Sed contraria est ratio ad afflictionis piorum in hac uita, qui adstinguntur, ut post hanc uitam melius habeant.

Eo quod non dedisset gloriam deo.

Aetiologia percussi Herodis per angelum domini, à blasphemia seu idololatria in deum. Enthymema.

Propter blasphemiam & idololatriam peccatum, angelus domini percussit Herodem: Ergo blasphemiam & idololatriam peccatum non est extenuandum. Blasphemia ex hoc loco, sic describi potest. Blasphemia est, ex qua quis sibi ipsi arrogat gloriam dei.

Idololatria est, quae tribuit alijs creaturis gloriam dei.

Blasphemus est, qui sibi ipsi arrogat gloriam dei.

Idololatra est, quae alijs creaturis gloriam dei tribuit. Gloriam uocabulo intelligendus est cultus soli deo conueniens.

Et consumptus à uermibus  
expirauit.

Periphrasis miserrimi et infelicissimi interitus, è quo estimanda uenit omnium blasphematorum, idololatarum & tyrannorum mors. Enthymema. Herodes à uermibus consumptus est: Ergo blasphematorum, idololatarum & tyrannorum infelicissimus est euentus.

Verbum autem domini crescebat.

Recte sequuntur hæc interitum tyranni Herodis, ut scias, uerbum omnibus tyrannis fortius esse. Tyranni pereunt, sed uerbum domini manet: & quia manet, docemur omnem tyrannidem contra uerbum susceptum frustra institui. Et ut nunc uerbum manet, pereuntibus interim tyrannis, sic & pii confessores uerbi. Psal. i. Non sic impij, non sic; sed tanquam puluis, quem projicit uentus à facie terræ. De pijs autem sic ait David. Et scilicet eius non defluet, & omnia quæ faciet, prosperabuntur ei. Nota uerbū ubiq; triumphare contra suos hostes nec mirū, quia est uirtus & potentia dei, ad salutē omnī credenti, ad Rom. i. Duo loci cōmunes hic incidunt, æternitas uerbi, & sclicitas. Verbū domini uocat, quod mittit dominus, & cuius intellectum dominus reuelat.

Crescebat & multiplicabatur: id est, scliciter procedebat, & sclicem habebat progressum. Ex uerbi incremento, uult Lucas nos intelligere & incrementū ecclēsiæ. Enthymema. Verbū creuit & multiplicatum est: Ergo & uerbi auditores. Crescere uerbū & multiplicari, donū dei est, qui ad prædicatum uerbum dat incrementum.

Barnabas autem & Paulus reuersi sunt ad Hierosolymam.

Pendent

Pendent hæc ex fine undecimi capituli, in quo audiui-  
mus ecclesiã Antiochenſem per Paulum & Barnabam  
miſiſſe eccleſiæ Iudaicæ ſubſidium, quo Hieroſolymam  
delato reuerſi ſunt Antiochiam. Præmittit Lucas hæc  
de Saulo & Barnaba, ut præparatoria ad ea, que ſe-  
quuntur in cap. 13. Cõmendantur hic Saulus & Bar-  
nabas, à diligenti cõmiſſi officij expeditione.

Reuerſi ſunt ad Hieroſolymam: omnia exemplaria  
ſic legunt: uerum hiftoriæ ordo & res ipſa oſtendit, le-  
gendum eſſe. Reuerſi ſunt ab Hieroſolyma.

### Expleto ministerio.

In transferendo ſubſidio ab eccleſiã Antiochenſi ad  
eccleſiam Iudeorum, ut ſupra in fine 11. cap.

### Aſſumpto Ioanne.

In commiſſam eiufdem miniſterij,

### Qui cognominatus eſt Marcus.

Hæc adiicit Lucas, ut diſcernat inter perſonam &  
perſonam, inter Marcum & Marcum.

### CAPVT XIII.

Initium huius capituli declarat, præcedens caput, uelut  
i per digreſſionem interceſſiſſe, à qua nunc diuertit  
Lucas ad hiftoriæ ſeriẽ, quæ eſt ex fine undecimi capitu-  
tis petenda. Eſt autem hæc.

Circa finẽ capituli undecimi, dixit Lucas de incremẽto



Antiochensis ecclesie, & cœpit eam, cum à fide, tum à bonis operibus, maximè autem à misericordiæ operibus, cõmendare: nunc pergit aliquantulum cõmendatam ecclesiam ulterius commendare.

Petit autem ulteriorem commendationem ecclesie Antiochensis, à doctoribus uerbi, in signum non esse postremam ecclesie laudem, habere synceros & eruditos uerbi ministros. Et reuera summa hæc ecclesie laus est, habere synceros & eruditos uerbi ministros: siquidem ubi ubi desunt, oportet simul ruere doctrinam puram, uerũ sacramentorũ usum, salutẽ animarũ, pacẽ ecclesie, & alia omnia bona. Sed ut ecclesia synceros & eruditos uerbi ministros habeat, seria ac diligenti oratione ad deum opus est, qui synceros et eruditos operarios mittit in uineam suam: iuxta illud. Rogate dominũ, ut extrudat operarios in messẽ suam. Postea opus habet ecclesia, honore, quo propelluntur ingenia, & ad sinceritatem & ad eruditionem. Nam sicut ille in prophetis rectè dixit: Honos alit artes: ita, rectè hic dicitur in sacris, honorem promouere ingenia ad sinceritatem et eruditionẽ. Hodie quia ecclesie paucos habet synceros & eruditos ministros, in causa est cõtemptus et ille quidem extremus, qui facit ingenia circa ima aberrare.

Erant autem in ecclesia.

Autem

Autem connectendi particula est, quæ initium huius capituli connectit cum fine undecimi.

Quæ erat Antiochiæ.

Exponit de qua ecclesia loquatur.

Prophetæ & doctores.

Prophetas uocat interpretes scripturæ, qui donum interpretandi scripturam habent, & abstrusiores scripturæ sensus prodendi. Et uocantur Prophetæ, quia interpretatio scripturæ, non minus est donum spiritus sancti, quàm uaticinari aut prophetare de futuris.

Doctores uocat, qui in ecclesia non sunt alijs officijs occupati, quàm ut doceant.

Per prophetas & doctores simul intelligit Lucas omnes ministros uerbi apud ecclesiã Antiochensem, ut Apostolos, prophetas, Euangelistas, pastores, doctores, &c.

In quibus Barnabas & Simon.

In genere dixit, prophetæ & doctores, iam specialim addit prophetarum & doctorum nomina.

Qui uocabatur niger.

Discernit inter Simonem & Simonem.

Et Manahen, qui cum Herode tetrarcha unã educatus

fuerat.

Signanter hæc addit Lucas, ut ostēsa personæ fortuna,

Commendat potentiam uerbi, quod potuit hominem aulicum & circa regem nutritum, conuertere. Enthymematice Manahen aulicus fuit & excellentis fortunæ homo Ergo Manahen conuerti, potentie uerbi opus est.

Item. Verbum Manahen aulicum & nobilem conuertit: Ergo uerbi magna est potentia.

Cum Herode tetrarcha: intelligit Herodem Antipatram tetrarcham Galilæe & regionis trans Iordanem Herodis Ascalonitæ filium fratrem Archelai & Philippi, nequissimum tyrannum & adulterum qui Ioannem decollari permisit, & Iesum saluatore alba ueste delusit

Et Saulus. Ex Barnaba & Saulo intelligendum uenit, quales fuerint alij prophetae, doctores, & ministri ecclesie Anthiochenensis.

Ministrantibus autem illis domino & ieiunantibus.

Id est, cum ieiuni præessent sacris, prædicarent, legissent sacra, interpretarentur, docerent sacra populantibus. In Græco est: λειτουργῶν δὲ αὐτῶν τῶν κρείων: id est, ministrantibus illis domino.

Λειτουργῶν, proprie significat operantem sacra, quare Erasmus ille magnus transtulit: sacrificantibus autem illis, domino, id est sacra operantibus, aut rebus sacris

sacris occupatis. Sunt autem res sacrae, praedicationis, lectio scripturae, interpretatio, doctrina, et alia huiusmodi: esto, *λεῖτουργία*, significet sacrificium, tamen non significat sacrificium missae, quale nostri sacrificuli habent: sed distributionem coenae dominicae, quam etiam licet inter res sacras recensere. De uoce, *λεῖτουργία*, uide locos Communes et Apologiam D. Philippi.

Ministrantibus autem illis domino et ieiunantibus id est, ieiunii res sacras peragentibus. *Ἡ αἴψα τῆς ἐκείνου* dicitur gottes dienste wahr namen.

In Euangelio legitur: hoc genus demoniorum non eijcitur, nisi per ieiunia et orationem: id est, per orationem ieiunam et sobriam. Nec quicquam incommodi habet etsi ministerium rerum sacrarum a ieiunio separet: ut sit sensus, prophetas et doctores Antiochenensis ecclesiae, administraresse sacra, et simul ieiunasse.

Dixit illis spiritus sanctus.

Ministrantibus et ieiunantibus dixit spiritus sanctus: ergo ministerio uerbi et sobrijs adest spiritus sanctus. Dixit illis spiritus sanctus: recte spiritus sanctus urget uocationem gentium, qui eam coepit, et reuelauit iudeis, ut supra cap. 19. Item, spiritus sancti iussu segregantur Apostoli gentibus: ergo spiritus sancti donum est et uoluntas, gentes uocare ad Euangelij gratiam.



Præterea quia spiritus sanctus iubet segregare Apostolos gentibus : erga postea feliciter prædicant segregati. Apostoli gentibus. Saulus supra uocatus est, ut portaret nomen Christi coram regibus, gentibus, & filiis Israël : quare hic primum non uocatur ad munus Apostolorum, sed tantum confirmatur in Apostolatus officio. Et ut nunc Saulus, sic & Barnabas, de cuius fide, integritate, & ministerio supra quoque audiimus.

Totus itaque præsens locus referendus est, ad locum communem de confirmatione prædicatorum. Dixit illis spiritus sanctus non segregat, sed ecclesia cuius auctoritatem in uocandis, eligendis, & confirmandis ministris commendat spiritus sanctus. Quod ergo ecclesia habeat ius eligendi, uocandi, & confirmandi ministros uerbi, ex hoc loco certum est, sicut & ex illo : qui extat Matthæi. 7. Cauete à pseudoprophetis : quæ enim ecclesia sibi cauere debet à pseudoprophetis, eam simul oportet habere ius uocandi, eligendi, & confirmandi ueros ministros. Enthymema. Ecclesia iubetur hic Saulum & Barnabam confirmare in ministerio :

Ergo & ecclesia iubetur uocare ministros uerbi et eligere. Segregate mihi.

Id est, peculiariter ab alijs prophetis et doctoribus separate : item, Saulum & Barnabam, præ alijs prophetis & doctoribus, constituite.

Obiectio

OBIECTIO. Cur spiritus sanctus uult sibi segregari Saulum & Barnabam, & non alios?

RESPONSIO. Quos uult spiritus sanctus, illos iubet sibi segregari, sicut & dat sua dona, cui uult: iuxta illud. 1. ad Corinth. cap. 12. diuidens peculiariter unicuique; sicut uult. Segregate: ut uestro testimonio & confirmatione sint, qui debeant Euangelium predicare gentibus. Mihi: ad expediendum ministerium uerbi coram gentibus, quod efficax sit, do ego. Ad opus. Ad praedicationem gentium.

Ad quod uocaui eos.

Interna uocatione, de qua & certos illos feci in cordibus. Vocatio seu confirmatio ministrorum uerbi, qua uocat spiritus sanctus, non tollit uocationem & confirmationem ecclesiae. Forma hinc quaedam uocationis ministrorum uerbi in primitiua ecclesia, petenda est. Spiritus sanctus uocauit ministros: ecclesia segregauit & adpertos fecit eos postea & confirmauit.

Tunc ieiunantes & orantes.

Ieiunat & orat ecclesia antequam imponit Saulo et Barnabae manus, id quod significat, non temere esse uocandos, neque confirmandos ecclesiae ministros, sed serio studio, ieiunando et orando. Christus Lu. 6. antequam eligeret suos Apostolos, per totam noctem orauit. Et Paulus mandat

mandat suo Timotheo, ne citò manus alcui imponat.

Enthymema. Ecclesia Antiochensis ieiunat & orat  
antequàm imponit Saulo & Barnabæ manus :

Ergo ecclesia non leuiter debet aut uocare aut con  
firmare uerbi ministros.

Cõmendatur quoq; ecclesiæ ieiunio & oratione, mi  
nisterium uerbi, quod si esset leue officium, non ieiunasset  
hic neq; orasset ecclesia.

Ieiunantes orant, ut ostendat Lucas orationem cum  
sobrietate coniunctam esse debere.

Ieiunantes & orantes : hæc per complexionem in  
terpretari oportet, pro ieiuni orantes.

Imponentesq; ei manus.

In confirmationem legitimæ uocationis.

Dimiserunt illos.

Ecclesia uocatos ministros non debet in sua uoca  
tione impedire. Nam quamuis ecclesia Antiochensis nõ  
libenter dimiserit tantos uiros, tamen noluit eos in sua  
uocatione impedire.

Et ipsi quidem missi à spiri  
tufancto.

Id est, per spiritum sanctum certi de sua uocatione.  
Nota certitudinem ex confirmatione ecclesiæ, esse certi  
tudinem spiritus sancti, & eos non minus certos esse de  
sua

IN ACTA APOSTOLORVM 63

sua uocatione, qui ab ecclesia confirmati sunt & uocati atq; si ab ipsa spiritu sancto sint confirmati & uocati.

Abierunt Seleuciam.

Exemplum obedientie in Saulo & Barnaba, qui suae uocationi statim acquiescunt, nec neccunt moras, id quod fidei est, committentis se uocanti spiritu sancto.

Seleuciam: circumstantiae locorum certam reddunt historiam. Seleucia ciuitas Iudaeae in promontorio Syriae Antiochiae sita. Cyprus in sinu Ibsico circa Ciliciam sita est.

Et cum uenissent Salamina.

Quae est insula Cypri in mari Euboico.

Prædicabant uerbum dei in synagogis Iudæorum.

Saulus & Barnabas, quamuis uocati erant ad ministerium gentium, tamen & Iudæis prædicabant: sciebant enim Euangelium esse uniuersalem doctrinam pro omnibus hominibus.

Prædicabant: spectant hæc ad confessionem uerbi.

& comissi officij expeditionem in Saulo & Barnaba.

Verbum dei: cuius autor est deus, & qui uerbi intellectum reuelat. In synagogis: quia Euangelium est aperta & certa doctrina. Matth. 10. Quod dico uobis in tenebris, prædicate in luce. Et quod in aure auditis, prædicate in tecto. Io. an. 3. Omnis, qui mala agit, odit lucem.

Habeo



Habebant autem Ioannem in ministerio.

*Adiicit hæc Lucas, ne quis putet Saulum & Barnabam solus fuisse.*

Et cum perambulassent uniuersam insulam usq; ad Paphum.

*Multa egerunt Saulus & Barnabas in hac insula, quæ Lucas studens breuitati, omittit. Sequens euentus de excoecato Elyma, pertinent ad confirmationem uerbi prædicati à Saulo & Barnaba, ut inde nouo uerbo & mundo incognito conciliaretur maior fides & ad illud suscipiendum fide inuitarentur homines. Apostoli à Christo missi singulariter, ad duos fines missi fuerunt: ad prædicandum Euangelium, & ad confirmandum illud miraculis. Matthæi. 10. Et accersitis duodecim discipulis, dedit eis potestatem aduersus spiritus immundos &c. Ibidem. Profecti autem prædicate, dicentes: Appropinquauit regnum cælorum. Infirmos sanate, leprosos mundate &c. Per uniuersam insulam: & Inuenerunt quendam magnū pseudo prophetam Iudæum.*

*Obstaculum Euangelij hic spectata, ne feliciter succedat. Et habet Euangelium huiusmodi obstacula adhuc multa*

multa, quæ sedulo agunt, ut occludatur porta prædicationi Euangelij. Et pertinet hoc obstaculum ad probationem fidei & constantiæ in Saulo & Barnaba.

Magus hic eorum typus est, qui propter retinendam priuatam suam æstimationem & gloriam, manibus pedibusq; conatur Euangelij successum impedire.

Sergius Paulus proconsul eorum exemplar est, qui ab hominibus priuatiæ æstimationi & gloriæ studiosis, tentantur ne Euangelium suscipiant. Pertinet uerò hæc tentatio ad probationem fidei in pijs. Inuenerunt: nota Euangelium, ubi uix cœperit florere, faciliè consequi homines, qui illud in suo cursu impedire conantur.

Magum pseudoprophetam: hæc signanter coniungit Lucas, ut scias nõ simplicem magum inuenisse Apostolos, sed magum pseudoprophetam. Intelligit magum pseudoprophetam, qui præstigijs, prodigijs, signis, et miraculis, conatus est sibi conciliare æstimationem (sicut illi supra capite. 5. Theudas & Iudas: item postea Simon Magus) & impedire homines ab Euangelio. De potentia magiæ pseudopropheticæ, multa dixi supra Cap 5. & 8. Apostolus ostendit diabolum efficacem esse in incredulis, & antichristi membra uenire secundum operationem Satanae, cum omni potentia, & signis & prodigijs mendacibus, & cum deceptione iniusticiæ, in his qui pereunt &c.

Magum

Magnum : præstigijs & imposturis celebrem pseu-  
doprophetam : à doctrina uera seductorem.

Iudeum : à natione certam reddit historiam, in quæ  
usum accedit & nomen Magi.

Cui nomen erat Bariehu.

De hoc nomine quid sentiendum sit : item, de sequenti  
nomine Elymas, uide D. Erasmum Roterodamianum in  
suis Annotationibus.

Qui erat cum proconsule Sergio uiro  
prudente.

Apertum est ex hoc loco, Magiam tum in magno  
pretio fuisse, una cum illius artis studiosis.

Enthymema. Magus apud Sergium uirum pru-  
dentem fuit : Ergo Magus una cum arte fuit in pre-  
tium. De hoc Sergio uide Fenestellam de magistris. Ro.  
cap. 11. Viro prudente : commendatio Sergij à ciuili  
prudencia, omnium maxima uirtute, ex qua prospici-  
mus quid uerum simplex, & iustum est. vsus est com-  
mendationis Sergij à ciuili prudencia, ut ex commenda-  
tione personæ Sergij, postea innotescat potentia uerbi  
quod potuit hominem ciuilitate prudentem conuertere  
ad Euangelium. Enthymemata.

Sergius uir prudens fuit : Ergo Sergius difficulter  
potuit conuerti. Item.

Verbum

Verbum Sergium uirum prudentem conuertit:

Ergo uerbi magna est potentia.

Hoc Sergio solari se possunt omnes homines ciuilitate prudentes, & in magistratu constituti, quod tamē salui fieri queant & ad cognitionem Euangelij peruenire, quanquā illud sit difficile. iuxta illud: Difficile est diuitem ingredi in regnum coelorum.

Debet & hoc exemplū Sergij opponi Anabaptistis, qui negant personam magistratus posse Christianum esse, nisi ad susceptum Euangeliū, suum officiū deserat.

Hic accersitis Barnaba & Paulo

Hæc accersio effectus est prudentiæ in Sergio, qui uoluit prius audire doctrinam, antequam illam suscipere, aut damnaret. Est ergo prudentiæ exemplum in Sergio, qui nihil temerè agit, sed quod uidet uerū, simplex, & iustum esse amplectitur: falsa autem, implicata & iniusta detrectat. Simile propemodum ciuilibus prudentiæ exemplum habuimus in Gamaliele.

Discit magistratus noster, ne ante auditam doctrinam eam damnet, nec ante euangelicæ cause cognitionem, Euangelium persequatur: sed audiat doctrinam, & cognoscat, tandem nisi inuenerit eam rectam damnet ex auditu & cognitione doctrinam unam cum eius professoribus. Vnde imprudentiæ est in magistratu, damnare



doctrinam prius ne ꝑ auditam, neq; cognitam.

Accersitis: in hoc ut audiret ab illis uerbum dei.

Desiderabat audire uerbum dei.

Accersionis hæc causa est. Desiderabat: notat studium in Sergio pro audiendo uerbo. Audire uerbum dei auditus est causa fidei in Sergio, de qua postea. Ad Ro. 10. Fides ex auditus est: auditus uero per uerbum dei. Verbum dei: quod est à deo, & cuius intellectum reuelat deus. Resistebat autem illis Elymas magus. Euangelium semper habet sua obstacula. Resistebat: ne priuatam æstimationem & gloriam amitteret. Sic enim omnes impij adfecti sunt, quod credunt Euangelium ab æstimatione et gloria deponere, cum tamen Euangelium longè excellentior sit doctrina, quàm quod rebus illis leuibus studeat. Sic Herodes ad natum Christum timuit, ne pelleretur: sic hodie impius magistratus plerumq; timet.

Elymas magus quem prius uocauit Lucas, Bariehu. De his nominibus, sicuti dixi, consule magnum illum Roterodanum in suis Annotationibus.

Sic enim interpretatur nomen eius Charitatis opus est in Luca. interpretatione non inuis inferuire Lectori. Quærens auertere pro consulẽ à fide.

Causa finalis, ob quam Elymas resistit Apostolis: nimirum

nimirum ut proconsulem à fide auerteret, & impediret eum, ne acceptaret Euangelium.

Querens: notat studium in Elyma, ad exprimendum studium aduersariorum ueritatis. Auertere: in hoc, ut priuatam suam gloriam atq; æstimationem reseruaret. Et propter has finales causas, hodie iusticiarij operũ resistunt gratuite iusticiæ. Nota priuatas causas plerumq; impedire homines ab Euangelio.

A fide: quã habebat proconsul erga Euangelium. Vox fidei ostendit, Sergium non frustra audiuisse uerbũ dei.

Saulus autem qui & Paulus

Certum est ex hoc loco Apostolum binomina habuisse. Vide Eras. Roterod. in 1. cap. ad Rom.

**Repletus spiritus sancto** Habens multa spiritus sancti dona, & inter cetera & donũ faciendi miracula. Nã his uocibus: repletus spiritus sancto, alludit Lucas ad causas & constantie in Paulo, & sequentis miraculi. Enthymemata. Paulus repletus fuit spiritus sancto: Ergo intuens magũ dixit. O plene &c. Item Paulus repletus fuit spiritu sancto. Ergo Paulus constanter restitit Mago. Item Paulus repletus fuit spiritu sancto: Ergo Paulus coecitatem super Magum inducere potuit. Disce hic rationem commendandi sanctos à donis spiritus sancti, quæ habent.

Intuens in eū: hic intuitus Pauli repleti spiritus sancto effectus est. Et est hic intuitus signū constantis & fortis animi in Paulo, qui non dubitat se Mago uiro magne estimationis opponere ueritatis nomine.

Monemur etiam exemplo Pauli, ne uolentibus impedire homines à fide, cedamus.

### O plene omni dolo

Oratio Pauli increpatoria, plena adfectibus, quos gignit in Paulo studium & amor pro pietate.

Est autem oratio hæc effectus spiritus sancti, quo repletus est Paulus. Vera hic fit promissio Christi, Matthæi 10. Non eritis uos loquentes, sed spiritus patris uestri loquetur in uobis. Apertè loquitur Paulus Mago.

Ergo peccatores non sunt celanda peccata.

O plene: exclamatio pathetica.

Omni dolo & omni fallacia, filii diaboli:

Definit Paulus Magos pseudoprophetas, qui sunt homines pleni omni dolo et fallacia, filij diaboli, inimici omnis iustitiæ, nõ desinentes inuertere uias domini rectas.

Christus Matthæi 24. sic describit. Pseudoprophetae sunt, qui dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si possit fieri, etiam electi. Adsentitur prædictis descriptionibus & Apostolus. 2. ad Thessalon. 2. Pseudo Prophetae sunt, qui operantur secundum

secundum operationem Satanae, cum omni potentia & signis ac prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniustitiae, in his qui pereunt &c. *Omni: quia in impijs peccatum sequitur peccatum, dolus dolum.*

*Dolo: quia pseudoprophetae non aperte agunt*  
*Omni fallacia: haec uidetur Paulus his uerbis expressisse, cum omni deceptione iniustitiae.*

### Fili diaboli

Notat causam & pseudoprophetarum, & actionum suarum, quae diabolus est sicut quoque Apostolus ait in posteriore ad Theff. cap. 2. cuius aduentus secundum operationem Satanae

*Fili diaboli: qui diabolum & tuae professionis, & actuum tuarum, autorem habes.*

### Inimice omnis iustitiae

*Scilicet, gratuita, quae gratuito offertur credentibus per Euangelium. Omnis: id est, totius.*

*Per uocabulum iustitiae, non intelligit operum iustitiam, quam pseudoprophetae, et illi qui homines ab Euangelio, exemplo Magi abducere uolunt, non oderunt.*

Non delinis inuertere uias  
 domini rectas:

*Id est, non cessas & doctrina tua falsa, & signis ac prodigijs tuis mendacibus, uoluntatem domini*



impedire, & cursum Euangelij felicem cohibere.

Vias domini rectas omnia ea uocat, quæ ut fiant, uult deus, qualia sunt: progressus Euangelij, acceptatio Euangelij, credere Euangelio, amplecti gratuitam iusticiam & similia, quæ sunt rectæ domini uie, in quibus incedit dominus ipse. Domini uie dicuntur, quia in eis incedit dominus, uel quia eas monstrat est reuelat. Ponit & domini uias ad discrimen uiarum, quæ non sunt domini. Et Christus Matthæi 7. distinguit inter uiam latam & angustam. Illam multi ambulant: hanc pauci. Illam multi inueniunt: hanc uerò pauci. Rectas: discernit & hæc uox inter uias & uias.

#### A P P E N D I X.

Ex persona Magi huius, describi debent omnes, qui propter priuata sua comoda, manibus pedibusque laborant, Euangelium in suo cursu impedire, & ab illo homines abstrahere. Qui quid sint aliud, non uideo, nisi homines pleni omni dolo & omni fallacia, filij diaboli, inimici omnis iusticie, non desistentes inuertere uias domini rectas.

**Et nunc ecce manus domini  
super te.**

Horribilis poena eorum, qui nituntur Euangelium in suo cursu impedire, & homines à gratuita, quæ est per

est per fidem in Christum Iesum, iusticia, abstrahere. Pœna est cœcitas, tam corporis, quàm animæ, digna illis, qui homines à luce abducere uolunt. Cœcitas corporis, signum est cœcitatæ in anima. Pœnam hanc cœcitatæ, sic extulit Esaias cap. 6. Audite audientes, & nolite intelligere, & uidere uisionẽ & nolite cognoscere. Excœca cor populi huius & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte uideat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur & sanem eum.

Huius pœnæ participes fiunt omnes, qui Euangeliũ in suo cursu impedire laborant, & conantur homines ab Euangelio abstrahere. Pœnæ huius usus ad duo respicit: adumbrat pœnam eorum, qui impediunt Euangelium: & confirmat credentes Euangelio, ut firmius credant: uel est occasio ad fidem, ut qui nondum credunt, credant, idq; exemplo Sergij, qui ad cœcitatem Magi, credidit admirans doctrinam domini.

Considerabis & circa hanc pœnam, finalem miraculorum usum, qui est, ut per illa ad credendũ, inuitentur homines, & ut doctrinam Euangelij admirentur,

Et nunc: quia laboras Euangelij cursum impedire, & Sergium abstrahere, quò minus Euangelio credat.

Ecce: inopinantis particula.

Manus domini: potentia domini. Causam hic spectata miraculorum & poenarum, quæ manus seu potentia domini effectus est, non nostrarum uirium.

Item, disce hic deum punire peccata, & quia in hoc mago horribiliter punit deus peccatum, è quo laborauit Magus impedire Euangelium, & ab hoc homines deducere: quare certum est, eos grauissimè peccare, qui ponunt obstacula Euangelio, & ab hoc auertunt homines. Velim his temporibus, inimici gratuita iusticiæ, hanc Magi poenam diligenter expenderent, & cognoscerent super se habere pendentem domini manum. Et eris cæcus.

In signum te grauissimè peccasse, quia instituisisti Euangelium in suo cursu impedire, & Sergium à fide erga Euangelium abducere. Cæcus eris: in corpore & naima. Nam una cæcitas alterius signum est in hoc Mago. Qualis poena sit hæc cæcitas, et quàm ad huc hodie frequens existat, apertum est in inimicis gratuita iusticiæ, etiam hoc seculo. Foris enim uidentes, cæci sunt in suis actionibus, & intus in causa salutis nihil uident.

Non uidens solem usq; ad tempus.

Foris nõ cognoscens oculis corporis solē, nec intus cernens apertā ueritatē. Misericordiæ diuinæ signū  
& opus

Et opus est, deum ad tempus tantum punire, modo peccatorum ueniam, et in uiam redeamus. Etzechielis 18. Nolo mortem peccatoris, sed ut agat poenitentiam et uiuat.

Et confestim cecidit in eum caligo  
& tenebræ.

Circumstantia temporis notat potentiam domini, qui confestim et uno ictu punire et perdere peccatores potest. Commendatur igitur hic potentia domini, que bonis cōsolationi esse debet, et malis terrori.

Casus caliginis et tenebrarum, effectus est manus domini. Caligo et tenebræ expriment cœcitatē integram. Et circumiens quærebat.

Hec ostendunt perfectā et integram cœcitatē, ne quis imaginetur phantasticam cœcitatē. Pertinet huc uulgare dictum, Gottes handt scherzt nicht.

Tunc proconsul cū uidisset factū, credidit admirans doctrinā domini.

Vides cœcitatē Magi, non tam fieri quo punitur Magus, quàm ut occasio sit proconsuli ad fidem. Cernis hic finalem quandam miraculorum causam, que est, ut per illa inuitentur homines ad fidem erga Euangelium, et quo admirentur doctrinam domini.

Refert quoq; hic disputare de usu poenarum, quibus pu



bus puniuntur impij, qui est, ut illis homines ad credendum Euangelio promouentur, & in admirationem erga doctrinam domini rapiantur. Creditit: fides effectus miraculi. Admirans doctrinam domini: admiratio doctrinae res si. lei cognata est, & pertinet ad gratiarum actiones, quibus ostendit fides se gratam.

Potest & participium admirans exponi pro suspiciens & magnificiens, idq; in eodem sensu. Nam suspicere & magnificare doctrinam domini etiam pertinent ad gratiarum actiones. Doctrinam domini uocat, cuius autor est dominus, & quam dominus reuelat.

**Et cum à Papho nauigasset Paulus.**

Cohærentia ex circumstantia loci. Nauigatio Pauli commendat in eo studium & diligentiam pro plantando Euangelio Christi: item, commendat in eo eharitatē, ex qua Paulus studet multos lucrari Christo.

**Venerunt Pergen Pamphiliæ.**

Loci circumstantiæ seruiunt ad certitudinē historie.

**Ioannes autem discedens ab eis reuersus est Hierosolymam.**

Lucas non exprimit causas discessionis, quas ex contexturis colligere licet: nimirum quod Marcus uel ex amore patriæ, uel lassus itinere, uel ex timore crucis uel ex alijs causis, redierit Hierosolymam.

**Illi uerò**

Illi uerò peragratis regionibus uenerunt Antiochiam Pisidiæ.

Peragratione hac cõmendatur studiũ in Paulo & Barnaba, pro plantando Euangelio, unà cũ charitate multos lucrificandi Christo. Pisidiæ minoris Asiæ prouincia, in qua insignis urbs Antiochia sita est.

Et ingressi in synagogam die sabbatorum sederunt.

Ingrediuntur in synagogã, quia prædicatores sunt Paulus & Barnabas Euangelij, quæ est aperta doctrina, quæ in luce & tecto, non in tenebris & angulo prædicari debet, Matthæi 10. Item, quia in synagogam ingrediuntur. ostendunt se certam habere doctrinam & uerã, iuxta illud Ioannis 3. Omnis qui male agit, odit lucem. Monemus locũ sepe & addere auctoritatem doctrine, & adimere sepe. Die sabbatorum: quia in sabbatorum die Apostoli ingrediuntur synagogam, declarant, quis sit festorum usus, scilicet ut in illis & tractemus uerbum dei, & audiamus.

Sederunt: in signum se a sferre sedatam & pacifigam doctrinam, sedantem & pacificantẽ conscientias.

Post lectionem autem legis & prophetarum.

Exprimit his Lucas, quid Paulus & Barnabas egerint

egerint in synagoga: nimirū, quod legerint legem & prophetas, & per consequens eos interpretati fuerint, docuerintq; uerum illorum usum, qui est, testari de Christo, & esse ad Christum occasionem, iuxta illud. Lex p̄dagogus usq; ad Christum. Et quod Apostoli hæc docuerint in synagoga, significat sequens Sauli oratio, cuius summa est, prophetas testari de Christo, & legem ad Christum occasionem esse. Enthymena. Legerunt legem & prophetas: Ergo & interpretati sunt legē & prophetas. Valet argumentum ex cognatis. Recte cœperunt Apostoli à lege et prophetis, qui uenerant Iudæos de Christo seu Euangelio, docturi. Siquidem Christus seu Euangelium sine lege & prophetis, nullam habuissent autoritatem.

Enthymemata. Ad Christum occasio est lex: Ergo Christus amplectendus est. Item. De Christo testantur Prophetæ: Ergo Christum amplecti decet. Item: De Christo lex & Prophetæ testantur: Ergo Christi persona à deo est, placet deo: item, doctrina eius à deo est, certa est, & placet deo.

Miserunt principes synagoge ad eos.

Vel ex pietatis ueræ studio, ut eam promouerent: & sic docemur exemplo horum principum, ne prophetias aut contenuamus, aut extinguamus, quemadmodum

modum & Apostolus monuit. i. ad Theff. 5. Spiritum ne extinguatis: prophetias ne aspernemini, omnia probate, quod bonum est tenete. In hunc sensum hi principes synagoga, eorum typum gerunt, qui nolunt damnare Euangelij doctrinam, antequam illam audiant atq; cognoscant, id quod prudentiae est non mediocris in principibus. Horum exemplo magistratus & doctores ecclesiae mouentur, ne doctrinam quam nondum audierunt, neq; cognouerunt, damnent atq; proscribant. Vel ex malo animo, ut plebs praedicatione Apostolorum, ad seditionem commoueretur, & sic opprimerent Apostolos. Sequitur enim in hoc capite. Iudaei autem concitauerunt mulieres religiosas & honestas, & primas ciuitatis, & excitauerunt persecutionem aduersus Paulum & Barnabam, & iecerunt eos de finibus suis.

Pro hoc sensu, principes synagoga eorum typum gerunt, qui ex malo dolo permittunt Euangelij praedicationem, non ut Euangelium promoueant, sed ut magis impediunt.

### Viri fratres.

Amica insinuatio, quae est charitatis opus in principibus, quam non pudet fratrum aut proximi, & hoc pro priore sententia. Pro posteriore: haec uerba. Viri fratres, blandam insinuationem continent,



que non charitatis, sed hypocriseos fructus est.

**Si quis est apud uos sermo exhortationis ad plebem.**

In genere dicunt. Sermo exhortationis: aut ad doctrinam, aut ad uitæ mores. Ad plebem: pro posteriore sententia, sonant hæc uerba ad plebem, fastidium quendam, ex quo statuunt principes synagoga, se exhortatione opus non habere.

**Surgens autem Paulus.**

Quia oblata occasio non erit negligenda. Oratio Pauli pro maiori parte exhortatoria est: ex altera parte didactica est. Nam docet obiter Paulus legis & prophetarum usum. Legis, quæ est occasio ad Christum seu Euangelium. Prophetarum, qui testantur de Christo seu Euangelio. Exhortatur uerò Paulus Israelitas ad suscipiendū Euangelium, quia lex ad Euangelium occasio est, & propheta de Euangelio testantur. Forma prædicandi Euangelium pro Iudæis petenda est hinc, quæ sic formata esse debet. Ordinandum est à patribus, lege, & prophetis, & ab his descendendum est ad Euangelium in quod patres crediderunt, & per quod seruati fuerunt: ad quod lex occasio est: & de quo propheta testati sunt. Est & oratio Pauli referenda ad confessionem uerbi, quæ sequitur fidem.

quæ

quæ non potest nõ confiteri uerbũ creditũ, iuxta illud  
 Dauidis. Credidi, propter quod locutus sum. Item:  
 uile est hic disputare de prerogatiua Iudeorũ, quam  
 habuerunt præ gentibus, quia illis contigerunt pro-  
 missiones, testamenta, patres, &c. Et quia illis pri-  
 mum prædicatum est Euangelium: unde ait Paulus.  
 Viri fratres, filij generis Abraham, & qui in uobis ti-  
 ment deum, uobis uerbum salutis huius missum est.

Et manu silentium indicens.

In hoc, ut redderet eos attentos, quasi de rebus  
 magnis & necessarijs dicturus.

Viri Israëlitæ.

Captatio beneuolentiæ ab appellatione gentis, &  
 pietatis studio in plebe, qua insinuat se apud plebem,  
 & parat sibi beneuolos auditores. Enthymemata.

Vos estis Israëlitæ: Ergo uestrum est audire de gra-  
 tia, quam deus Israëlitæ exhibuit. Item: Vos estis  
 qui timetis deum, & curam religionis à deo datæ, agi-  
 tis: Ergo uestrum est audire de beneficijs dei, quæ  
 genti Israëliticæ exhibuit.

Et qui timetis deum.

Curam religionis habetis, & estis pietatis studio-  
 si. Timorem partem religionis ponit pro tota reli-  
 gione, cuius duæ sunt partes: fides & timor dei. Illa  
 cognoscit

cognoscit Deum ad salutem: hic cognitum Deum colit, & gratus est Deo pro salute concessa. Nam ad timorem totus Dei cultus referri potest.

Audite. Reddit attentos.

Deus populi huius elegit patres nostros.

Locus de prerogatiua Iudeorum, quantum attinet ad patres, promissiones & testamenta, cuius usus est, ut ea ostendat Paulus, Iudeos merito suscipere Euangelium, quod promissum acceperunt patres: item, de quo testati sunt prophetae, & ad quod lex occasio est.

Patrum, legis, prophetarum, & sic totius regni Iudaei causa finalis est, ut per patres, legem, prophetas, & certum regnum, conseruaretur promissio de Euangelio seu Christo. Quare finalis causa patrum, legis, prophetarum, & regni Iudaici, circa initium huius orationis diligenter consideranda est. De qua Apostolus ad Rom. 3. Nam primum quidem illud, quod illis commissum sunt oracula Dei. Ad Rom. 9. Quorum est adoptio, etc.

Enthymemata. Propter Christum electi fuerunt a Deo patres: Ergo Christus amplectendus est a uobis.

Item. Propter Christum ad patres facta est promissio: Ergo Christus a uobis suscipiendus est.

Item. Ad Christum lex est occasio: Ergo Christus amplectens

stus amplectendus est. Item.

De Christo testati sunt prophetae:

Ergo Christus suscipiendus est. Item.

Deus in patres multa contulit beneficia:

Ergo Deus in uos filios per Christum multa conferet

Deus populi huius: notat Deum causam esse Iudaei

ei populi, qui cum illi populo semper bene uoluit, ergo

adhuc beneuolet. Huius: ad discrimen gentium non ha-

bentium Deum in hoc mundo, ad Ephes. 2.

Elegit patres nostros: in quem obsecro finem? Re-

spondeo. Ut sic & uobis benefaciat, sicut benefecit pa-

tribus: ut in uobis cõpleat, quod patrib. promisit: ut lex

data patribus, occasio sit ad Euangelium: ut prophetis

de Euangelio testantibus satisfiat &c. Elegit: excludit

meritum. Patres nostros: en prerogatiuam Iudeorum

ex patribus, & sic per consequens, ex lege, & proph-

etis. Enthymema. Nostros patres elegit Deus:

Ergo nobis meditandum est cur elegerit: nimirum

propter conseruationem promissionis de Christo factae

Et populum exaltauit.

In hoc ut esset certus populus, in quo promissio de

Christo patribus facta conseruaretur.

Exaltauit: quia humiliatum & oppressum in ter-

ra Aegypti.



Cum essent aduenæ in terra  
Aegypti.

*Circūstantia loci certam reddit historiam, dum exponit ubi exaltatio facta est.*

Et in brachio excelso eduxit  
eos ex ea.

*Vt compleretur promissio de Christo patribus facta: deinde, ut compleretur promissio de liberatione ex Aegypto, Gen. 15.*

*Et in brachio excelso eduxit, potentia qua deus eduxit Israël ex Aegypto testatur de seruitute et oppressione populi.*

Et per quadraginta annorum tempus pertulit eorum morositatem in deserto.

*Videlicet, tantum ut seruaretur patribus de Christo promissio.*

Et destruens septem gentes  
iudicium primo. *Destruens: in hoc, ut institueret sibi populum in quo promissiones patribus factæ, de Christo conseruarentur.*

Et post hæc quasi quadringentos  
& quinquaginta annos.

*Quasi addit, ut scias Paulum ex incerto loqui de incerto*

Certo numero. Ab egressu Israël ex Aegypto usq; ad quartum annum regni Salomonis colliguntur anni quadringenti octoginta, cui summe si detraxeris quadraginta annos quibus imperauit rex Dauid, restant annus plus minus, quàm Paulus posuit.

Dedit iudices usq; ad Samuël prophetam.

Quae iuxta historiae seriem essent hic dicenda de institutione legis, omittit Paulus ut ocius ad suum institutum perueniat.

Dedit iudices: in hoc, ut esset certus populus, in quo seruarietur promissiones patribus de Christo factae: & ut per iudices illos cohiberetur populus à uitijs, non aliter atq; à pædagogis usq; ad Christum.

Et exinde postulauerunt regem,  
& dedit illis Saul.

In hoc, ut in certo populo conseruaretur promissio de Christo patribus facta: & quo rege refrenaretur populus, tanquàm pædagozo usq; ad Christum.

Annis quadraginta. Quibus regnauit Saul. Eusebius Samuëli et Sauli tribuit quadraginta tantum. Et amodo illo. Deus deponit magistratum, & diuina potentia corruunt regna.

Suscitauit illis Dauid regem.

In quo deus renouaret promissionē patribus de Christo factam, et sic seruaretur in certo populo de Christo promissio.

Cui & testimonium perhibens, Dixit  
Commendatio Dauidis præcedit, ne putent frustra factam promissionem Dauid, ut ex semine eius nasceretur Christus.

Ex huius semine deus, secundum promissionem eduxit Israëlī saluatorem Christum.

Accommodatio prædictorum ad institutum Pauli, quod fuit à patribus, lege, prophetis, et populo Iudaico descendere ad Christum, propter conseruationem promissionis de Christo date.

Ex huius semine: facit hic locus contra Valentiniānos, qui contendunt Christum carnem suam è cælo spiritualem adtulisse, nec quicquam à Maria accepisse, sed tantum per eam transiisse, non aliter atq; aqua, quæ transit per canale.

Secundum promissionem. 1. Regum 7. Cumq; completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, scitabo semen tuū post te, quod egredietur de utero tuo, &c. Israëlī: iuxta illud. Salus ex Iudeis est.

Saluatorem Iesum: propositio est hæc sequentis por-  
rò

ro partis in oratione Pauli. Salvatore[m] Iesum: interpretatione[m] nominis simul addit Paulus. Saluator est Christus, quia à natura salus est: deinde ab officio, quia alios saluos facit.

Cum ante prædicasset Ioannes.

In testimonium Christum promissum in foribus esse è quo testimonio colligere Israël debuit, Christum præsentem esse. Ex prædicatione Ioannis uult ostendere Paulus, Christum uenisse.

Ioannem oportuit præcedere Christum, quia sine prædicatione poenitentiae nihil prodest Christus, nec patet ad Christum saluatorem occasio.

Baptismum poenitentiae: ex signo intelligit & doctrinam. Israël: quia salus ex Iudæis est, & Euangelium oportuit primū prædicari Iudæis, cuius duæ sunt partes: poenitentia & remissio peccatorum.

Cum impleffet autem Ioannes  
cursum suum.

Suae prædicationi de poenitentia concessum.

Dicebat. Exemplum extenuationis in Ioanne, qui sibi non tribuit, quod suum non est.

Ufus huius discretionis personae Ioannis & Christi hic esse potest, ne obijciatur, Ioannem Christum fuisse, qui adeo non fuit Christus, quod etiam suam perso-



678 ERASMI SARCERII SCHOL  
nam à persona Christi separauerit.

Quem me arbitramini esse?

Quaestio de qualitate personæ.

Non sum ego.

Scilicet Christus.

Sed ecce uenit post me.

A testimonio Ioannis, & à discretionem personæ Ioan  
nis & Christi, probat Paulus Christum uenisse.

Cuius non sum dignus calciamenta  
pedum soluere.

Vt uel in minimo illi seruiam. Agnoscit Ioannes suã  
indignitatem, ad suum ministerium. Vide nostra Scho  
lia in 1. cap. Ioannis.

Viri fratres. Amica insinuatio & blanda,  
ut retineat Paulus beneuolos auditores, in hoc in loco  
necessaria: quia coram Iudeis, qui uilitate & contem  
ptu personæ Christi offensi erant.

Charitatis est, quod Paulum non pudeat fratrum.

Filij generis Abraham.

Quorum sunt patres, adoptio, testamenta, promissio  
nes, &c. Ad Rom. 9.

Alludit ad prærogatiuam Iudeorum, qua eos inuis  
tat, ut se promissionis de Christo participes faciant crea  
dantq; Euangelio. Enthymema.

Vos

Vos estis filij Abrahæ, cui contigit promissio: Ergo uos debetis curare, ut promissionis quæ contigit Abrahæ, fiat participes.

**Et qui in uobis timent deum.**

Id est, exemplo Abrahæ et aliorum patrum credunt promissioni de Christo, quam deus promisit.

Distinguit Paulus inter Iudæos filios Abrahæ secundum carnem: & eos qui sunt secundum promissionem De filijs secundum carnem ait. Filij generis Abrahæ. De filijs promissionis. Et qui in uobis timent deum.

Vel: & qui in uobis timent deum: id est, promissionis sunt studiosi, & pietatis curam habent.

**Vobis uerbum salutis huius missum est.**

Ergo curate, ut illud suscipiatis.

Uerbum salutis uocat Euangelium, quod est ipsa salus, & alios saluos facit. Vel uocat uerbum salutis Christi, de quo non audet aperte coram offensis Iudæis ex uilitate personæ Christi crucifixi, loqui. Vobis: quibus primum debuit prædicari Euangelium.

**Qui enim habitant in Ierusalem.**

Actiologia de causis mortis Christi, quæ nõ fuerunt merita, sed Iudæorum in Ierusal: ignorantia, & ut

implerentur prophetarum uaticinia. Et respondet Pal<sup>lus</sup>  
 Iudæi, Christum Hierosolyma occisum, de merito occu-  
 buisse, & ideò non uerum Mesiam fuisse.

Hunc non noscentes.

Vna mortis Christi causa ignorantia est, quam nò  
 adducit, ut Iudæos excuset, sed ut declaret innocentiam  
 Christi. Corā ciuili iudice fortassis aliquando uerū est.  
 Ignorantia excusat peccatum. At corā Deo alia res est.

Et uoces prophetarum.

Altera causa mortis Christi, ut implerentur Prophe-  
 tarum uaticinia. Enthymemata. Christū ex ignorantia  
 occiderunt Iudæi: Ergo Christus innocens perijt.

Item. Christus secundum uoces prophetarū occi-  
 sus est: Ergo Christus innocenter occubuit, nec pas-  
 sus est temere. Vsum quendam finalem prophetarum  
 hic specta, qui est testari de Christo.

Quæ per omne sabbatum leguntur.

Et quæ sic neminem fugere possunt.

Condemnato eo, innocente & non promerente  
 suam mortem. Impleuerunt.

Pertinent huc uulgares illæ uoces in passionis histo-  
 ria. Ut impleretur, quod dictum erat per prophetam,  
 & similes.

Et nullam causam mortis inuenientes in eo.

Spectant hæc ad exaggerationem peccati de occiso Christo in Iudæis. *Enthymema.*

In Christo nullam mortis causam inueniunt.

Ergo Christus non meruit suam mortem.

Postulauerunt à Pilato.

Partim ex ignorantia : partim quia oportuit Prophetarum uaticinia impleri. Postulauerunt à Pilato: & sic inquires Pilato.

Vt interficeret eum.

Tanquam blasphemum, cum nihil minus erat.

Cumq; consummassent omnia, quæ de eo scripta erant.

Vrget alteram mortis causam ut clarius ostendat Christum innocenter occubuisse, nec temerè.

Deus autem suscitauit eum à mortuis.

Et hæc quasi per occupationem necessaria addit Paulus, ne cogitent Iudæi, quibus loquitur, iam de Christo actum esse. Siquidem rationis in nobis argumentum est.

Christus mortuus est : Ergo de Christo actum est.

Contrarium respondet Paulus, dum dicit Christum à mortuis suscitatum esse à Deo, q. d. Christum suscitauit Deus :



Ergo de Christo non est actum. Suscitatum esse Christum à mortuis à Deo, est Christum positum esse ad dexteram Dei patris in caelestibus supra omnem principatum, potestatem, uirtutem, dominium & omne nomen quod nominatur, non solum in seculo hoc, sed & in futuro: item, est Christo omnia subiecta esse & illi constitutum caput super omnia ipsi ecclesiae: item, est Christum positum esse dominum supra diabolum, peccatum, mortem &c. Deus diuinae potentiae opus est suscitatio Christi à mortuis. Suscitauit: notat Christum oppressum fuisse potentissimis hostibus.

A mortuis: posito uno hoste intelligit & reliquos ut diabolum, peccatum, infernum &c.

Qui uisus est per dies multos.  
his.

Quare non est, quod dubitetis de resurrectione Christi. Ent hymema.

Christus post resurrectionem per multos dies uisus est Apostolis: Ergo Christus uerè resurrexit. Argumentum à testibus resurrectionis Christi.

Qui simul ascenderant.  
Periphrasis Apostolorum.

Qui usq; nunc testes sunt eius ad  
populum.

Quod uerè resurrexerit Christus.

Apostoli qui fuerint, ex hoc loco patet: nimirum testes resurrectionis Christi.

Et nos uobis annunciamus promissionem.

Occupatio, ne Iudaei cogitent, tantum eos esse resurrectionis Christi testes, qui simul ascenderunt cū eo de Galilea in Ierusalem, imò inquit: & nos uobis annunciamus promissionē & c. Promissionē: de resurrectione Christi. Quæ ad patres nostros facta est.

Sicut porro scripturæ testimonio audietis. Promissionem de resurrectione Christi patribus factam, intelligit omnes scripturæ de resurrectione Christi locos, quibus se patres consolati sunt.

Quod hanc deus adimpleuit nobis filiis illorum.

Id est, seruauit fideliter. Vnde cōmendat Deū Paulus à tenacia suarū promissionū. Resuscitans Iesū.

Non permittens eum perire in morte, sed faciens eū dominum mortis & peccati.

Sicut & in Psalmio primo scriptum est.

Quia haftenus aliquandiu dixit Paulus de resurrectione Christi, ne uideatur ex suo cerebro locutus, addit scripturæ testimonia. Enthymema. De resurrectione Christi testatur scriptura: Ergo

Ergo resurrectio Christi certa est.

Psalmo primo : quia ea quæ præcedunt Psalmum, quem nos secundum patamur, tantum præfationis loco præmissa sunt. Videre licet plures aliorum sententias apud Erasmm illum magnum, in Annotationibus in nouum testamentum.

Filius meus es tu, ego hodie  
genui te.

Psalms hic adhortatorius est, ad suscipiendū Christum & regnū eius. Inter cætera agit de aduersitatibus Christi & eius resurrectione. Verba spectantia ad resurrectionem Christi hæc sunt: Ego autē cōstitutus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me. Filius meus es tu, & ego hodie genui te. Id est, quanquàm de te morte oppresso iudicet mundus, nunc rectum esse tamen ego hodie excitauī te à mortuis, & constitui te regē super Sion, sedere te feci ad dexteram meam, &c.

Filius meus es tu, & ego hodie genui te : hæc uerba nihil aliud sibi uolunt nisi Christum à deo patre exuscitatum esse à mortuis, & constitutum dominum super oues & boues, &c. Psal 8.

Pertinent huc scripturæ loci, qui patri deo tribuunt quod filium à mortuis excitauerit, ad Rom. 4. Non

scrib

Scriptum est propter illum tantum, sed etiam propter nos, quibus imputabitur, credentibus in eum, qui excitauit Iesum dominum nostrum à mortuis: qui traditus fuit propter peccata nostra, & excitatus est propter iustificationem nostri, ad Rom. 6. Vt quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, &c. Ad Ephes. 1. qui credimus secundum efficaciam roboris fortitudinis eius, quam exercuit in Christo, cum eum suscitaret ex mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in caelestibus, &c.

Filius meus es tu: quanquam in oculis carnis uilis & contempta persona.

Et ego hodie genui te: id est, regenui ad priorem tuam gloriam, dum te ex mortuis exuscitauit, sedere te feci ad dexteram meam, constitui te caput supra omnia: dedi tibi nomen supra omne nomen, subieci omnia sub pedes tuos, feci tibi subditos oues & boues, &c.

Hodie: à tempore resurrectionis.

Augustinus & qui eum sequuntur, exponunt hunc locum de diuinitate Christi, & aeterna à patre generatione, accipiunt; hodie pro semper.

Quod autem suscitauit eum à mortuis amplius iam non reuersurum in correptionem.

Porro



Porro alio scripturæ loco non tantum probat resurrectionem Christi, sed etiam eum amplius non moriturum ostendit: imò non futurum finem regni Christi, quod per resurrectionem incepit. Ita dixit.

Propheta Esaias. cap. 55. Verba Pauli aliquantulum discrepant à uerbis Prophete, quæ sic habent. Et faciam uobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fidelis. Sensu itaque reddidit Paulus, etsi uerba non eadem posuerit

**Quod dabo uobis sancta Dauid fideliter.**

Id est, pactum quod inij cum Dauide, de nouo Christi regno, & in æternum duraturo, quod incipiet per suam resurrectionem, seruabo fideliter. Sancta: per sancta intelligit pactum de Christo sancto & regno eius sancto, in æternum duraturo. Fideliter: sine dolo et fallacia. Nota Deum suarum promissionum tenacem & fidelem custodem esse.

**Ideoq; & alibi dicit.**

Propheta Dauid Psalmo. 13. qui continet precationem Christi ad Deum patrem, ne permittat eum in cruce seu morte succumbere: imò resurgere faciat. Simpliciter probat hic Psalmi locus resurrectionem Christi.

**Non dabis sanctum tuum uidere corruptionem,**

Id est,

Id est, non permittes Christum filium tuum perire in cruce seu morte. Et sequitur de resurrectione, de qua sibi precans Christus certo persuasit. Notas fecisti mihi *uis uitæ*: id est, ex morte ad uitam surgere fecisti.

Vide copiosorem huius loci expositionem, supra in cap. 2. Acto.

Dauid enim cum sua ætate defunctus esset.

Occupatio, ne putent Iudæi, prædictum è psalmo de resurrectione Christi locum, de Dauide intelligendum esse. Similè occupationem supra cap. 2. habuimus, quando dixit Petrus. Non enim Dauid ascēdit in caelos &c Ibidem. Viri fratres liceat audenter dicere ad uos de patriarcha Dauid quod defunctus est & sepultus est, & sepulchrum eius apud nos usq; in hodiernum diem.

Consilio dei dormiuit.

Dispositione & ordinatione Dei. Ostendit mortem Dauidis non temerè accidisse, sed singulari Dei consilio, sic & pij omnes non temerè, sed consilio Dei singulari obdormiunt. Consolatorium est pios Dei consilio obdormire. Vnde & Dauid sanctorum mortem præciosam dixit. Enthymema. Pij consilio Dei obdormiunt Ergo piorū curā Deus gerit in morte. Item aliud Pij Dei consilio obdormiunt: Ergo pij non debent timere mortem.

Dormiuit

Dormiuit: consolatorium & hoc est, mortem sord  
nū dici. Et sanè mors pijs nihil est aliud quā somnū.

Alia res est cum impijs, quorum mors ignobilis est.  
Et appositus est ad patres suos et uidit  
corruptionem.

Id est, uerè mortuus est et nondum resurrexit, expe  
ctans uniuersalem omnium aliquando resurrectionem

Enthymemata. Dauid consilio Dei dormiuit:  
Ergo de Dauid locus Psalmi non debet intelligi.

Item. Dauid appositus est ad patres suos:  
Ergo de Dauid locus Psalmi non debet intelligi.

Item. Dauid uidit corruptionem.

Ergo Dauid non resurrexit, sed Christus.

Quem uerò deus suscitauit.

Resurrectio Christi opus potentie Dei patris est.

Is non uidit corruptionem.

Id est, in morte temporali non permansit, sicut Da  
uid: imò resurrexit à morte, ut & Dauid aliquando  
resurgat. Notum igitur sit uobis.

Probationē resurrectionis Christi, sequuntur resurre  
ctionis eius fructus, idq; per occupationem, ne cogita  
rent Iudæi, Christū tantū pro se resurrexisse, ut ipse ui  
uat & bene habeat. Infert itaq; Paulus, Christum pro  
alijs resurrexisse, idq; in hoc, ut conferat alijs remissio  
nem peccatorum, uitam & iusticiam.

Notum

Notum igitur sit uobis : quia Christus resurrexat.

Viri fratres.

Blanda & amica insinuatio, qua coram offensis Iudeis ex uilitate & contemptu personæ Christi, opus habuit Paulus. Quod per hunc.

Emphaticôs : nam Christus solus & non alius est sapientia, iusticia, redemptio & sanctificatio nostra. u. ad Corinth. 1. In summa extra Christum non est salus.

Proclamatur hic Christus solus iusticia & salus nostra, contra omnia Antichristi Concilia.

Vobis. Quibus Christus primum prædicari debet. Magna inest consolatio in hoc pronomine uobis, quo consolari se possunt Iudæi, tanquam illi, qui ad Euangelij gratiam pertineant.

Remissio peccatorum annunciatur.

Et sic ex rebus cognatis, iusticia & uita. Et reuera remissio peccatorum simpliciter sonat iusticiam, cuius res cognata est uita. Potest hic institui disputatio de causis iustificationis, quæ Christus & fides sunt. Christus qui confert iustificationem. Fides, quæ Christum ad iustificationem apprehendit. Firmiter hic stant duæ hæ sententiæ, inuitis omnibus iusticiarijs operum. Extra Christum non est salus. Et iustificamur per Christum et fidem Christum apprehendentem gratuito.



## Ab omnibus

scilicet peccatis. Christus pro omnibus peccatis satisfecit, & omnia peccata remittit: imò culpam cum pœna, & pœnam cum culpa.

Falsa est illorum opinio ex hoc loco, quod Christus tantum pro originalibus peccatis satisfecerit, & illa tantum extinxerit: nobis autem restare pro actualibus solutionem. **A** quibus non potuistis per legem Moſis iustificari.

Refert hic distinguere inter ea, à quibus lex Moſi iustificare potuit, & inter ea à quibus iustificare lex Moſi non potuit. Distinctionem petes ex epistola ad Hebræos. capite nono inquit Autor: adhuc prior tabernaculo consistente, quæ erat similitudo pro tempore tum præſente, in quo dona sacrificiaq; offeruntur, quæ non possint iuxta conscientiam perfectum reddere cultorem in cibis duntaxat & potionibus, & diuersis ablutionibus ac iustificationibus carnis, usq; ad tempus correctionis imposita. At Christus accedens pontifex futurorum bonorum, per maius & perfectius tabernaculum, non manu factum, hoc est, non huius structure, neq; per sanguinem hircorum ac uitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Nam si sanguis taurorum, & hircorum,

hircorum, & cinis iuuenca aspergens inquinatos, sanctificat ad carnis purificationem, quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum eternum scipsion obtulit immaculacium deo, purgabit conscientiam uestram à mortuarijs operibus, ad seruendum deo uiuenti?

Ex quibus certum est, à quibus lex Mosi iustificare potuit, à quibus non: nisi tum ab externis tantum, nec tamen secundum conscientiam: purgare à carnis immunditijs purificare foris &c. Vnde quæ fuerit legis iusticia quoque hinc patet: scilicet purgatio carnis tantum externa iusticia, ciuili & politica coram republica Moscaica, coram qua illa iusticia, iustificati, tantum fuerunt iusti. Iusticia autem Christi est, qua per fidem in Christum iustificamur ab omnibus peccatis, idque coram deo: item, qua purgamur non ad carnis purgationem, sed ad conscientie purgationem, à mortuarijs operibus, ad seruendum deo uiuenti.

A quibus: uidelicet ab interna impietate, ab internis iutijs, à mortuarijs operibus, à pollutione mentis &c.

Et seruient huc uoces ex epistola ad Hebræos, supra allegata. Quæ non iuxta conscientiam perfectam reddere possunt cultorem: item, purgabit conscientiam uestram à mortuarijs operibus, ad seruendum deo uiuenti.

**OBJECTIO** Qualis ergo iusticia fuit Mosæ?  
**ca. RESPONSIO** Iusticia carnis tantum &  
 non conscientie, quæ non potuit conscientiam coram  
 deo tranquillam reddere. **OBJECTIO**

Qualis autem est iusticia Christi?

**RESPONSIO** Est iusticia conscientie, quæ  
 coram deo reddit tranquillam conscientiam.

Non potuistis: ad Ro. 8. Etenim quod lex præstare  
 non poterat, ea parte, qua imbecillis erat per carnem,  
 hoc deus proprio filio, misso sub specie carnis peccato  
 obnoxie prestitit, ac de peccato condemnavit peccatū  
 per carnē, ut iustificatio legis impleretur in nobis &c.

Acto. 15. Quod nec nos, nec patres nostri portare pot  
 tuimus. ad Heb. 7. Abrogatur enim q, præcessit præ  
 ceptū propter imbecillitatē, & inutilitatē. ad Hebræ  
 os 9. Que non iuxta conscientiam perfectum reddere  
 possunt cultorem. Et quod lex nō potuerit iustificare  
 nos coram deo, satis testatur Christus Matthæi 5. ubi  
 dicit suum officium esse ad implere legem ad iusticiam.

Omniū appertissimus est hic locus. Legem Mosæ  
 cam nō iustificare. Spectant huc similes scripturæ sen  
 tentiæ. Ad Ro. 3. Arbitramur igitur iustificari homi  
 nem fide absq; operibus legis. Ad Gal. 2. Si iusticia est  
 ex operibus legis, frustra mortuus est Christus.

Non potuistis: causa, quod Iudaei non fuerint iustificati per legem Mosi, non tam in lege fuit, quam in Iudaeis qui legi satis facere ad iusticiam coram deo non potuerunt. Lex ait: Quicumque fecerit ea, uiuet in eis.

Quare perfecte legem praestantibus, promittit lex uitam & iusticiam. At quia perfecte legem nemo hominum praestare potest: igitur rectissime hic dicit Paulus Iudeos per legem Mosi iustificari non potuisse.

Per legem Mosi dicit: ut intelligas totam legem, non tantum partem legis: sicut quidam statuunt, tantum caeremonialia & iudicialia non potuisse iustificare homines: Decalogi autem praeccepta iustificasse. Item, quia tota lex Mosi non potuit coram deo iustificare: ergo & tota lex, quantum ad iustificationem attinet abrogata est.

Iustificari: scilicet coram deo. Interim relinquit iustitiae legali coram republica Mosaica, suam laudem, quae est iustificare coram politia Mosi.

Per hunc omnis, qui credit iustificatur

Christus uniuersalis est iustificator pro omnibus credentibus. Per hunc: reiecta lege, ut causa iustificationis, subijcit nunc ueras causas, quae Christus & fides sunt. Omnis: Christus uniuersalis iustificator est.



Qui credit: Christus credentibus tantum iustificatus est, qui eum fide ad iusticiam apprehendunt. Ioannis 1. Et dedit illis potestatem filios Dei fieri: uidelicet, his qui credidissent in nomen ipsius. Iustificatur: coram Deo. Sensus est huius loci, iusticiam coram Deo contingere fide in Christum.

Videte ergo.

Reddit attentos. Hactenus hortatus est Paulus ad suscipiendum Euangelium: nunc addit minas contra eos, qui Euangelium contemnent neque suscipient.

Locus de minis ex primo capite Abacuc transcriptus, est comminatio in contemptores prophetarum & eorum, que uaticinabantur propheta, à captiuitate Babylonica, sicut & sequitur in propheta post presentem locum. Quia ego suscitabo Chaldeos, gentem amarantem & uelocem, ambulantem super latitudine terre, &c.

Porrò ut nunc Deus contemptores prophetarum & eorum, que docebant, punitur captiuitate Babylonica: ita grauius prædicit Paulus Deum puniturum contemptores Euangelij. Locus communis est hic de poena contemptorum Euangelij.

Ne ueniat super uos, quod dictum est in prophetis.

Contemnatio poenæ in contemptores Euangelij.

Videte

Videte contemptores, & admiramini, & dispergimini.

Videte. Propheta reddidit attentos, quasi de gratissimis rebus dicturus. Periphrasis grauiſſima pœne in contemptores Euangelij. Admiramini exaggeratio pœne, ad quam etiã illi, qui eam ſentient, admirabantur.

Dispergimini. notat grauiſſimam pœnam.

Qui opus operor ego in diebus ueſtris.

Id eſt talem captiuitatem, qualem uos nunc nõ creditis. Pertinent & hæc ad exaggerationem pœne.

Opus, quod non creditis

ſecuritate impediti. Quod non creditis: ſcilicet uos, qui templũ dei habetis, qui eſtis populus dei &c.

Exeuntibus autẽ iudæis ex ſynagoga

Que ſequuntur de fructibus ſunt prædicationis Pauli, que non fuit inefficax, ſed per cooperationem ſpiritus ſancti efficax. Quibus fructibus commendatur nobis potentia uerbi, et declaratur externũ uerbi minifterium, non eſſe (modo cooperetur ſpiritus ſanctus) inefficax. Priore ad Corinth. 3. Ego plantau, Apollos rigauit: ſed deus dedit incrementũ. Eſa. 55. Verbum meũ non redibit ad me uacuum. In exeuntibus Iudæis, exemplum ſtudij & feruoris eſt pro Euangelio, &

et eius foelici successu. Exeuntibus: uerbū dei cum refrigerio audire debemus, et per uices, ut durare in feruore erga uerbum possimus.

Rogabant. Rogare hoc opus esse fidei, quae statuit uerbū, quod praedicabat Paulus, ueritatē esse, et dignum quae promoueretur. Item, opus charitatis est, ex qua rogantes studuerunt saluti proximi.

Ut sequenti sabbato loquerentur ad eos uerba haec.

Promouent his uerbis Euangelium Iudaeis, et spectant haec ad exaggerationē studij in Iudaeis pro promouendo Euangelio. Sabbatum: tempus deputatum sacris exercitijs. Verba haec: ita cōsolatoria de gratia Iudaeis prima Euangelij praedicatione facta, de remissione peccatorū et iustificatione per Christū etc.

Cumq; dimissa esset synagoga.

Circumstantia temporis certam reddit historiam. Synagoga dimissa est: ergo per uices audiendum est uerbum.

Multi Iudaeorum & proselytarum colentium deum.

Effectus praedicationis uerbi, commendans uerbum à sua potentia, et ministerium uerbi à sua efficacia, per quod spiritus sanctus efficax esse operari. Enthymema. Ad praedicationē Pauli multi crediderunt: Ergo

praedicationis

predicati uerbi magna est potentia, nec frustra predicatur. Iudeorū : generatione qui erant Iudaei. Et profelytarū : ex gentibus qui susceperant Iudaismum. Colentium deum : quanquam non secundū scientiam. Commendantur Iudaei & profelyti à pietatis studio, & zelo.

Secuti sunt Paulum & Barnabam.

Crediderunt doctrinae Pauli & Barnabae & Euangelio à Paulo & Barnaba predicato. Sequela signū fidei est, quae doctrinae credit Pauli & Barnabae.

Enthymema. Secuti sunt Paulum & Barnabam. Ergo crediderunt doctrinae eorum.

Qui loquentes persuadebant eos, ut permanerent in gratia dei.

Quia securitas inimicissimus hostis est Euangelio, & de facili ad predicatum ac susceptum Euangelium sequitur : quare nunc Paulus & Barnabas, eos, qui susceperunt Euangelium, ad progressum in Euangelio, & ad constantiam adhortantur. Nam non ille beatus est, qui suscipit tantum Euangelium, sed qui in Euangelio ad finem usq; perseuerat. Similis est adhortatorius locus, qui extat ad Philip. 1. Et illud oro, ut charitas uestra adhuc magis ac magis exuberet in agnitione omniq; intelligentia. Persuadebant eos : scrijs



uerbis & argumentis instituebant eos. Ut permanerent in gratia dei: serio studio curarent susceptum Euangelium, nec fierent securi. Enthymema. Iudeos, qui susceperant Euangelium, Paulus & Barnabas, persuadebant, ut permanerent in gratia dei: Ergo susceptores Euangelij facile incidunt in securitatem, aut incidere possunt. Spectant huc et Christi adhortationes ad uigilantiam & strenuam suscepti Euangelij prosecutionem, Lucae 22. Ne inebriantur corda uestra, crapula & ebrietate, &c. Gratia dei: cuius deus autor est, & quam deus reuelat gratiam dei uocat Euangelium, quod deus reuelat ex gratia.

### Sequenti uero sabbato.

Cohærentia ex circumstantia temporis,

**Penè uniuersa ciuitas conuenit  
audire uerbum dei.**

Studium uulgi pro audiendo uerbo, quod ut facile fit in uulgo, sic rursus perit facile. Nec iniuste: Quia uulgus plerumq; audit Euangelium propter priuata commoda & libertatem carnis. Conuenit: priuatis commodis, libertate carnis, & nouitate rei, mota.

**Videntes autem turbas Iudæi.**

Exerit nunc se maluolentia & hypocrisis in Iudeis, quos credo ex principibus synagoge fuisse, qui  
supra

Supra dixerunt ad Paulū & Barnabam. Viri fratres, si quis est apud uos sermo exhortationis ad plebem, dicite. Monemur hic non posse in perpetuum laterē hypocrisin, sed tandem prorumpere in apertum furorē. Inuidie exemplum in Iudæis, qui turbæ Euangeliū gratiam inuident, & nituntur eos ab Euangelio abstrahere, cursumq; Euangelij impedire. Iudæi: principes synagoga. Repleti sunt zelo.

Falso, & illo, qui non est secundum scientiam, ad Rom. 10. Et contradicebant his.

Opponebant se doctrinæ Pauli.

Blasphemantes.

Contra doctrinam Pauli ueram. Blasphemare est hic peccatum contra secundum præceptum, & est ueram doctrinam damnare, exponere conuitijs, & sic nomen dei in uanum accipere.

Tunc cum fiducia Paulus & Barnabas dixerunt,

Præceptū dei est confiteri ueritatē, quare Paulus & Barnabas, nihil hic cōmouentur cōtradictione & blasphemijs Iudæorū. Docemur exemplo Pauli & Barnabæ, ne taceamus, ubi aut contradicitur ueritati, aut illa blasphematur. Constantiæ exemplū in Paulo & Barnaba est, qui in Iudæorū cōtradictione et blasphemijs

NON

non commouentur, ut taceant ueritatem. Tunc contradictiones & blasphemiae uerbi, occasiones sunt, ut uerbum maiori fiducia confiteantur pij. Et reuera sic se habet cum uerbo, non aliter atq; cum palma, quae quanto magis supprimitur, tanto magis exurgit: Sic hodie quanto magis opprimitur Euangelium, tanto magis erigit cristas suas, & fortunatius procedit.

Cum fiducia: non in se confidentes, sed in uerbum, quod non potuit fallere. Dixerunt: fide ut causa moti, cuius effectus est confessio uerbi cum fiducia, secundum Dauidem, qui dixit: Credidi propter quod locutus sum. Vobis oportebat primum loqui uerbum dei.

Quia uobis facta est promissio, uos habetis testimonia dei, oracula, patres, &c. Alludit ad prerogatiuam Iudaeorum, quam habuerunt in carne.

Oportebat: ex uestra prerogatiua. Primum propter prerogatiuam. Verbum dei: Euangelium, cuius deus autor est, & cuius intellectum reuelat deus.

Porro sicut oportuit primum praedicari uerbum dei Iudaeis: ita & illis praedicatum est. Unde & Christus in Ioanne dixit: Salus ex Iudaeis est.

Sed quoniam repellitis illud.

Quod Iudaei non susceperunt Euangelium, causa in ipsis

in ipsis est, quia noluerunt. Repellit: ex mera animi malitia, quia contempto & humili Euangelio, non multis dare gloriam.

Et indignos uos æterna uita iudicatis.

Id est, putatis uos non opus habere Euangelio ad æternam uitam, neque creditis Euangelium uilem & contemptam doctrinam in speciem, ad uitam æternam occasionem esse, &c. Indigni uero iudicant se Iudei æterna uita, qui putant se ad uitam æternam pertinere sine Euangelio posse: confidunt suis iusticijs, tamquam causis ad uitam æternam. Annectunt Euangelio uitam æternam, quæ est Euangelij res cognata. Si quidem hæc ad uitam æternam uia est. Euangelium annunciat per fidem in Christum iusticiam, hæc fide apprehenditur, iusticiæ res cognata est uita æterna.

Repellere & iudicare uoces transferunt causas oblato Euangelij à Iudeis ad gentes, in ipsos Iudeos, Psal. 117. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A domino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris. Ideo dico uobis, auferetur à uobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructum eius. Pertinent huc quoque ille parabola, quæ extant Matth. 21. & 22. Altera de homine patre facilius,



miliis, plantante uineam. Altera de homine rege, quod fecit filio suo nuptias. Quæ docent propter ingratitude dinem Iudeorum erga Euangelium, hoc ad gentes abiisse. Ad Roman. 11. Sed per lapsum illorum, contigit salus gentibus.

### Ecce conuertimur ad gentes.

Quia uos repellitis Euangelium, iudicatis uos indignos uita eterna, quæ est Euangelio res cognata, non uultis suscipere Euangelium, &c. Hæ enim & similes res cause sunt translati Euangelij à Iudeis ad gentes, sicut patet ex paulo in ante adductis locis & parabolis. Ad gentes: ut hæ faciant fructum regni dei, credant Euangelio, suscipiant illud, &c.

### Sic enim præcepit nobis dominus.

Aetiologia conuersionis ad gentes, ex qua nõ temerè cõuertuntur Apostoli ad gentes, sed quia sic placuit deo, qui suum Christum non solum Iudeorum, sed & gentium saluatorem esse uoluit. Nota conuersionem Euangelij ad gentes non temerè factam esse, sed uoluntate, ordinatione, & dispositione dei. Et Christus dixit, Matthæi, 21. A domino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris, &c.

Præcepit nobis dominus: ut uerbum domini conuocetur de Christo & gentium saluatore.

Posui

Posui te in lucem gentium, ut sis  
ad salutem usq; ad extre-  
mum terræ.

Vaticinium de uocatione gentium ad Euangelij gra-  
tiam, quò solari habent se gentes, ut sciant se posse gra-  
tiam fieri participes. Ante hunc Esaiæ locum, sic inquit  
dominus ad Christum. Parum est ut sis mihi seruus ad  
sustentandas tribus Iacob, & feces Israël conuertendas.  
Et sequitur. Dedi te in lucem, &c. Totius loci hæc est  
sententia. Christum non tantum Iudeorum, sed & gen-  
tium saluatorem esse.

In lucem gentium: Christus natura est lux, & quia  
gentes illuminat. Vt sis ad salutem usq; ad extremum  
terræ: id est, uniuersalis saluator, Psalm. 2. Postula  
à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poss-  
sionem tuam terminos terræ.

### Audientes autem gentes,

Quid Apostoli sua prædicatione effecerint, nunc  
sequitur: nimirum illorū prædicatione facta est alijs in  
odorem uitæ, alijs in odorē mortis. Quemadmodum  
Paulus ipse de sua prædicatione testatur, 1. ad Corin-  
thios 2. Deo autem gratia, qui semper triumphat per  
nos in Christo, & odorem notitiæ suæ manifestat per  
nos in omni loco. Quoniam Christi bona fragrantia  
sumus

sumus deo in his, qui salui fiunt, et in his, qui percutiuntur. his quidem odor mortis ad mortem: illis uero odor uitae ad uitam. Audientes autem gentes, gauise sunt: pulchre sequitur gentes ad oblatam Euangelij gratiam gauisus esse: sequitur & pulchre Iudeos ad translationem gratiae Euangelij nihil meliores factos esse, imo coeciores & pertinaciores. Audientes autem gentes: scilicet & Euangelij gratiam ad se pertinere.

Gauise sunt: gaudium effectus est leti nuntij de susceptione gentium ad Euangelij gratiam.

Est praeterea hoc gaudium fidei effectus, qui testatur de fidei praesentia, ex qua gentes praedicationi Pauli de uocatione gentium crediderunt.

Et glorificabant uerbum domini

Id est, agebant gratias domino, pro suo uerbo, pro sua gratia &c. Glorificare est hic gratias agere. Gratiarum actio fidei effectus est, quae non potest in gratia esse erga beneficia dei.

Et crediderunt

Lucas non curat ordinem, qui talis est. Crediderunt gentes, gauise fuerunt, & glorificauerunt uerbum domini.

Quotquot erant praedeterminati ad uitam aeternam.

Qui debebant ex dono credere ad uitam aeternam, quos  
sic con

Ita contigit. Euangelium prædicatur: huic creditur: fides sequitur iusticia: huius res cognata est uita æterna. Similis per omnia locus est Ioannis. 1. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem, ut liceret filios Dei fieri. Notat fidem non esse nostrarum uirium opus, sed donum Dei.

Disseminabatur autem uerbum domini per uniuersam regionem.

Commendant hæc potentiam uerbi, à felici suo successu. Iudæi autem concitauerunt.

Re ipsa nunc probant Iudæi, se repellere Euangelium & iudicare se indignos uita æterna. Iudæi: Euangelium perpetuo habet duo genera auditorum: quidam illud recipiunt: quidam non recipiunt. Vides etiam hic qui sint seditiosi ad renatum Euangelium: non pii, qui Euangelium suscipiunt, & illi credunt: sed impij qui Euangelium non suscipiunt, nec credunt illi. Item, cernis hic quæ sint causæ tumultuum ac seditionum in mundo, quando Euangelium prædicatur: causa non est Euangelium pacifica ex sua natura doctrina: nec pii causa sunt ad omnem tolerantiam faciles: sed causa est impiorum cohortis, quæ Euangelium suscipere recusat.

Iudæi hi eorum typum gerunt, qui cum ipsi nequeunt



perdere Euangeliũ & eius professores, alios concitantur  
ut tamẽ Euangeliũ unã cũ professoribus suis per datur.

Concitantur: ex odio & inuidia contra Euangeliũ  
moti: item, è zelo, sed non secundum scientiam.

Mulieres religiosas & honestas,  
& primos ciuitatis.

He mulieres religioſe & honeste, eorum typum ge  
runt qui ex zelo, quem habent erga falsam religionem  
patiuntur se trahi ab alijs, ut ueram religionem perse  
quantur, & ueræ religionis professores proscribant.

Primi ciuitatis eorum exemplaria sunt, qui furenti  
& suadenti uulgo contra Euangelium, cedunt, et in gra  
tiam uulgi, quam captant, præbent se Euangelij & pio  
rum persecutores. Mulieres religiosas: fucate re  
ligioni, quæ est de operum iusticia, addictissimæ. Notat  
Lucas fucatam religionem causam impulsiuam esse, si  
cut & reuera præcipua est, ut agant homines contra  
Euangelium & huius sectatores. Enthymema. Mu  
lieres erant religioſe: Ergo mulieres facile concitantur  
de erant contra Euangelium & huius prædicatores.

Et honestas: quæ quoq; ad persecutionem Euange  
lij & piorũ facile concitari potuerunt, persuasæ Euangeli  
um esse doctrinam tollentẽ honestatẽ publicam, et  
prædicatores esse publicæ honestatis interturbatores.

Porro

Porro possit hic quis mirari, quare Iudæi concitarint aduersus Euangelium & huius prædicatores, mulieres religiosas & honestas, & non potius uiros religiosos et honestos? Respondeo. Quia non est crudelius hominum genus contra euangelium, & huius confessores, atq; mulieres falsæ religioni addictæ, & persuasæ euangelium & huius sectatores publicam honestatem tollere. Siquidem in hoc negotio his crudeliores sunt mulieres, uiris testantibus hoc ipsum etiam hodie uiuis exemplis. Est præterea carnalis prudentiæ exemplum in Iudæis, qui mulieres religiosas & honestas concitant contra euangelium & pios eius confessores, ut illarum auctoritate plebem facilius ad sequendum commoueant. Nam plebs perpetuo pendet ex magnorū hominū auctoritate, qua facillimè ad quæuis pertrahitur plebs. In eundem usum, ex carnali prudentia, concitant Iudæi et primos ciuitatis, ut illorū auctoritate uulgus facilius ad sequendum commoueant. Et excitauerunt persecutionem aduersus Paulum & Barnabam.

Concitationis mulierum religiosarum & honestarū & primorum ciuitatis finalis causa est persecutio, qua per datur ueritas unā cum suis professoribus. Ex persecutione enim intelligenda uenit & perditio. Nec prius cessant impij à persequendo, nec sub spe alia incipiunt

cipiunt persequi, nisi ut perdatur tandem prorsus ueritas, & illi, qui ueritati adherent.

Paulus & Barnabas martyres sunt, qui suo sanguine testantur de ueritate.

Persecutio hæc non contingit temerè. Nam deus eam fieri permittit per impios, qui alioqui nihil possunt nocere pijs contra uoluntatem dei, quia omnes capilli capitiu[m] piorum numerati sunt, nec unum ex illis decedit sine uoluntate patris dei. Fit uerò persecutio hæc in hunc finem, ut inde Apostolorum fides probetur: & ut impii mereant suum interitum.

Et eiecerunt eos de finibus suis.

Nō possunt impii plus contra pios, quàm quod deus illis permittit, id quod consolatorium est.

Quod tantū eijciunt Apostolos de finibus suis, nec omnino perdunt, id tribuendum est curæ diuine, quæ deus suorum curam agit in cruce, ne impii pro animarum uoluntate in pios seuiant.

Notat etiam leuis hæc crux, deum fidelem esse, nec plus alicui imponere, quàm quod ferre potest. i. ad Corinth. 10. Fidelis est deus, qui non sinit nos tentari, supra id quod possumus.

At illi excussio in eos puluere pedum, uenerunt Iconium.

Excussio

Excussio pulueris de pedibus, mandatum Christi est Matth. 10. Et quicumq; non exceperit uos, nec audierit sermones uestros, exeuntibus ex aedibus aut ciuiate illa, excutite puluerem pedum uestrorum.

Summa praecepti Christi est, quod nolentibus audire Euangelium & ingratissimum, non sit praedicandum Euangelium: sicut & alibi inquit Christus. Nolite margaritas proijcere ante porcos. Excussionem pulueris de pedibus, Christus signum esse uoluit Euangelij grauitate praedicati, ne habeat impius mundus quod cauetur aut obijciat, praedicatores Euangelij praedicatione sua quaesuisse, aut lucri gratia illud praedicasse. Vide nostra Scholia in 16. cap. Matthaei, & in 9. Lucae.

Excusso in eos puluere pedum: in signum se non sua quaesuisse praedicatione Euangelij, nec lucri causa Euangelium praedicasse, neq; quicquam pro Euangelij praedicatione ambiuisse: sed tantum quaesuisse salutem illorum.

### Venerunt Iconium.

Nolentibus audire Euangelium non est praedicandum & qui Euangelium audire recusant, sinendi sunt.

Discipuli quoq; replebantur gaudio & spiritu sancto.

Quid hoc sibi uult, discipulos repleri gaudio ad persecutionem. Respondco. Hoc sibi uult, quod Christiano-



rum sit non turbari in cruce, sed gaudere potius, quod digni sint persecutione. Expressa itaq; est in uoce gaudij, uera forma ferendi crucis, quæ est in cruce gaudere, & inde statuere, deum nobis bene uelle. Ad Rom. 5. Nec id solum, uerum etiam gloriamur super adflictionibus, scientes, quod adflictio patientiam pariat, patientia uerò probationem, probatio autem spem, ad Col. 1. Ad omnè tollerantiam ac patientiam cum gaudio: hoc est, ne cor irascatur deo in cruce, aut sic tristetur, quasi deus non amplius nostri curam agat. Iacobi 1. Pro summo gaudio ducite fratres mei, quoties in intimationes incidertis uarias, &c.

Replebantur gaudio: id est, adeò nõ curabant persecutione, neq; ad eam deficiebant ab Euangelio, quod etiam gaudio replerentur, & persecutionem pro gloria estimarent. Et spiritus sancto: id est, accipiebant spiritum sanctum in ductorem, confirmatorem, ob signatorem, & consolatorem: deinde accipiebant dona fidei & constantiæ. Vel replebantur spiritu sancto: id est, magis ac magis per spiritum sanctum de ueritate Euangelij confirmabantur, & consolabantur.

Disce hic obsecro, persecutionem piorum, esse occasionem pijs ad gaudium, & ut uide magis confirmentur de ueritate, magisq; consolentur.

**C**ohærentia huius capituli pendet ex fine præcedentis, in quo audiuius Paulum & Barnabam uenisse Iconiũ: sequitur porro in hoc Capite, quid Paulus & Barnabas, Iconij effecerint. Et hæc de historiæ cohærentia. Quantiũ uerò ad cohærentiã rerũ attinet pulcherrimo ordine nunc subiicit Lucas, quid professoribus ueritatis faciendum sit, quando propter ueritatem e ciuitate aliqua eijciuntur: non debent statim aut propter ingratitudinem mundi, aut propter crucem, suam uocationem deserere: sed alia querere loca, & auditores alios, qui sint grati, & ueritatẽ audire gestiãnt, idq; exemplo Pauli & Barnabæ, qui eiekti ex Antiochia Pisiðiæ, ueniunt Iconium, & ibi prædicant uerbum cum magno auditorum fructu. Discimus ergo hic, ingratitudinem mundi erga Euangelium & professores eius, non esse sufficientem causam in prædicatoribus, ut suã uocationem deserant: nec crucem esse causam sufficientem: imò ingratitudo mundi & crux, occasiones esse prædicatoribus debent constantius prædicandi Euangelium. Et id propterea, quia uidemus hic ingratitudinẽ & persecutionem Antiochensiu, occasionem præbuisse Apostolis abeundi Iconium, ubi copiosam multitudinẽ Iudeorum & Græcorum lucrificerint Euangelio.

Notabis quoq; hic, quod lucrum inde accipiat impius mundus persecutione & ingratitude sua: illud est ut alijs det occasionem suscipiendi Euangelium, quod ipse persequitur. Factum est autem in Iconio.

Cohærentia ex circumstantia loci.

Iconium hic Ciliciæ ciuitas est.

### Simulac introierunt in synagogam Iudæorum,

Rursum ciecli Apostoli ingrediuntur synagogam Ergo propter ingratitude mundi, non est desinendum prædicandi officium. Simulac introierunt: circumstantia temporis commendat in Apostolis potentiam uerbi, per quod efficaciter operatus est spiritus sanctus in Iconiensibus. Enthymema.

Simulac introierunt in synagogam Iudæorum, & locuti sunt uerbum, crediderunt Iconiensis.

Ergo uerbi magna est potentia.

Synagogam introierunt, ut ostenderent se adferre apertam & certam doctrinam, quam certam esse oportebat, quia non abhorrebat lucem.

### Et locuti sunt sic.

Id est, cum tanta autoritate & efficacia docuerunt uerbum Dei. Et sequitur. Ut crederet & c. Et sane potens atq; efficax fuit illa doctrina, quæ copiosam Iudæorum

rum & Græcorum multitudinem credere fecit?

Et locuti sunt sic: id est, ita prædicarunt uerbū Dei

Locuti sunt. En uocale uerbum causam fidei, contra Anabaptistas.

Vt crederet Iudæorum & Græcorū  
multitudo.

Effectus uerbi prædicati fides. Ad Rom. 10. Fides ex auditu est: auditus uerò per uerbum Dei. Ab effectu commendatur potentia uerbi, ut causæ. Itē, ab hoc effectu, id est, ab ipsa fide, commendatur & uerbi ministerium, per quod spiritus sanctus efficax est.

Vt crederet: susciperet Euangelium, & certa fide statueret Euangelium esse doctrinam salutis.

Iudæorum & Græcorum: qui tum promiscuè ad synagogam confluxerant. Item, uidemus hic Euangelium esse uniuersalem doctrinam, quia à Iudæis & gentibus suscipitur. Copiosa multitudo: exaggerant hæc & commendant potentiam uerbi, quod potens est copiosam multitudinem conuertere.

Iudæi uerò qui increduli erant.

Et hic uerum sit. Euangelij prædicationem, alijs esse in odorem mortis, alijs in odorem uitæ: item, si lē erga Euangelium, non esse omnium, sed eorum tantum, quibus illam donat Deus, Ioannis. 1. Quotquot autem



receperunt eum dedit eis ut liceret filios Dei fieri, <sup>vide</sup> licet his, qui credidissent in nomen ipsius. Acto. 13. Et crediderunt, quotquot erant præordinati ad uitam æternam. Cæterum quia Iudæi excitant seditionem ad prædicatum Euangelium. monemur primum qualis doctrina sit Euangelium : nimirum talis, quæ tumultuari faciat mundum, non ex se, quia Euangelium ex sua natura est pacifica doctrina, sed quia mundus illam non suscipit, unde fit, quod tumultus suboriuntur, quibus perdat<sup>ur</sup> Euangelium.

Secundo monemur ad seditionem Iudæorum, qui sint seditionum ac tumultuum autores in mundo, quando prædicatur Euangelium : non pii, qui Euangelium suscipiunt, sed impij, qui non suscipiunt, quiq; seditiones & tumultus de industria quærunt, ut illis perdat<sup>ur</sup> Euangelium.

Iudæi hi eorum typum gerunt qui cum ipsi non possunt perdere Euangelium, & huius professores, die nocte cogitant, quò inueniant media quibus tamè Euangelium cum suis professoribus perdat<sup>ur</sup>.

Qui increduli erant : nota causam seditionis et omnium tumultuum in mundo, qui contingunt ad prædicationem Euangelij, quæ est incredulitas mundi impij de tractantis Euangelio credere.

Hæc causa diligenter hodie opponenda est illis Por-  
phirianis & Iulianistis, qui dicunt Euangelium publi-  
cam honestatem in mundo tollere, & seditiones ac tu-  
multus ciere. Nam quod publica honestas ad prædica-  
tionem Euangelij intercidit in mundo, in causa est mun-  
di incredulitas erga Euangelium, quam sublato pub-  
licæ honestatis punit Deus. Item, quod ad Euangelium  
editiones & tumultus fiunt in mundo, in causa est mun-  
di incredulitas, qui quia incredulus est, igitur circumspi-  
cit de seditionibus & tumultibus, quibus Euangelium  
& huius professores suppressat.

Signanter ait Lucas: qui increduli erant, ut signan-  
ter notet causam seditionum & tumultuum in mundo,  
tempore prædicati Euangelij.

**Concitauerunt & corruerunt ani-  
mos gentium aduersus fratres.**

Specia effectus incredulitatis erga Euangelium, qui  
sunt concitatio & corruptio animorum ad persecutio-  
nem Euangelij & piorum, ac seditiones & tumultus  
contra Euangelium & pios.

Concitauerunt: cum furore & impetu.

Et corruerunt: blandis uerbis & persuasibilibus  
argumentis.

His duobus uerbis, concitauerunt & corruperunt, exprimitur studium et diligentia hostium Euangelij & piorum, in persequendo atq; extirpando Euangelio & huius professoribus.

Animos gentiū: Ipsas gentes per synechdochen. Vel dicuntur Iudei animos gentiū corrupisse, id est, in hoc laborasse, ut gentes ex animis haberent Euangelium ex sum una cum pijs. Aduersus fratres: contra eos qui crediderant Euangelio, & qui illud profitebantur.

### Multo igitur tempore

Recte dixit Apostolus de sua persona, in posteriore ad Corinth. cap. ii. Virtus mea in infirmitate perficitur. Et reuera sic se res habet cum Euangelio, quod cū maximè patitur persecutionem, maximè simul erigit suas cristas, & foelicissimè procedit. Et ut nunc Euangelium ad persecutiones excrescit: ita & professores eius ad persecutiones fiunt animosiores, & cum maiori fiducia prædicant Euangelium.

Sic ad persecutionem hic fiunt Apostoli fortiores, ut non modo nihil sibi timeant de aduersarijs Euangelij, sed etiam accipiant occasionem multo tempore commoranti apud ecclesiam, & maiori cum fiducia confitendi Euangelium.

Verissima ergo est hæc sententia: Persecutio occasio est

est foelicis Euangelij successus, & incrementi ecclesiae.

Multo igitur tempore: apertiora haec uerba sunt enthymemate. Iudaei persecuti sunt Euangelium & pios: Ergo Iudaei occasione dederunt Apostolis, multo tempore: comorandi apud ecclesiam Iconiensem, et maiori fiducia confitendi Euangelium.

Multo tempore comorati sunt Apostoli apud Iconiensem ecclesiam subiectam cruci: ergo multa institutio ne & consolatione opus habent, qui cruci subiecti sunt.

Comorati sunt: in hoc, ut Iconiensem ecclesiam de ueritate melius instituerent, & contra persecutiones confirmarent, cum uerbo tum miraculis.

### Fiducialiter agentes per dominum.

Sine timore praedicantes Euangelium.

Fiducialiter agere uocat Apostolos, ad Ephesios 6. loqui cum apertione oris.

Per dominum: specta causam, ut in persecutione fiducialiter confiteamur Euangelium, quae non sunt uires nostrae, sed uirtus domini. Matth. 20. Non estis uos loquentes, sed spiritus patris uestri loquitur in uobis.

Qui testimonium perhibebat uerbo gratiae suae.

Id est, dominus qui dabat Apostolis & ecclesiae fiducialiter



ducialiter confiteri Euangelium, ille quoque confirmabat intus Apostolos & ecclesiam de ueritate Euangelij & dabat etiam signa, quibus foris de Euangelij ueritate confirmarentur tam Apostoli quam ecclesia.

Quod testimonium perhibebat uerbo gratiæ suæ: id est, confirmabat intus Apostolos & ecclesiam de ueritate uerbi. Siquidem Spiritus sancti officium est, confirmare & obfirmare homines de ueritate uerbi.

Vides hic paucis in uerbis, quid Euangelium sit: nimirum uerbum gratiæ Dei.

Euangelium uerbum gratiæ uocat, quia est doctrina de gratia Dei, & quia gratiam Dei annunciat.

Euangelium est uerbum gratiæ Dei: ergo extra Euangelium non est gratia Dei.

Uerbum gratiæ ponit ad discrimen legis, quæ propter nostram imperfectionem erga eam, uerbum in eâ fuit.

Notat huius testimonij perhibitione, donum Dei esse intus in corde confirmari et certum esse de ueritate uerbi.

Et dabat signa & prodigia fieri per manus eorum.

Scilicet in hoc ut Apostoli & ecclesia etiam foris per uisibilia signa de uerbi ueritate confirmarentur, & non credentes ad Euangelij doctrinam suscipiendam invitarentur. Nam hic & pro credentibus, & pro nondum credenti

credentibus, signorum & prodigiorum usus est.

Enthymema. Dominus dat signa ac prodigia fieri per manus Apostolorum: Ergo donum Dei est non nostrarum uirium, & edere miracula in confirmationem ecclesie, & ut nondum credentes ad fidem inuidentur.

Per manus eorum: id est, eorum ministerio.

Diuisa est autem multitudo ciuitatis,

Hoc de officio Euangelij est, non proprio, sed per accidens, ut dissidere faciat patrem & filium: maritum & uxorem &c. Diuisio hæc quoque effectus est concitationis et corruptionis animorum gentium aduersus fratres

Et quidam erant cum Iudæis.

Distributio personarum.

Quidam erant cum Iudæis: id est, erant ab illorum partibus, qui persequebantur Euangelium.

Quidam uero cum Apostolis: id est, cum illis, qui adhaerebant euangelio.

Incredulitas contra euangelium, causa est que facit quosdam esse cum Iudæis. Fides, causa est, que facit quosdam esse cum Apostolis.

Cum autem factus esset impetus gentium & Iudæorum,

Sequitur concitationem & corruptionem animorum gentium  
aperta

aperta seditio et tyrannis, quæ res incredulitatis erga Euangelium effectus sunt. Quia enim Iudæi unâ cū contumacitatis non credunt Euangelio, igitur in apertam tyrannidem, seditionem, & persecutionem aguntur.

Finis tyrannidis, seditionis, & persecutionis huius est, ut perdantur professores Euangelij, quibus perditur simul & doctrina. Seruit etiam præsens persecutio ad probationem fidei in ecclesia.

Gentes & Iudæi unâ cum principibus suis, eorū exemplaria sunt, qui ex aperto de ipso factō persequuntur Euangelium & huius professores.

Tyrannica persecutio, qualis hæc præsens est, rectè confertur cum seditione. Quemadmodum enim in seditione omnia aguntur sine consilio & ratione: ita & in tyrannica persecutione omnia sine consilio & ratione fiunt. Quia gentes, Iudæi, & principes eorum hic cōueniunt, id notat super Euangelio aliàs inimicissimos quosq; redire in concordiam.

### Ut contumelijs adficerent.

Primus hic gradus est, quo procedunt impij contra Euangelium & huius professores. Primum enim uerbis contumeliosis adficiunt Euangelium & professores eius: postea illud proscribunt, & hos lapidant & necant profusus.

Et lapidarent illos.

Non cessant impij, nisi omnino extinxerint pios.

Ipsi intelligentes, confugerunt ad  
ciuitates Lycaoniae, Ly-  
stram & Derben.

Exemplum fugae in cruce, quae licita est, quando fit  
sine ignominia aut prophanatione nominis dei, ne inde  
uerbum male audiat: deinde, quando fit sine scandalo  
ecclesiae. Lycaonia Asiae regio est, cuius ciuitates Ly-  
stra & Derbe.

Et uniuersam in circuitu regionem.

Quia uniuersalis doctrinae praedicatorum. Notatur  
quoque studium & labor, quem subierunt Apostoli  
in plantando Euangelio.

Et ibi euangelizabant.

Fugere in cruce licet, modo non male audiat ex fu-  
ga nostra nomen Dei, & ne inde scandalizetur eccle-  
sia: at uocationem propter crucem aut mundi ingrati-  
tulinem deserere non licet: quare pergunt fugientes  
Apostoli euangelizare. Euangelizabant: id est,  
praedicabant Euangelium annuncians letum nunci-  
um, & simul letificans conscientias.

Et quidam uir Lystris.

Recte sequuntur praedicationem Euangelij miracu-

Ad la, quae



la, quæ noue & mundo incognitæ doctrine, fidem faci-  
ant, illumq; ad credendum Euangelio inuident.

Vsus huius miraculi est, ut credentes per illud de uer-  
ritate Euangelij confirmantur: & sic etiã infirmus ip-  
se, iam habens aliquam fidem ante factum miraculum:  
deinde, ut qui nondum credunt, ad credendum Euange-  
lio prouocentur. Infirmis pedibus

Exaggeratur morbus, ut postea clarius innotescat  
potentia uerbi, cuius uirtute Paulus pepulit morbum.  
Sedebat claudus ex utro matrîs suæ.

Pertinent & hæc ad exaggerationem morbi, prop-  
ter eandem causam: nimirum, ut postea inclarescat po-  
tentia uerbi, per quod Paulus curauit morbum.

Qui nunquam ambulauerat

Et hæc exaggerant morbum, ut inde commenda-  
tior fiat uerbi potentia.

Hic audiuit Paulum loquentem.

Hæc præmittit ut causam fidei infirmo, quæ fuit uo-  
cale & audibile uerbum. Ex hoc enim, quod audiuit  
Paulum loquentem fidem habere potuit.

Qui intuitus est eum

Intuitus hic in Paulo charitatis effectus est, ex quo  
de morbo infirmi proximi doluit. Et uidens

Per spiritum admonitus cognoscens. Nam aliis non  
potuit

potuit Paulus uidere fidem in infirmo, quæ in corde si-  
ta est. Quod fidem haberet.

Fide suscepisset Euangelium.

Fides hæc effectus est uerbi, quod infirmus audiuit à  
Paulo. Ut saluus fieret

Salus fidei effectus est seu res cognata.

Quod fidem haberet, ut saluus fieret: id est, iam fide  
esset iustificatus, & salutem fide accepisset.

Dixit magna uoce

Fidei uerba sunt, quæ loquitur Paulus, & illius mira-  
culosæ, quæ præter fidem iustificantem, singulare  
dei donum est in pijs. Ex qua fide, certò statuit Paulus  
de restitutione infirmi. Postea quod Paulus credidit,  
illud quoque accepit. Voce magna dicit Paulus, in sig-  
num uehementis fidei, quam habet, & ut significet uer-  
bum esse medium, quo sanantur infirmi.

Surge super pedes tuos rectus

Verbo sanat Paulus ut ostendat causam sanitatis et  
miraculi, non esse suas uires, sed uerbum. Matthæi 8.  
de Christo ait Euangelista. Et creuit spiritus uerbo, &  
omnes malè habentes, sanauit. Actorum 3. Viri Israël-  
ite quid miramini in hoc, quasi nostra uirtute aut  
pietate fecerimus hunc ambulare &c. Ibidem.

Per fidem nominis eius, hunc quem uos uidetis &

nostis, confirmavit nomē eius: set fides quæ per eum est  
dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium  
uestrum. Et exiit & ambulabat

Sanitas effectus est potentie uerbi, cuius uirtute resti-  
tuit Paulus infirmum. Item, effectus fidei est, quæ &  
potens est externam sanitatē impetrare alijs: Exiit  
& ambulabat: in signum perfectæ ac integræ sanitatis  
Nota uerbum non frustillatim sanare, sed in integrum.

Sanitas effectus uerbi, commendat nobis uerbi poten-  
tiam. Cumq; turbæ uidissent

Exemplum idololatriæ in turba, quæ ex creaturis  
deum facit, & tribuit creaturis honorem, qui soli deo  
conuenit. Ex hoc loco idololatria est uana persuasio,  
qua sibi turba præter uerbum dei persuadet, Paulū &  
Barnabam esse deū, quam uanam persuasionem sequi-  
tur indiçtio nominum, & postea cultus certus. Sed ut  
originem & totum negotium gentilium deorum cog-  
noscas Lector, ad has sequentes causas aduerte, quas  
ordine sic scriptas inuenies in secundo Tomo meorū  
locorum communium.

Idololatriæ cause sunt, ratio, timor, uana persuasio  
seu opinio, seu cogitatio de deo, & diabolus.

Ratio causa est idololatriæ, quia dum non uidet deū  
neq; palpat, statim ab eo desieit, & ad creaturas con-  
fugit uisibiles.

fugit uisibiles, quibus presentiam dei tribuit, sicut est uidere in Israëlitis, qui saltem ad morã Mofi in monte apud dominum, uolunt sibi erigi uitulum aureum, dicentes Aaron: Fac nobis deos, qui nos præcedant: itẽ, sicut est uidere nosra etate, quando mutis statuis tribuunt homines presentiam dei, ut statuis beatæ uirginis, Annæ & similiũ. Præterea ratio causa est idololatriæ, quia docet spem & fiduciã ponendam esse in res presentes. Nam ratio non potest absenti deo fidere. Id quod experimur quotidie, ubi desunt presentes occasiones. Tandem ratio est causa, quia fingit idola presentia, & simul tribuit illis cultum dei, & subinde nos cultus effingit.

Timor causa est idololatria, quia cum homines timerent olim pericula partus finxerunt Lucinã. Rustici timentes pericula tempestatum, finxerunt Iouem tonantem. Iidem timentes frugum perditionem, finxerunt Cererem. Nautæ timentes naufragia & pericula maris, finxerunt Neptunũ. Homines timentes olim Paupertatem, finxerunt Iunonem: timentes insipientiam, finxerunt Palladem: timentes periculum amoris, finxerunt Venerem.

Antecessores nostri, timentes paupertatem, finxerunt Aniam & Nicolaum diuitiarum præfides. Vi-



neatores nostri, timentes uini perditionem, finxerunt  
 Urbanum. Rustici nostri timentes frugum tempe-  
 states, finxerunt Lupum & alios diuos. Studiosi  
 nostri, timentes ne euaderent in uiros doctos finxe-  
 runt Catharinam artium praesidem. Alij timentes  
 subitanam mortem sine sacramento Coenae, finxe-  
 runt Barbaram: timentes dolorem dentium finxe-  
 runt Appoloniam: timentes pestem finxerunt Mar-  
 tinum & Sebastianum diuos: timentes accedere de-  
 um, finxerunt sanctos intercessores: timentes de ius-  
 ticia, confugerunt ad opera & merita &c.

Vana opinio seu persuasio, seu cogitatio de deo,  
 idololatriæ causa est, quia dum corda falsas de deo con-  
 cipiunt & habent opiniones, cogitationes & persua-  
 siones, incidunt in idololatriam, fingunt sibi idola &  
 cultum eorundem, aut transferunt proprium dei cul-  
 tum ad fictitia sua idola. Sic mulieres ex uana olim  
 opinione, cogitatione & persuasione de deo, finxerunt  
 Luciniam. Rustici Iouem tonantem &c.

Nostri antecessores ex iisdem causis, nunc hos, nunc  
 alios finxerunt deos. Et nunc quisq; in animo adfectus  
 est erga deum & de deo sentit, sic fugit sibi idola &  
 cultum. Postea & cultum, quem deus uerus proprium  
 habet, eum quisq; transfert ad id, quod quisq; loco dei  
 habet

IN ACTA APOSTOLORVM 727

habet atq; colit. Sic fit, quod pecunia inuocetur, ponatur in illa fiducia: sic fit, quod sancti inuocentur, ac ponatur in illis spes salutis: sic fit ut curratur ad opera, & ponatur in illis spes iusticie, &c.

De hac causa postrema idololatrie, uidetur Apostolus loqui, ad Rom. 1. quando inquit. Vani facti sunt per cogitationes suas, & adumbratum est insciens cor eorum: id est, postquam gentes defecerunt à cognito uero deo, nec eum glorificarunt, nec rectè de eo senserunt, sed secundum suas cogitationes factum est, quod in idololatriam inciderunt, & uani facti sunt, & prorsus prouerunt ad idola, & cultus idololatrieos. Et fuit in gentibus hæc poena impietatis.

Diabolus causa est idololatrie, quia omne peccatum à diabolo est: idololatria autem est peccatum.

Occasionem ad idololatriam saepe dant peccata nostra, & sic peccata peccato punit deus, ad Rom. 1. Sed uani facti sunt per cogitationes suas, & obtenebratum est insciens cor eorum. Cum se crederent esse sapientes, mutauerunt gloriam immortalis dei, per imaginem, non solum ad mortalis hominis similitudinem effectam, uerum etiam uolatilium, & quadrupedum, & reptilium.

Illis prædictis idololatrie causis, ex hoc loco adijci debent

debent insignia & miraculosa facta: item egregia dona, quibus commoti homines, finxerunt homines deos, & tribuerunt illis cultū dei. Sic turbæ hic cum uident, quod fecerat Paulus in restitutione claudi, leuauerunt uocem suam, dicentes: Dij similes facti hominibus, descenderunt ad nos: & uocabant Barnabam Iouem, Paulum uero Mercurium: Barnabæ autem & Paulo factis dijs, effingunt & cultum, quò eos colant.

Ex hac idololatriæ causa, Romulus in numerum deorum relatus est, & deus factus, sic Hercules, sic Aeneas, & sic alij magni uiri propter egregia sua facinora deorum nomina induerunt certosq; cultus ab hominibus acceperunt.

Cumq;: id est, ita statim. Nota turbam non posse se continere, ut non ad egregia facinora ac dona hominum incidat in idololatriam, & ex hac famosis hominibus tribuat cultum dei. Turbæ: quæ natura ad idololatriam propensissimæ sunt: nec mirum, quia carent iudicio & facile trahuntur ad quæuis.

### Quod fecerat Paulus.

Ecce unam è præcipuis causis idololatriæ, insignia facinora & egregia dona.

Leuauerunt uocem suam Lycaonice.

Opinionem de Barnaba & Paulo, ut dijs in animo conceptam

conceptam, nunc oris confessione produnt turbæ. Et reuera, quod opinatur seu credit animus, statim prodit foras, quod uerum maneat. Ex abundantia cordis os loquitur. Lycaones illorum typum gerunt, qui ad egregia seu miraculosa hominũ facta ac dona, faciunt illos deos, tribuunt illis nomina deorum, & cultu soli deo conueniente, prosequuntur eos.

**Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos.**

Summa hæc idololatria est, plures facere deos, quàm unum. Est & hæc summa idololatria, deum inuisibilem & spiritum humanam creaturam facere.

Dupliciter peccant Lycaones: primum, quia plures deos faciunt: deinde, quia humanam creaturam faciunt: his tertium postea accedit cultus. Dij: quia homines ratione ducuntur, igitur non possunt statuere unum tantum esse deum. Similes facti hominibus: impia hæc opinio, persuasio, & cogitatio de deo est, causa idololatriæ, ut supra. Similes facti hominibus: id est, transformati sunt in homines.

Non est simplex Lycaonum idololatria: siquidem tribuit deo, quod dei non est. Deus enim non transformatur in creaturam, ueluti is Iouem, Mercurium, Apollinem, &c. August. lib. 3. de Trinitate cap. 11.



Quapropter substantia, uel si melius dicitur, essentia Dei, nullo modo mutabilis est. Idem lib. 4. de Tri. in prohemio. Omnino enim essentia Dei, qua est, nihil mutabile habet, nec in aeternitate, nec in ueritate, nec in uoluntate. Dicere Lycaones Deos similes hominibus esse factos: nihil est aliud dicere, quam Deum in humanam creaturam transmutatum atque transformatum esse. Nec est credendum, Lycaones uoluisse exprimere his uerbis (Dij similes facti hominibus) quod Dij tantum speciem hominum susceperint.

**OBIECTIO.** At Christus Deus, similis factus est hominibus?

**RESPONSIO.** Id est, assumpsit humanitatem, non est diuinitas Christi transmutata in humanitatem: sicut Lycaones Deos sentiunt in humanas creaturas transmutatos. Augustinus lib. de Ecclesiasticis dogmatibus capite secundo. Deus ergo hominem assumpsit, homo in Deum transiit, non naturae uersibilitate, sicut Apollinaristae dicunt: sed Dei dignatione, ut nec Deus mutaretur in humanam substantiam, assumendo hominem, nec homo in diuinam glorificatus in Deum, &c. Descenderunt ad nos.

Vt sint uisibiles & praesentes Dij, habeant humana & uisibilia corpora.

Et

Et uocabant Barnabam Iouem, Paulum uerò Mercurium.

Dixi supra Lycaones ex insignibus & miraculosis facinoribus Pauli, cōmotos fuisse ad idololatriam. Sunt enim insignia & miraculosa facinora: item, dona egregia causæ quædam idololatriæ, ex ijsdem causis nūc factis dijs induunt Lycaones nomina, & uocant Barnabam Iouem, ab insignibus & miraculosis facinoribus, quæ præstitit iuuando alios: siquidē Iupiter à iuuando nomen accepit. Paulum Mercuriū uocant à donis eloquentiæ, & uirtute interpretandi deorum consilia & uoluntatem. Nam uetustas credidit Mercurium eloquentiæ deum esse, & deorum interpretem. Quoniam ipse erat dux uerbi.

Actiologia inditi nominis Paulo, quem ideò Mercurium uocant, quia dux uerbi est, non aliter atq; uetustas Mercuriū credidit esse eloquentiæ deū & diuini interpretem: ἑρμῆς enim à Vergilio redditur diuini interpretes. Sacerdos quoq; Iouis.

Pergunt nunc Lycaones, fictis suis dijs cultum instruere, & illos certo cultu prosequi. Nam sic accidere solet, ut confictis & excogitatis ex timore & alijs idololatriæ causis, dijs, statim ex rationis consilio adfungimus certos cultus, quibus colamus confictus

& exco

732 ERASMI SARCERII SCHOLA  
et excogitatos deos aut si proprios cultus non effun-  
gat in nobis ratio, confugit ad cultus, quos uel natura  
uel uerbum dei prescribit: hinc tribuit ratio idolis. sicut  
idem, timore, dilectionem, inuocationem, sacrificia &c.  
Porro quia Lycæones statim pergunt et colere Bar-  
nabam et Paulum, notabis cultum sine mora sequi deos  
ficticios et excogitatos.

Argumentum rationis est.

Barnabas et Paulus dii sunt:

Ergo Barnabas et Paulus colendi sunt.

Qui erat ante ciuitatem.

Pro more gentium, quorum templa, in quibus sanguine et uictimis litabatur, extra urbem erant.

Tauros & coronas ante  
ianuas afferens.

De tauris gratissimis Ioui sacrificijs, passim consue-  
le Poetas. De coronis in honorem deorum inter sacrifici-  
andum adhibitis, uide Plinium li. 16. cap. 4.

Cum turba uolebat sacrificare.

Sacrificij cultu barnabam et Paulum colere. Idololatria est creaturam facere deum: aut putare deum  
transmutari in creaturam. Est etiam idololatria cultum  
soli deum conuenientem, creaturis tribuere.

Ex sacrificio una specie seu parte cultus intellige re-  
liquas

liquas partes seu species. Sic Lycaones fisi sunt in Barnabam & Paulum, tanquam in deum: timuerunt illos, tanquam deum: dilexerunt illos, tanquam deum: posuerunt in illos spem, tanquam in deum: inuocarunt illos, tanquam deum, &c.

### Quod ubi audierunt apostoli, Barnabas & Paulus.

Lycaones tripliciter peccarunt: fecerunt enim plures deos, quam unum: deinde fecerunt deum humanam creaturam: tertio, cultum soli deo conuenientem, tribuerunt creaturis. Hæc triplicia peccata his sequentibus confutant Barnabas & Paulus, docentes tantum unum esse deum: dein, e deum non esse humanam creaturam: tertio solum unum deum colendum esse, non creaturas. Summa igitur responsi est Barnabæ & Pauli, se non esse deos, uerum creaturas, nec se esse colendos, tanquam deum: imò unum esse tantum deum, non creaturam, sed omnium creaturarum creatorem, & illum solum colendum esse. Apostoli docent suo exemplo, ne ipsi faciamus nos deos, nec alios sinamus nos facere, item, ne sinamus tribui nobis cultum soli deo conuenientem. Item, quia Apostoli molestissime ferunt Lycaonum idololatriam: ergo summum peccatum esse oportet idololatriam. Item,

Apostoli



Apostoli uiui sancti, suo exemplo testantur, quanta impietas sit, sanctos mortuos deos facere, & illis cultum dei tribuere, ueluti inuocationem, &c.

OBIECTIO. Nos sanctos mortuos non colimus tanquam deum, sed deum in sanctis colimus?

RESPONSIO. Vide nostrum Catechismum in expositione primi præcepti, ubi solutionem obiectionis inuenies. Conscissis tunicis suis.

In signum se ægerrimè & molestissimè ferre Lycaonum idololatriam, & propter illam ex animo dolere. Siquidem concisio tunicarum, signum est turbati animi. Exilierunt in turbas.

Verbum exilierunt exaggerat in Apostolis turbationem, quam habuerunt propter idololatriam Lycaonum.

Clamantes & dicentes.

Et participium clamantes exaggerat in Apostolis turbationem, quam tulerunt propter Lycaonum idololatriam. Enthymemata. Apostoli exilierunt in turbas: Ergo Apostoli ægerrimè tulerunt idololatriam Lycaonum. Item: Apostoli clamarunt: Ergo Apostoli molestissimè tulerunt Lycaonum idololatriam.

Exemplum humiliationis est in Barnaba & Paulo, qui ut creature humiliant se coram deo creatore suo, cuius gloriam extollunt, suam uerò minuunt.

Viri

Viri, quid hæc facitis?

Oratio obiurgatoria seu increpatoria, sine exordio, quo plerunq; eiusmodi orationes carent, propter uehementiam adfectuum, qui non patiuntur ullam aliam quam insinuationem. Quid hæc facitis? quia plures facitis deos, quam unum: quia facitis creaturam humanam, deum: quia creaturis tribuitis cultum soli deo uni conuenientem? hæc inquitur, cur facitis, dum nos deos facitis, & dignamini nos cultu soli deo conuenienti. Et nos mortales sumus.

Oscendunt Barnabas & Paulus, qui sint, & quales sint omnes creature: mortales sunt: ergo nõ dij: mortales sunt: ergo non colendi diuino cultu. Vocem mortalis opponunt uoci immortalis. Syllogismi totum negotium præsens illustrant. Quod mortale est, non est deus: Ego Barnabas unà cum Paulo sum mortalis: Ergo ego & Paulus non sumus dij.

Alius. Quod mortale est, non est diuino cultu colendum. Ego Barnabas & Paulus sumus mortales: Ergo ego Barnabas & Paulus non sumus diuino cultu colendi. Similes uobis homines.

Clarius ostentat Apostoli, q non sunt dij. Syllogismi. Quicunq; similis est hominibus, nõ est deus. Ego Barnabas & Paulus sumus similes hominibus: Ergo ego  
Barnabas

Barnabas & Paulus nō sumus dij. Alius Quicumq;  
similis est hominibus, non debet cultu diuino coli.

Ego Barnabas & Paulus similes sumus hominibus:  
Ergo ego Barnabas & Paulus, non debemus cultu di  
uino coli.

**Annunciantes uobis ab  
his uanis conuerti ad deum uiuum.**

Occupatione hęc accedunt, quā reddunt causam,  
Apostoli, cur non uelint esse dij, neq; uelint diuino cul  
tu coli. Enthymema. Nostrum officium est annun  
ciare uobis ab his uanis conuerti ad deum uiuum.  
Ergo nostrum officium non est, docere idololatriam,  
aut uendicare nobis deorum nomen, aut cultum.

Valet argumentum ab officio, quod rectē allegant  
Apostoli, dum audiunt sibi aliquid præter officium tri  
bui. Ab his uanis: discite hic quid sit pluralitas deo  
rum, uanitas est: item, quid sit tribuere creaturæ di  
uinitatem, uanitas est: tandem, quid sit creaturis tri  
buere cultum soli deo conuenientem, uanitas est. Ad  
Roman. 1. Et uani facti sunt, &c. Psalm. 113. Deus  
autem noster in cælo, omnia quæcunq; uoluit, fecit.  
Simulachra gentium aurum & argentum, opera ma  
num hominum. Os habent & non loquentur: oculos  
habent & non uidebunt, &c. Expressit hanc uani  
tatem & Solomon, Sapientie 13. Baruch cap. 6. &  
prophetæ

propheta passim. Ab his uanis : à pluralitate deorum :  
 ab opinione, qua statuuntur creature Dij, & à cultu  
 diuino, qui tribuitur creaturis. Vno impetu unaq; riu  
 na ruit hic omnis impietas gentiũ de pluralitate deorũ  
 & cultu deorũ impio. Conuerti: ante conuersionẽ na  
 tur a sumus idololatræ : ergo conuerti nos oportet, in  
 quem usum quoq; oramus, ut sanctificetur apud nos no  
 men Dei, adueniat nobis regnũ Dei. Ad Deum uiuũ :  
 his declarant Apostoli, quæ dixerint uana : nimirum  
 in quibus non est uita : pluralitas ergo Deorum res  
 mortua est : Creaturis tribuere diuinitatem res mor  
 tua est : tribuere creaturis cultum Dei, res mortua est.

Habes hic collationẽ ueri Dei & falsorum deorum:  
 hi mortui & uani sunt : ille uiuus & efficax.

Enthymemata. Dij creature uani sunt & mortui.

Ergo Dij creature non sunt pro Deo uero habendi,  
 neq; Dei cultu colendi. Aliud.

Deus uerus uiuus & efficax est. Ergo Deus uerus  
 pro Deo habendus est, & cultu Dei colendus.

Deum uiuum uocat Deum uerum, quia natura est  
 uita, & alios uiuere facit.

Deos creaturas uanos & mortuos Deos uocat, quia  
 natura sunt ipsa uanitas, & alios uanos faciunt : item,  
 natura sunt mors, & alios mori faciunt.



## Qui fecit cœlum &amp; terram

Ab effectibus probant Apostoli, deam uerū & illū unum, esse deum uiuum: item, deum uiuum esse uerū deum. Enthymema. Deus uerus fecit cœlum & terrā: &c. Ergo deus uerus, uiuus est & efficax.

Enthymema contrarium. Dij creaturæ nō fecerunt cœlum & terram &c. Ergo dij creaturæ nō sunt uiui, neq; efficaces. Alia enthymemata.

Deus uiuus fecit cœlum & terram &c. Ergo deus uiuus est uerus deus. Enthymema contrarium. Dij creaturæ non fecerunt cœlum & terram &c.

Ergo dij creaturæ, non sunt uerus deus.

Facere deum uiuum cœlum & terrā, mare & omnia, quæ in eis sunt, effectus est signū ueri dei. Psalmo 135. Deus autem noster in cœlo est, omnia quæcunq; uoluit fecit. Cœlum & terram: in genere pro omnibus creaturis. Mare: ex una parte simul intelligit & omnia creata. Et rursus addunt: & omnia quæ in eis sunt: quibus uerbis etiam eloquuntur omnes creaturæ.

Totus locus periphrasticus est omnium creaturarū, siue quæ in cœlo sunt, siue quæ in terra.

Nolunt Apostoli hoc loco obiter quoq; ostendere, deū non esse creaturam, quia ante omnes creaturas fuit & omnium creaturarum autor est: item, creaturas non posse

posse deos esse, quia ab uno deo uero cœperunt: quæ autem cœperunt, non possunt esse dii, quos oportet immortales esse.

Qui superioribus seculis permisit omnes gentes ingredi uias suas.

Occupatio, ne obijciant Lycæones, quod si tantum unus deus uiuus est, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, cur deus ille unus, uiuus, & potens, passus est plures deos irrepere, & gentes in tantam idololatriam incidere? item, cur nõ sciatim puniuit idololatriam in gentibus, ne sic abundaret? Respondent Apostoli occupatione, quod id ideo factum est, ut deus sua patientia, longanimitate & beneficijs prouocaret homines ad pœnitentiam, ad Ro. 2. Aut diuitias bonitatis illius ac tollerantiæ leuitatisq; contemnis, ignorans, quod bonitas dei ad pœnitentiam te inuitat.

Enthymemata. Deus permisit gentes ingredi uias suas. Ergo deus patiens est & longanimus. Vel

Deus patiens est & longanimus: Ergo deus permisit gentes ingredi uias suas. In superioribus seculis: circumstantia temporis exaggerat patientiam & longanimitatem dei, qui non ad unam aut alteram horam tulit idololatriam gentium, sed ad secula aliquot.

Audis Lector hic secula, quid ergo miraris, quod

deus ad aliquot secula tulerit tyrannidem Antichristi?  
 possunt & alia esse causa, ex quibus permiserit deus  
 gentes in sua impietate ad aliquot secula, fortassis ut  
 esset populus impius, qui sua impietate exerceret po-  
 pulum dei. Iudicium 2. Et ego non delebo gentes, quas  
 dimisit Iosue, & mortuus est, ut in ipsis experiar Isra-  
 el, utrum custodiant uiam domini, & ambulent in ea,  
 sicut custodierunt patres eorum, an non.

Permisit: nō coëgit: sic deus permisit Pharoonem in-  
 durari, non coegit, ut induraretur: sic oramus, ne deus  
 nos inducat in tentationem, id est, ne sinat nos induci.

Augustinus de uera innocentia cap. 7. 9. Nemine  
 deus ad peccandum cogit, præuidet tamen eos, qui pro-  
 pria uoluntate peccabunt. Cum ergo non uindictet uis-  
 stus, que fieri non cogit præsciens & c.

Omnes gentes: exaggeratur impietas & cœcitas gen-  
 tium quibus uitis omnes gentes prædita fuerunt

Ingressi uias suas: id est, cogitare de deo, & cultu dei  
 pro ut quisq; uoluit. Alludunt Apostoli ad uaria ius-  
 dicta ad diuersas cogitationes, opiniones, sententias &  
 sensus gentium de deo. Apostolus ad Ro. 1. ingressi  
 uias suas gentes, uidetur poenam impietatis facere.

Vias uocant uaria gentium iudicia, opiniones, cogi-  
 tationes, sententias, & sensus de deo.

Et quidem non sine testimonio  
seipsum reliquit bene-  
faciens de cœlo.

Id est, etsi deus permisit superioribus seculis omnes gentes ingredi vias suas, incidere in pluralitatem deorum, & in impium cultum erga creaturas, tamen semper multis beneficijs testatus est deus erga gentes, se esse uerū ac solum deum, & non alios: se solum ac uerum deum colendum esse, & non alios.

Semetipsum reliquit: quod ipse esset solus uerus deus. Vides hic cur deus beneficiat impijs: nimirum, ut testetur se esse solum uerum deum, & non alios.

Beneficiens de cœlo: scilicet, ut ostenderet se esse solū uerum deū. Enthymema Deus ē cœlo beneficit:

Ergo deus ē cœlo uerus est deus. Beneficiens de cœlo: hæc in genere effert. Sequitur distributio per species. Dans pluuias, & tempora frugifera, implens cibo & lætitia corda nostra.

Distributio beneficiorum dei ueri, per quam simul colliguntur omnia dei beneficia, quæ contulit in gentes. Spectat hic locus ad prouidentiam dei, ex qua deus creat gubernat, & conseruat omnia creata. Similes loci passim extant in scriptura. Matthæi 5. Qui sinit solem suū



oriri super bonos et malos, iustos et iniustos. Psal. 103

Omnia à te expectant, ut des eis escam. Psal. 104.

Qui operit cœlum nubibus, & parit terræ pluuiam.

Psalmo 106. Qui dat escam omni carni &c.

Psalm 35. Homines & iumenta saluabis domine.

Docet & præsens hic locus de prouidentia dei, uictum non esse è nostris laboribus, quia deus è cœlo dat pluuias, tempora frugifera, implet cibo & letitia corda.

Dans pluuias & tempora frugifera: ex causis intelligit effectus, hoc est, ex pluuijs & temporibus frugiferis, ipsum uictum, qui pluuias & tempora frugifera sequitur. Implens: commendatur liberalitas dei. Cibus: in genere pro omni uictu. Et letitia: posito effectu pro causa, hoc est, letitia pro uino, quod letificat cor hominis. Quanq̃ propter uoces sequentes, corda nostras malim per letitiam intelligere id donum dei, ex quo quis acceptis à deo beneficijs in suum usum cum letitia utitur, ut sit sensus: deum non tantum dare cibum aut diuitias, sed etiam simul dare, quò illis cum letitia cordis utamur. Et sanè donum dei singulare est, posse acceptis à deo beneficijs uti. *Got gibt güt vnd müt. Güt als ein ursach des müts. Müt auff daß wir vns des güts künen zur freid gebrauchten.*

Et hoc dicentes, uix sedauerunt tur-  
bas, ne sibi immolarent.

*Ad eò inheret humanis mentibus idololatria, ex  
qua creaturis tribuimus nomen dei simul & cultum.*

*Vix: hæc particula magnam habet emphasim.*

*Ne sibi immolarent: turbæ deceptæ insignibus fa-  
cinoribus & donis Apostolorum.*

Superuenerunt autem quidam.

*Duo hominum genera perpetuo agunt in mundo:  
quidã nimium tribuunt ministris uerbi: quidã nihil tri-  
buunt. De prioribus fuerunt Lycaones. De posteriori-  
bus hi qui sequuntur Iudæi. Locus præsens sic coheret  
precedentibus. Confessionem ueritatis sequitur crux.  
Superuenerunt: cū nihil minus cogitamus, superuenit  
crux. Hi quidã Iudæi eorū typū gerūt, qui cū ipsi no-  
lunt salui fieri, die noctuq; incumbūt, ut & alios à sa-  
lute impediant. Ab Antiochia & Iconio.*

*Circumstantiæ loci certam reddunt historiam.*

Et persuasis turbis.

*Cum argumentis probabilibus, tum blandis uerbis.  
Notat Lucas in Iudæis studiū quoddã opprimendi ue-  
ritatē & eius professores. Persuasis turbis: ecce q̄ re-  
pentina uicissitudo. Turbæ que paulò ante uoluerunt  
sacrificare Apostolis, illi nunc iuuant eos lapidare.*

Malè ergo faciunt, qui spem suam in uulgus auditoriũ uerbi ponunt.

Item, nota turbam persuaderi, id est facile flecti ad quæuis, nec mirum, quia caret iudicio.

### Lapidauerunt Paulum

En præmiũ, quod ferunt à mundo ueritatis confesso res. Et traxerunt extra ciuitatem

Exaggeratio crucis Apostoli Pauli, qua monemur non leui aliqua pœna adfici ueritatis proclamatores.

Aestimantes eum mortuum esse.

Aetiologia tractionis extra urbem.

Circumdantibus autẽ eum discipulis.

Exemplum charitatis & hospitalitatis in discipulis, qui sine dubio secuti fuerunt Paulum, ut eum mortuum traderent sepulturæ: aut aliàs consolarentur eum

Circumdare Paulum effectus charitatis & hospitalitatis. Surgens intrauit ciuitatem

Quod Paulus lapidatus, tractus extra urbem, & mortuus iudicatus, surgit & intrat in urbem, diuine potentie opus est, quæ hic nobis cõmendatur, quæ uincit etiam in ipsa morte. Vsus est huius resurrectionis Pauli, ut nos consolemur illa contra crucem. Debiit autẽ resurgere Paulus, quia nondũ uenerat hora eius ante quam nemo pijs ad mortem nocere potest.

Intrauit

Intrauit in ciuitatem: non ut temeritatem suam ostenderet, sed ut potentiam dei illis ob oculos poneret.

Et postera die profectus est cum Barnaba in Derben.

Cohærentia ex circumstantia temporis. Non desistit Paulus à prædicandi officio propter ingratitude[m] mundi, quare & nos monemur ne propter mundi ingratitude[m], nostram uocationem deseramus. Cum Barnaba in Derben. Circumstantiæ personarum & locorum certam reddunt historiam.

Cumq[ue] euangelizassent.

Sequitur finis profectio[n]is Pauli cum Barnaba in Derben, qui fuit, ut Euangelizaret ciuitati illi.

Euangelizare est prædicare Euangeliu[m], ut inde non tam læta audiant conscientiæ, quàm letificentur.

Enthymema. Paulus & Barnabas euangelizarunt: Ergo non prædicarunt legis doctrinam.

Ciuitati illi.

In genere toti ac omni. Est enim Euangelium uniuersalis doctrina pro ciuitate non pro una aut altera persona tantu[m]. Et docuissent multos.

Commendatur in Apostolis studium & diligentia, qui non obiter tantum prædicauerunt Euangelium in Derben, sed docuerunt multos. Vnde monemur nos prædicatores



dicatores, ut sic prædicemus Euangelium, quò simul  
 & doceamus ecclesiam. Multi quidem prædicant hodie  
 die Euangelium, sed pauci docent illud. Quemadmodum  
 & Paulus 1. ad Corinth. cap. 4. queritur Corinthiorum  
 ecclesiam habere quidem multos præceptores, sed paucos  
 patres. Nota ergo cur Lucas separet euangelizare &  
 docere. Multos: non omnes.

Reuersi sunt Lystram, & Iconium,  
 & Antiochiam.

Non satis est semel atq; iterum audiuisse uerbum  
 dei: nec satis est uerbum suscepisse, nisi & auditum atq;  
 susceptum custodias: quare Apostoli reuertuntur Lystram,  
 Iconium, & Antiochiam, ut ecclesias confirmarent  
 de audito & suscepto Euangelio. Docemur ecclesiam  
 semper opus habere confirmatione, & in hac uita  
 non peruenire ad perfectionem: item, docemur  
 tum maxime opus habere ecclesiam confirmatione,  
 quando habet puram doctrinam.

Confirmantes animos discipulorum.

Finalis reuersionis Apostolorum causa, ut per uerbum  
 de ueritate uerbi confirmarentur discipuli, ne à  
 uerbo & fide in uerbum deficiant. Cernis etiam hunc  
 usum uocalis et audibilis confirmationis ex ore fratris,  
 quia

qui sanè non leuis est. Confirmantes : scilicet uerbo,  
quod medium est, quo confirmantur piorum animi.

**Exhortantesq; ut permanerent  
in fide.**

Ne à fide deficerent propter hæc aut illa pericula:  
aut ne dubitarent de ueritate uerbi auditi atq; susce-  
pti. Exhortantes : scilicet uerbo. Ut permanerent  
in fide : permanere in fide, est de uerbo, quod fide sus-  
ceperint, non dubitare, neq; à uerbo, quod fide susce-  
perint, deficere. In fide : signanter scriptum est in  
fide : nam nihil refert retinere uerbum sine fide.

**Et quod per multas tribulationes  
oportet nos intrare re-  
gnum dei.**

Causam hæc continent, ex qua moti fuerunt Apo-  
stoli, confirmare discipulorum animos, & exhorta-  
ri eos, ut permanerent in fide : uidelicet, ne propter  
crucem, aut inciperent de ueritate uerbi addubitare,  
aut ab illo prorsus deficere.

Crucem extenuant Apostoli à necessario & com-  
modis. Necessitas est, quia non est alia ad gloriam  
uia, quàm crux. Commodum est, quia per crucem  
patet uia ad gloriam.

Consentientes sunt sententiæ, ad Rom. 8. Siquide cū  
eo patimur

eo patimur, ut & unà cum illo glorificemur. Posteriore ad Timotheum 2. Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sufferimus, & coregnabimus. Ibidem capite 3. Omnes qui uolunt pie uiuere in Christo Iesu, persecutionem patiantur. Per multas tribulationes: cum internas tam externas. Dum enim foris patimur persecutiones, intus angimur simul. Oportet: necessitate consequentiæ: quia enim pii confitentur Euangelij doctrinam, quam mundus odit, igitur necessario sequitur crux. Intrare regnum Dei: id est peruenire ad gloriam. Regnum Dei ponitur pro gloria, quæ est in regno Dei. Habes hic uiam perueniendi ad gloriam in regno Dei, quæ crux est. Via perueniendi ad gloriam in regno mundi longè diuersissima est, in quo gloria ad gloriam, potentia ad potentiam, dignitate ad dignitatem itur.

Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros,

Id est pastores, qui ecclesiis sincero uerbo pascere-  
rent, & prudentia administrarent. Nota presbyteros  
constituerunt non nouitios, hoc est, uiros doctrina &  
prudentia alijs seniores. Nam presbyteros dictos puto,  
non tam ab ætate, quàm à matura doctrina & pruden-  
tia. Presbyter ergo opponitur nouitio, quem nõ præsi-  
genitur

gendum esse ecclesiae monet Paulus, 1. ad Timoth. 3.

Constituisent: in Graeco est, *χρησίζουσιν* artes, quasi per populi suffragia eligentes uel constituentes. Et sanè penes ecclesiam olim ministrorū uerbi electio stetit, sicut testatur Cyprianus epistola 5. & 4. ad Cornelium Epistola tertia sic ait: Quando episcopus in locum defuncti substituitur, quando populi uniuersus suffragio eligitur. Epistola quarta ait: Propter quod plebs obsequens praeceptis dominicis, & deum metuens à peccatore praeposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa maxime habet potestatem, uel eligendi sacerdotes, uel indignos recusandi. Et Christus dixit Matthaei 7. Cauete à pseudoprophetis, &c. Vbi mandatur ecclesiae, ne ferat falsos doctores, quos cū ferre non debet, simul relinquitur ei potestas ueros eligendi.

Porrò quia Apostoli constituunt ecclesijs presbyteros, nota curam & diligentiam Apostolorum pro salute ecclesiarū: item, sine sinceris pastoribus, ecclesias subsistere non posse. Presbyteri qui proprie dicuntur, credo ex hoc loco apertum esse. Apostoli enim confirmatis discipulorū animis, & illis adhortatis ut permanerent in fide (siquidē oportere eos per multas tribulationes intrare in regnum dei) sequitur presbyterorum



70 ERASMI SARCERII SCHOL  
presbyterorum constitutio, qui quid aliud sunt non uis  
deo, nisi tales uerbi ministri, qui Apostolorum exem-  
plo confirmant discipulorum animos & exhortentur  
eos, ut in fide permaneant.

Aliàs ego dicere soleo presbiteros, qui doctrina, pru-  
dentia, consilijs & consolatione iuuant ecclesias. Ast  
hic non dubito nomen presbyteri positum esse simpli-  
citer pro pastore ecclesie, cuius est pascere uerbo, &  
inuiolare ne falsi doctores unà cum doctrina falsa ir-  
repant. Nam pastoris duo sunt officia pascere gregem  
sano pabulo, & tueri gregē à lupis & pabulo noxio.

Per singulas ecclesias, ne ecclesie negligenterentur, si  
tres aut quatuor ecclesie tantū unum haberent presby-  
terum: item, quò sic commodius possent presbyteri  
suo officio inuiolare, id quod fieri non potest, quando  
uni imponitur, quod multorum est.

Et orassent cum ieiunijs.

Quò Deus dignaretur presbyteris benedicere &  
illis in commissio ministerio assistere: item, quo Deus  
dignaretur ecclesiam custodire & conseruare.

Et quia orant circa electionem presbiterorum, mone-  
mur, non rem leuem ac ludicram esse ministrorum uer-  
bi electionem, imò eam debere cum magna grauitate,  
& seria oratione fieri. Sic Christus antequàm eligeret  
suos

suos Apostolos per totam noctem orauit, Lucæ 6.

Docemur itaq; fideles uerbi ministros precibus impetrandos esse, deinde ut fideliter & sceleriter agant in commisso officio, id quoq; flagitandum esse precibus. Orassent cum ieiunijs: per complexionem, id est, ieiunè orassent. Nec refert, etsi dicas eos & orasse & ieiunasse. Ieiunium enim preparatoria causa est ad orationem, quæ in ieiunio & sobrietate fieri debet.

Commendauerunt eos domino  
in quem crediderunt.

Votum pro custodia & incremento ecclesiarum.

Commendauerunt eos domino: id est, ex certa fide reiecerunt in deum ecclesiarum curam & tutelam.

Commendare enim hic fidei effectus est, quæ statuit deum fore custodem & tutorem ecclesiarum.

Domino: circa curam & tutelam rectè ponitur uox domini, quæ potentie uox est. In quem crediderunt: quem pro tutore & defensore iam fide acceperunt.

Et cum peragrassent Pisidiam.

Cohærentia est ex circumstantijs locorum. Peragrassent: Apostolorum est incertis uagari sedibus, &

iuxta officium per totum terrarum orbem predicare Euangelium. Presbyteri autem & alij uerbi ministri manent apud

suas

suas ecclesias, ut scias falsam esse Anabaptistarū opinionē, ex qua statuunt uerbi ministros exemplo Apostolorum per totum terrarum orbem discurrere debere, & prædicare Euangelium. In uerbo peragrassent notatur diligentia Apostolorum unā cum sedulitate & labore. Circumstantiæ locorum certam reddunt historiam.

### Et loquentes uerbum domini in Perge.

Prædicantes Euangelium, quod uerbū domini uocat, quia à domino est & dominus eius intellectum reuelat. Ostendit & Lucas hoc Apostolorum effectū, quod non otium egerint peragrando.

### Descenderunt in Attaliam.

In diuersis locis prædicant Euangelium, ut scias hoc esse uniuersalem doctrinam, & ecclesiam nō esse certo alicui loco alligatam.

### Et inde nauigauerunt Antiochiam.

Peregrinationes has non abs re ita diligenter describit Lucas: nimirum in hoc, ut commendet nobis studium, diligentiam sedulitatem & labores Apostolorū, quos subierunt pro Euangelij gloria plantanda.

Vnde erant traditi gratiæ dei ad opus, quod compleuerunt.

Hæc quasi per occupationē adijcit Lucas, ne putes Apostolos

Apostolos temerè ac præter uocationem sic peragrassè  
imò quod sic peragrarunt, id fecerunt ex comisso of-  
ficio, ad quod à domino deputati fuerunt.

Vnde: ex qua Antiochia, ut supra cap. 13. Erant  
traditi gratiæ Dei: à spiritus sancto per ecclesiæ or-  
dinationem uocati ad prædicandum Euangelium quod  
gratiã Dei uocat Lucas, quia est doctrina de gratia dei  
Traditi: excluditur meritum & propria ingestio.

Gratiæ Dei: cernis hic, quid sit Euangelium: scilicet do-  
ctrina de gratia Dei, hoc est, gratuita iusticia per Deum

Vocabulum gratiæ discernit inter Euangelium & do-  
ctrinã legis. Ad opus: opus intelligit Lucas prædicati-  
onem Euangelij. Quod compleuerunt: commendantur  
Apostoli ab expeditione commissi officij.

Compleuerunt uerbum declarat Apostolos strenuè  
satisfecisse suæ uocationi.

Cum autem uenissent & congrega-  
sent ecclesiam.

Ita ministri uerbi agere debent in omnibus, ne agant,  
quod celent ecclesiam dei, aut quod nõ ausint ecclesiæ  
proponere.

Retulerunt quanta fecisset  
deus cum eis, & quod aperuisset,  
gentibus ostium fidei.

Retulerunt hæc Apostoli in confirmationem eccle-  
siarum



fiarum, ut inde de ueritate Euangelij confirmarentur.

Quanta : in promouendo Euangelio, in animando,  
in liberando è periculis, &c.

Relatio hæc beneficiorum dei spectat ad gratiarum  
actiones, & est fidei opus, quæ non potest esse ingrata

Fecisset deus : nihil tribuunt suis uiribus Apostoli,  
neq; in prædicando Euangelio, neq; in persistendo apud  
Euangelium. Cum eis : deus curam agit ministrorū  
uerbi & confortat eos. Et quod aperuisset : notat gra-  
tiam & excludit meritum.

Sentibus : carentibus deo in mundo, ad Ephes. 2.

Ostium fidei : cōmendat uocabulo ostij abundantē  
dei gratiam erga gentes, quæ nunc non per angustā loa-  
ca perreptant ad gratiam, sed per apertum ostium in-  
grediuntur. Pulchra metaphora est in uoce ostium.  
Ostium fidei uocat liberum accessum ad fidem erga  
Euangelium.

Cōmorati sunt autem ibi tempus non  
modicum cum discipulis.

Scilicet in hoc, ut eos confirmarent & exhortarentur,  
ut permanerent in fide.

## CAPVT XV.

**V**erum hic fit, quod in Euangelij parabola dicitur,  
Matth. 12. Cum autem immundus spiritus  
exierit

exierit ab homine, per ambulat per arenosa loca, &c. Et cum uenerit, reperit eam uacantem & scopis purgatam, atq; ornatam, tunc abit, & adiungit sibi septem alios spiritus sceleratioris se, & ingressus inhabitat illic, & sunt postrema hominis illius peiora primis. Cuius parabolæ hic præcipuus usus est, diabolum nunquam magis scire, quam ad felicem Euangelij successum, ut illud exertat, & homines ab illo impediatur.

Sic incipit nunc scire diabolus, quando uidet felicem Euangelij successum apud gentes, ut uel hæresibus sclicitatem Euangelij impediatur, quam cruce & persecutionibus impedire non potuit.

Et licet diabolus uaria habeat media, quibus conetur Euangelij sclicem progressum remorari: tamen inter omnia media hæc duo præcipua habet: persecutiones & hæreses. Persecutionibus paulo ante usus est diabolus: quod medium, quia uidet Euangelio nihil admodum obesse, recipit in manus hæreses, quò uel his Euangelij successum remoretur.

Nostris hisce temporibus, uarijs medijs usus est diabolus, quibus tolleretur reatum hodie Euangelium. Primum scriptis egit per falsos doctores: postea seditionibus rusticorum: tandem persecutionibus: postremo agit nunc hæresibus, quo medio non habet diabolus ad

uertendum Euangelij ueritatem aliud potentius, quā  
 postremum. Quare quia diabolus in decimo quinto  
 hoc capite, incipit uexare ecclesiam hæresibus: id signi-  
 ficat eum extremè nunc tentare, ut tollat Euangelium  
 aut si nõ omnino tollat, tamen hæresibus deformet, quò  
 intercيدات uera ad salutem uia. Siquidẽ pro paruo di-  
 cit diabolus, etsi maneat Euangelium, modo obfusctur  
 ut ex illo non pateat salutis uera uia.

Hæresis autẽ qua adoritur diabolus ecclesiam, om-  
 nium maxima est, quia de causis iustificationis, quas nõ  
 solam fidem in Christum facit, sed adiungit simul legem  
 Mosi. Et quanquã non apertè hoc sibi uelit diabolus  
 sua hæresi ( nam apparet descendentes de Iudæa hoc  
 sibi uelle, ut legem Mosi causam iustificationis talem fa-  
 ciant, sine qua non ) tamen omnia fiunt per diabolum,  
 quò tandem prorsus ueræ iustificationis causæ interci-  
 dant. Non puto descendentes de Iudæa sua hæresi  
 hoc simpliciter uoluisse, quod fides non sit iustificatio-  
 nis causa, sed quod circa fidem ut unam causam, simul  
 & lex Mosi sit causa. Non aliter atq; nostri Scholastici  
 doctores dicunt, fidem iustificare magis principaliter,  
 bona opera autem minus principaliter.

Hæresis itaq; descendentium de Iudæa est de causis  
 iustificationis, quas descendentes circa fidem & legem  
 Mosi

Mosi faciunt. Ad tollendam hanc heresin de causis iustificationis, conuocantur Synodi, in quibus discernitur & concluditur ex uerbo dei, solam fidem in Christi Iesum sine lege Mosi iustificare.

Causam ergo hic specta, propter quam debent potissimum conuocari Synodi: nimirum propter extirpandas hereses. Potest quoque ex hoc Capite institui integra ferè methodus Synodi, quæ nihil est aliud, quam congregatio ecclesiæ, hoc est, tam laicorum, quam clericorum, in qua discernuntur atque dissoluantur hereses & aliæ cõtrouersie ipsius ecclesiæ ex uerbo dei, sicut porro audiemus. Integram methodum Synodi per omnes methodi partes, quere in nostro dialogo de Synodis, qui bonam huius capituli partem explicat.

### Et quidam descendentes de Iudæa.

Hi quidam illorum typum propriè gerunt, qui circa fidem simul faciunt legis opera causam iustificationis: oblique illorum gerunt typum, qui circa fidem & bona opera quæcunq; faciunt iustificationis causam.

Porro quia heresis hic suboritur, quærenda uenit causa, ob quam hereses deus uenire permittat, eam expressit Apostolus, quãdo dixit: Oportet hereses esse, ut qui probati sunt, probentur. Seruiunt itaque hereses ad probationem fidei ecclesiæ.



## Docebant fratres.

Aperta fuit hæresis non occulta, de qua solus deus discernit: de aperta uerò ecclesia.

Quod nisi circumcidamini secundum morem Mosi, non potestis saluari.

Hæresis sicuti dixi, est de causis iustificationis. Ex circumcisione fortassis intelligunt totam legem Mosi, quemadmodum & sequitur postea. Surrexerunt autem quidam de hæresi Phariseorum, qui crediderant, dicentes quod oportet circumcidere eos, & præcipere seruire legem Mosi. Exemplum ignorantie est in his descendentibus de Iudea, qui nondum intelligunt locos de abrogatione legis & Christiana libertate. Abrogatur enim lex per fidem in Christum, ut causa iustificationis, idq; propter legis & nostram imbecillitatem. Christiana uerò libertas est scientia, que facit nos scire, quod iustificamur gratuito intercedente fide in Christum, sine operibus legis, & alijs quibuscunq;. Non potestis saluari: id est, iustificari. Ecce iusticiam faciunt effectum legis Mosi & legem Mosi iusticie causam faciunt.

Facta ergo seditione & disceptatione non parua.

Sequuntur effectus hæreseos finales, qui sunt seditio & disceptatio. Epistole ad Corinthios satis adumbrant  
 hos

hos effectus & eorum efficaciam. Non parua: exaggerantur effectus hæreseos, ut innotescant nobis hæreseos pericula. Paulo & Barnabæ.

Coram his gentium prædicatoribus rectè suboritur hæresis contra gentes.

**Aduersus illos statuerunt.**

Monetur ecclesia exemplo ecclesiæ, ut statim medeat hæresibus, nec sinat eas inueterascere & agere radices. Statuerunt: non unus aut aliter statuit, non clerici tantum statuerunt, sed clerici & laici simul, & sic tota ecclesia.

In uerbo statuerunt proponitur nobis libertas Synodorum, ad quas non solum clerici sed et laici uocari debent: item in quibus non tantum clerici, sed & laici statuere debent.

**Vt ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex ipsis.**

Sequitur statutum ecclesiæ contra hæresin de lege Mosi ut causa iustificationis. Statutum hoc non est dissensaneum à scriptura: ergo in Synodis ea tantum statui debent, quæ non discrepant à scriptura. Hoc autem statutum ecclesiæ est: ergo falsum est solum Papam statuere posse, aut solos clericos. Et quidam alij ex ipsis: id est, ex ecclesia.

## Ad apostolos &amp; presbyteros in Ierusalem super hac quæstione.

Ecclesia statuit, ut mittantur Paulus & Barnabas Hierusalem: at cum quæstio soluenda est, mittitur ad Apostolos & presbyteros, hoc est, ad eos, qui exactam uerbi cognitionem habent. Sic ecclesia statuere habet, ut uocetur Synodus super heresi aliqua: at in uerbo docti, iuxta uerbum pronunciare debent.

Ad Apostolos & presbyteros: id est, ad eos, qui scripturæ cognitionem aliquam exactam habent.

Ad Apostolos & presbyteros: discernit Lucas inter Apostolos & presbyteros: ad designandum uaria in ecclesia ministeria. In Ierusalem: ubi tunc Apostoli & presbyteri multi erant, & ecclesia erat auctior.

Illi ergo deducti ab ecclesia.

Exemplum obedientiæ, pietatis, & charitatis in Paulo & Barnaba. Obedientiæ est obedire ecclesiæ. Pietatis est, esse studiosum, ut extirpetur tam blasphema heresis contra gloriam Christi. Charitatis est, tam longinquam peregrinationem subire, ne in errorem ducatur ecclesia ex tam horribili heresi. Est & charitatis exemplum in ecclesia, quæ Apostolos deducit.

Peragrabant Phœniciam & Samariam

Peragratio Apostolorum signanter exprimit studium Apostolorum

Apostolorum pro uera pietate conseruanda. Circu-  
stantie locorum certam reddunt historiam.

Narrantes conuersionem gentium.

In hoc, ut fratres per illam de ueritate Euangelij cō-  
firmarentur.

Et afferebant gaudium magnum om-  
nibus fratribus.

Effectus annunciate conuersionis gentium, gaudiū  
quod charitatis effectus est, quæ gaudet & alios con-  
uerti. Magnum: exaggeratio gaudij, quæ ex effectu cō-  
mendat causam, id est, ipsam charitatem in fratribus.

Omnibus fratribus: fratribus ait, hoc est, credenti-  
bus & illis qui per fidem iam erant facti gratuita iusti-  
cie participes: nam iusticiarij operum testantur alios  
ad Euangelium conuerti, & inuident alijs gratuitam ius-  
ticiam, maxime autem gentibus, id est, peccatoribus.

Matthæi. 9. Et factū est, ut Iesus accumberet in illius ca-  
dibus: & ecce multi publicani & peccatores, qui uene-  
rant, simul accubuerunt cum Iesu & discipulis illius.  
Cumq; id uidissent Pharisei, dixerunt discipulis eius.  
Cur cum publicanis & peccatoribus sumit cibum pre-  
ceptor uester?

Cum autem uenissent Hierosolymā  
suscepti sunt ab ecclesia, apostolis, &  
senioribus. Cc s Exemplum



Exemplum humanitatis & hospitalitatis in ecclesia  
Apostolis & senioribus, qui peregrinos fratres suscepere  
hoc est, benigne & humaniter tractarunt Ab ecclesia:  
non ac uno aut altero. Nota ecclesiam non excludi  
in tractatione de rebus ad ecclesie pacem & piam  
doctrinam pertinentibus.

**Annunciantes quanta deus fecisset  
cum ipsis.**

Annunciant gratiam Dei sibi apostolis gentium istam,  
ut apud Iudeos se insinuent nomine gentium.

Cum ipsis: in conuertendis gentibus.

**Surrexerunt autem quidam de factio-  
ne Phariseorum qui crediderunt.**

Hi pharisei non solum circumcisionem causam iustificationis  
esse contendunt, sed totam legem Mosi. Priores descendentes  
de Iudaea iusti, sunt tantum circumcisionem iustificationis  
causam facere. Qui crediderunt: nota ne credentes quidem  
posse facile deserere rationis iudicium de causis iustificationis,  
quae sunt ex operibus & meritis. Ignorantiae exemplum in his  
Phariseis, qui locos de abrogatione legis, & christiana libertate  
nondum intelligunt.

**Quod oportet circumcidere eos & precipere,  
seruare legem Mosi.**

Heresis de causis iustificationis ex operibus legis.

Ceteram quàm feliciter prorepserit hæc hæresis in primitiua ecclesia, passim testantur epistolæ Pauli, in quibus nullibi non impugnat eam Apostolus. Seruare legem Mosi: scilicet ad iusticiam.

Conueneruntq; Apostoli & seniores uidere de hoc uerbo.

Conuentus ad Synodum, cuius causa est hæresis seu periculum doctrine. Enthymema. Hæresis fecit conuenire Apostolos & seniores: Ergo hæresis causa est sufficiens, propter quam debet conuocari Synodus. Apostoli & seniores conueniunt: ergo in dissoluendis hæresibus in Synodis, optimi & doctissimi uiri conuenire debent. Sed hodie quanto homines probiores & doctiores sunt, tanto minus admittuntur ad Synodos. Placet ergo scire, qui debeant in Synodis cognoscere de hæresibus, hic uides, Apostoli & seniores, id est, optimi & doctissimi uiri, quales describit Paulus in epistolis ad Timotheum, ubi requirit personas ad docendum aptas, & potentes exhortari per doctrinam sanam ad conuincendum contradicentes. Videre: per metaphoram deflectionis pro cognoscere, prius uolunt uidere & cognoscere Apostoli & seniores, antequam damnant: nostri Papistæ prius damnant, antequam uident & cognoscunt. Cognitio basis & fundamentum est Synodorum. Libertas & facit uenire ad Synodos, & conseruat illas.

De hoc uerbo: de hoc negotio, hebræorū more, quæ uerbum ponunt pro quouis negotio seu factō.

Cum autem magna disceptatio fieret.

Notat hæc disceptatio libertatem Synodi, ad quam uenire non tantum fuit cuiq; liberum, sed etiam in illa conferre, imò disceptare. Gerson in parte prima de ecclesiastica potestate, eandem libertatem Synodorum his uerbis exprimit: nulla fideli persona exclusa, quæ audiri requirat. Hodie sine ulla collatione & disceptatione damnantur dogmata in Synodis.

**Surgens Petrus, dixit ad eos.**

In exemplo Petri cernis, quales esse debeant, qui in Synodis de hæresibus pronunciare debent: nimirū Apostolici uiri, ad docendum apti, & potentes exhortari et conuincere contradicentes.

Surgens: quia liberum est surgere in Synodis, & nulla fidelis persona excludi debet, quæ audiri requirat.

**Viri fratres.**

Insinuatio, qua sibi parat beneuolos auditores.

Oratio Petri confutatoria est impiæ hæreseos de lege Mosi ut causa iustificationis.

Summa est orationis Petri, gentes & sic omnes homines iustificari per fidem gratuito sine operibus legis

Pertinent huc scripturæ loci, qui idē dicunt, ad Ro.

s. Arbis

9. Arbitramur autem hominem iustificari fide, sine operibus legis. Spectat propriè huc quartum caput ad Ro. ubi multis agit Apostolus de causis iustificationis, quas facit fidem cum imputatione. Ait enim credidit: Abraham deo, & imputatum est ei ad iusticiam, &c.

Vos scitis. Primum argumentum confutationis à pronuntiatis est. Enthymema.

Deus mihi indicavit gentes fore saluos fide in Euangelium sine operibus legis: Ergo deus & uos uult credere, quod gentes saluentur fide in Euangelium sine operibus legis. Vos scitis: ex mea relatione & aliorum Apostolorum.

Quod ab antiquis diebus.

Ante aliquot dies.

Deus inter nos elegit.

Ordinatio dei est gentes audire Euangelium, et fide in Christum sine operibus legis saluari.

Per os meum. En uocale & audibile uerbū.

Audire gentes uerbum Euangelij & credere.

Q. d. Petrus. Hæc duo reuelauit mihi deus, & præterea nihil, ut gentes per os meū audiant Euangelij uerbum, & illi credant ad iusticiam: non reuelauit mihi, ut iustificentur per circumcisionem aut reliqua opera legis.



766 ERASMI SARCERII SCHOL  
legis. Verbum Euangelij signanter dicit, ut ostendat Pe-  
trus, se non habere preceptum predicandi gentibus cir-  
cuncisionem aut legem Mosaicam, quam si uoluisset deus  
iustificationis causam esse, sine dubio de ea mihi man-  
dasset. Et credere: scilicet ad iusticiam. Notat causam  
iusticie ipsam fidem, & excludit opera legis, ut causam

Enthymemata. Gentes debent audire uerbum Euan-  
gelij ad iusticiam: Ergo gentes non debent circuncidi  
aut operari legem Mosi ad iusticiam. Aliud.

Gentes debent credere ad iusticiam: Ergo gentes non  
debent circuncidi aut operari legem Mosi ad iusticiam

Deus qui nouit corda, testimonium  
perhibuit eis.

Argumentum à testimonio Dei, quod perhibuit Deus  
gentes sibi placere sine circuncisione operibus legis.

Enthymema. Gentibus perhibuit Deus testimonium  
quid sibi placeant sine circuncisione & operibus legis:

Ergo gentes circuncisione & operibus legis iustifi-  
cantur. Deus qui nouit corda: id est, qui non respicit  
personas, & cuius iudicium secundum corda est, non se-  
cundum externa. Testimonium perhibuit eis: in cordi-  
bus eorum. Dans eis spiritum sanctum.

Id est, per spiritum sanctum confirmans gentes, quod  
gratuito sine circuncisione & operibus legis iustificen-  
tur.

Sicut

Sicut & nobis. Qui quoque per spiritum sanctum certi sumus, quod circumcisione & operibus legis iustificemur. Et nihil discreuit inter nos & illos.

Scilicet utrisque donans gratuitam iusticiam, sine personarum respectu. Ad Gal. 3. Non est Iudeos, neque Græcus &c. Corruit hic omnis prærogatiua Iudeorum in carne, quantum attinet ad iusticiam, quæ gratuito offertur credentibus.

### Fide purificans corda eorum.

Id est, fide iustificans gentes. Enthymema. Gentes fide iustificantur: Ergo non circumcisione nec alijs operibus legis. Tertium hoc argumentum confutationis esse potest, à uera causa iustificationis, quæ est fides. Purificare est hic iustificare. Corda: hæc adijcit, ut ponat discrimen inter iusticiam & iusticiam: inter iusticiam externam, & eam, quæ ualeat coram Deo, & est in corde sita.

### Nunc ergo quid tentatis deum.

Quartum argumentum contra hæresin de lege ut causa iustificationis: sumptum est ex effectibus legis per impossibile & ab exemplis.

Vel potest hic locus esse occupatiua illatio, ne obijciant aduersarij de usu legis, & dicant: Si lex Mosi non iustificat, in quem ergo usum data est lex Mosi? Re-

spendet

spondet Petrus de errore aduersariorum ignorantium in legis usum, quæ in hoc nõ est data, ut iustificet, imò quæ accuset, terreat, damnet, comprimatur & grauet. Legem autem non iustificare primum ab effectibus legis probat: deinde ab exemplis patrum & presentium Iudeorum, qui crediderunt, qui cum non potuerunt et adhuc possunt per legem iustificari, ergo nec gentes posse.

Nunc ergo: quia certum est fide iustificari gentes. Quid tentatus Deum: tentare Deum est hic: nolle contentum esse reuelatione Dei de causis iustificationis gentium, quæ non sunt circuncisio aut lex Mosi, sed audire Euangelium & illi credere, & est alias causas iustificationis constituere.

**Vt imponatur iugum super ceruices discipulorum.**

Iugum Petrus legem uocat, ab effectibus iugis, qui sunt comprimere & grauare, ad exprimendum effectus legis qui quoque sunt comprimere & grauare conscientias. His effectibus legis adijci possunt & alij explicatorij. Accusare, terrere & damnare conscientias &c.

Porro quia legem iugum uocat Petrus, idque propter effectus, quos lex cum iugo communes habet: quare nunc ex effectibus legis probat, legem non esse causam iustificationis.

Enthymemata.

Lex

Lex comprimit et grauat: Ergo lex non iustificat. Itē.

Lex accusat, terret, & damnat: Ergo lex non iustificat. Item. Lex facit intranquillas conscientias:

Ergo lex non iustificat. Item. Lex auget peccatum

Ergo lex non iustificat. Ad similem modum & Apostolus argumentatur ad Ro. 3. ex effectibus legis, ostendens legem non iustificare. Argumentum est.

Lex iram operatur: Ergo lex non iustificat.

Contraria sunt argumenta, & pro instituto Petri hæc sequentia. Fides erigit & leuat conscientias:

Ergo fides iustificat. Item.

Fides excusat, solatur, & absoluit conscientias:

Ergo fides iustificat. Item.

Fides tranquillat conscientias: Ergo iustificat. Itē.

Fides minuit peccatum: Ergo fides iustificat.

Item. Fides operatur pacem & gaudium pro conscientijs: Ergo fides iustificat. Ab illis predictis effectibus lex uocatur iugum à Petro. Ab iisdem ab Hieremia cap. 28 ferreum iugum dicitur, sicut & à Mose,

Deute. 28. ab Esaiâ cap. 9. uirga humeri, iugum oneris, & sceptrum exactoris. Cap. 52. uinculum colli. Ab eodem Hieremia cap. 23. malleus conterens. A Mose Genes. 3. flammeus gladius &c. Quæ legis nomina, effectus nomina sunt.



Super ceruices discipulorum: qui nunc crediderunt  
ad iusticiam, & eam acceperunt per fidem.

Quod neq; nos, neq; patres nostri  
portare potuimus.

Probat exemplis Petrus per impossibile legem non  
esse causam iustificationis. Enchymema.

Nec nos, nec patres nostri potuimus iustificari lege.  
Ergo nec gentes lege iustificari possunt.

Quod neq; nos, &c. Expressam habes hic causam  
abrogatæ legis, ut causæ iustificationis, quæ est impossi-  
bilitas portandi legem, ut causam iustificationis. Similes  
loci de causa abrogatæ legis, plures extant in scriptura  
ad Rom. 8. Etenim quod lex præstare non poterat, ea  
parte, qua imbecillis erat, &c. Ad Hebræos 7. Abroga-  
tur enim quod præcessit præceptum propter imbecilli-  
tatem & inutilitatem. Hieremias cap. 31. insinuat hanc  
esse abrogatæ legis causam proximam cum causa Pe-  
tri, quod patres non seruauerint uetus pactum, atq; irri-  
tum fecerint, & idè esse nouum datum.

Quod neq; nos: qui nunc credidimus Euangelio ad  
iusticiam. Neq; patres nostri: qui olim uiuerunt.

Portare potuimus: scilicet ad iusticiam. Nam non  
portare legem est hic legi non satisfacere ad iusticiam,  
nec posse lege ad iusticiam peruenire.

Sensus Petri est: propter legis & nostram imbecillitatem, legem ut causam iusticiæ esse abrogatam, & patres fide in Christum iustificatos esse, & nos fide in Christum iustificari.

Sed per gratiam domini nostri  
Iesu Christi credimus saluari  
sicut & illi.

Epilogus orationis Petri, in quem paucis summam sue probationis includit, quæ est, gratuito nos iustificari fide in Christum, sine operibus legis.

Per gratiam: alludit ad gratuitam iusticiam, quæ per imputationem contingit gratuito, sine operibus legis aut meritis. Gratiæ uocabulo hic non aliter utitur Petrus, atq; Apostolus utitur uoce imputationis ad Ro. 4. Credidit Abraham deo, & imputatum est ei ad iusticiam. Per gratiam domini nostri Iesu Christi: id est, per meritum eius.

Gratiam ut unam iustificationis causam & potissimam posuit Petrus & pro fide, quæ gratiam ad iusticiam apprehendit. Signanter autem hic usus est Petrus uocabulo gratiæ, ut declararet, iusticiam ne quidē propter fidem, tanquàm propter opus operatum contingere. Credimus: scilicet nos. Saluari: iustificari.

Sicut & illi: uidelicet iustificati fuerunt per gratiã  
D d 2 domini

domini nostri Iesu Christi, sine operibus legis.

Corruit hic illorum opinio, qui sentiunt homines: primum ex lege naturæ fuisse iustificatos, deinde ex lege Mosi: hodie suis quibusdam legibus iustificari.

Docemur etiam hic de abrogatione legis & Christiana libertate. Abrogatio legis est, ut paucis dicam, qua abrogata est lex, ut causa iusticiæ. Christiana libertas est, quæ facit nos scire, quod sine operibus legis iustificamur gratuito per fidem in dominum nostrum Iesum Christum. Consentientes huic loci multi passim extant in epistolis Pauli, ad Rom. 3. Arbitramur autem fide iustificari hominē absq; operibus legis. Ad Rom. 10. Corde creditur ad iusticiam, &c. Ad Gal. 2. Si lex iustificat frustra mortuus est Christus. ad Ephesios 2. Gratia etiam estis seruati per fidem, idq; non ex uobis, &c.

**Tacuit autem omnis multitudo.**

Hoc tacere multitudinis commendat nobis studium quoddam pro uera pietate cognoscenda in multitudine. Item, hæc multitudinis taciturnitas monet nos de forma quadam celebrandi synodos, in quibus multitudo tacere debet, & audire differentes de rebus ad synodos pertinentibus.

**Et audiebant Paulum & Barnabam narrantes.**

*Audire*

*Audire nos decet in Synodis, non tumultuari.*

**Quanta deus fecisset signa et prodigia  
in gentibus per eos.**

*Disceptatio Phariseorum unà cum oratione Petri,  
uelut per digressionem irrepfit: iam redit Lucas eò,  
unde digressus est, nimirum ad narrationem Pauli &  
Barnabæ, quanta deus fecisset in gentibus per eos.*

*Ufus huius narrationis fuit, ut inde per conuersio-  
nem gentium confirmarentur Iudæi de ueritate Euange-*

*lij.* **Et postquam tacuerunt.**

*Cohærentia ex circumstantia temporis.*

**Respondit Iacobus.**

*Haecenus audiuimus Petrum confutantem in Syno-  
do hæresin de causis iustificationis: porrò audiemus  
et Iacobum eandem hæresin confutantē. Quæstio tunc  
hic oritur, quomodo in Synodis pronuntiandum sit, &  
iuxta quod ius ferenda sententia. Respondetur ex hoc  
loco, quod pronuntiandum sit in Synodis, & ferenda  
sententia contra hæreses, ex uerbo dei. Sic Petrus ex re-  
uelatione & certa & aperta, quam loco uerbi dei ha-  
buit, pronunciauit: item, adductis & alijs, quæ etsi in  
uerbo ad uerba non sunt expressa, tamen cum uerbo  
dei per omnia consentiunt.*

*De reuelatione Petri, quam habuit de gentibus ad*



Euangelij gratiam suscipiendis : item , quod ipse à deo ordinatus fuit prece Euangelij apud gentes , ut hæc Euangelium audiant & credant : item , quod deus dedit spiritum sanctum gentibus , sicut & Iudæis : item , quod deus nihil discernit inter gentes & Iudæos , & sic de cæteris uerbis Petri , quæ quid obsecro aliud sunt , quàm uerbum dei , quod passim extat in scriptura sicut & supra cap. 10. ostensum est. Et quemadmodum Petrus contra hæresin de causis iustificationis pronunciauit ex uerbo dei : ita & Iacobus hic pronunciat.

Rectè itaq; sentiunt his nostris temporibus , qui docent in Concilijs , non iuxta hæc aut illa : non iuxta hos aut illos , sed iuxta uerbum dei pronuncianum esse.

OBIECTIO: Ergo non est pronuncianum iuxta Patrum scripta , & Conciliorum decreta ?

RESPONSIO. Patrum scripta & Conciliorum decreta , eatenus recipimus inter pronuncianum , quatenus cum uerbo dei consentiunt. Augustinus ad Cæsulanum. Nullorū scripta ita magnifacio , quod contra sentire non liceat , si senserint aliter quàm ueritas. Gratianus Dist. 9. cap. Noli frater. Ex dictis episcoporum aut patrum non sunt colligenda testimonia contra mandata diuina. Cyprianus in Sermone de lapsis.

Et quomodo audent quicquàm statuere sine Christo ,  
quarum

quarum & spes, & fides, et uirtus & gloria omnis est  
in Christo? Respondit Iacobus.

Summa est responsi Iacobi, gentes uocatis ad gra-  
uitam iusticiam, non esse onerandas falsis iusticie cau-  
sis ut circumcisione & lege Mosi: quanquam interim  
ad uitã Christianã ac piã hortandæ sint, quã format lex

Viri fratres. Insinuatio, qua parat Iacobus  
sibi beneuolos auditores. Audite me.

Omnis fidelis persona, quæ requirit audiri in Syno-  
do, audienda est. Verbum audite ostendit libertatẽ Sy-  
nodorum, quæ est audire omnes, qui audiri cupiunt.

Simon narrauit. Occasionem hic spectat  
responsi Iacobi, quæ hæc esse uidetur. Petrus in confuta-  
tione hereseos de causis iustificacionis frè nullo aperto  
scripturæ loco usus est, quanquam omnia Petri, facile  
scripturis probentur: ne igitur ecclesia putet Petrum  
sua somnia attulisse: adijcit Iacobus scripturã prophe-  
tarum, quam cum uerbis Petri consentire dicit. Adeo  
ergo res magna est, in Synodis præter uerbum dei con-  
tra hereses nihil adferre, sed contra eas, ex solo uerbo  
pronunciare.

Malè sentiunt Antichristi membra, qui in Concilijs  
uolunt pronunciari iuxta Patrum, Scholasticorum &  
ueterum Conciliorum decreta, neglecto uerbo, quod

quidam adeò hodie reiiciunt, quod negent sensum scripturæ ex ipsa scriptura, sed ex solis patribus, scholasticis & ueteribus Concilijs, colligendum esse. Male autem fecerunt Apostoli, qui ex prophetis pronunciarunt contra heresin de causis iustificationis, destituti patribus, scholasticis, & ueteribus Concilijs.

Quemadmodum primum deus uisitauit, ut sumeret ex gentibus populum nomini suo.

Breuis est Lucas circa responsum Iacobi, nec dubium est, quin Iacobus pluribus uerbis & prophetarum testimonijs, usus sit. Primum: reuelato Euangelio aperte. Deus: uocatio gentium ad grauitam per fidem iusticiam, opus Dei est.

Visitauit: iuxta promissionem gentibus factam de Euangelij gratia. Pertinent huc prophetarum testimonia de uocatione gentium. Osee. 2. Et uocabo populum qui non erat populus meus &c. Esa. 9. Multiplicasti gentem, non magnificasti letitiam. Esa. 49. Dedi te in lucem gentium &c.

Alludit Iacobus simpliciter ad uisitationem gentium que ex reuelatione aperta facta est Petro per linteamen- tum à coelo missum. Enthymema.

Gentes uisitauit Deus, idq; propter suam promissionem

nem gentibus factam: Ergo gentes iustificantur gratis sine operibus legis. Ut sumeret: ex gratia.

Enthymema. Gentes Deus ex gratia assumpsit:

Ergo gentes gratuito iustificantur sine operibus legis. Quid ergo docuit Petrus suis uerbis? Respondet Iacobus, hoc Petrum docuisse: nimirum Deum gratis suscepisse gentes, & gratis eas iustificasse sine operibus legis. Populum: qui non erat populus, Osee. 2.

Nomini suo: ad glorificandum nomen suum propter gratuitam iusticiam quae glorificationis nominis dei causa est. Est uero glorificare nomen Dei, gratias agere Deo pro accepta gratuita iusticia. Enthymema.

Gentes assumpsit Deus ad glorificandum nomen suum

Ergo gentes gratuito iustificantur.

Argumentum ualet à causa ad effectum. Causa est iusticia effectus est glorificatio nominis Dei, quae non potest adesse, ubi gratuita iusticia non adest prius.

Et huic cōcordant uerba prophetarū

Petrus circa pronunciationem contra haeresin de causis iustificationis, nihil diuersi dixit à Prophetis, & sic à uerbo Dei. Ecce uides in Synodus contra haereses pronunciandum esse ex uerbo Dei.

Sicut scriptum est.

Amos. 9. In precedentibus hunc locum uerbis, com-



minatus est propheta Iudeos propter sua peccata excindendos & perdendos esse hoc presenti loco consolationatur reliquias Iudeorum, qui debuerunt conuerti, & si mul uocat gentes in excisorum & perditorum Iudeorum locum. Locus itaq; presens est de consolatione reliquiarum ex Iudeis, & uocatione gentium.

Post hæc reuertar.

Captiuitatis & perditionis tempora. Locus est promissio de seruandis reliquijs Iudeorum & de gentium uocatione.

Et reædificabo tabernaculum Dauid,  
quod collapsum est, & diruta  
eius reædificabo, & erigam illud.

Prior sensus horum uerborum apud prophetam, est de restitutione templi & regni Iudaici, per babilonicam captiuitatem diruti: posterior sensus est de restitutione reliquiarum Iudeorum & gentium in locum perditorum Iudeorum.

Vt requirant dominum reliquiarum hominum.

Iudei qui debent saluari fide in Christum. De illis reliquijs ex Iudeis saluandis, meminit & Esaias. cap. i. Nisi Deus seruasset nobis semen, perijssemus. sicut Solomon

domina & Gomorrha item cap. 10. In ueritate reliquie  
 conuertentur, reliquie inquã Iacob, ad Deum fortẽ & c  
**Et omnes gentes, super quas inuoca-  
 tum est nomen domini.**

Vocantur gentes ad gratuitam iusticiam ex mera  
 gratia Dei, quia locus est promissio. Enthymema.

Gentes promissione uocantur ad gratuitam iusticiã

Ergo gentes gratis iustificantur. Aliud.

Super gentes inuocatur nomen domini :

Ergo gentes gratis iustificantur sine operibus legis

Ratio est, quia inuocatio nominis domini super gen-  
 tes, non legis opus est, sed gratiã & promissionis, quam  
 apprehendit fides ad iusticiam.

Legem non iustificare, sed gratiam & fidem appre-  
 hendentem eam, clarius est ex uerbis ipsius Prophete :  
 eò quod inuocatum est nomen meum super eas, q. d. do-  
 minus, ideo iustificantur, non quia opera legis faciunt,  
 aut quia circumciduntur.

In summa commendat Iacobus ex uerbis prophete  
 Gratuitam iusticiam sine operibus legis.

**Dicit dominus.**

Ergo uerum est gentes gratuito ex sola misericordiã  
 dia Dei, & fide apprehendente misericordiam Dei, ser-  
 uari.

## Qui facit hæc omnia.

Qui gratuito recipit in gratiam et reliquias Iudeo-  
rum & gentes. Enthymema. Dominus hæc omnia fa-  
cit: Ergo domini gratia est, gentes iustificari, non op-  
us legis Mosi. Occupatione hæc accedunt: domi-  
nus dicit, qui facit hæc omnia. Nam summa iniusticia  
est coram ratione, gentes gratuito iustificari & recipi  
in gratiam. Similis occupatio in simili negotio extat,  
Matth. 21. A domino factum est hoc & est mirabile in  
oculis nostris.

Nota sunt à seculo domino  
omnia opera sua.

Et hæc Iacobi uerba per occupationem accedunt, ne  
miretur ecclesia, cur deus gentes gratuito in gratiam  
receperit. Nota enim sunt à seculo domino omnia ope-  
ra sua. Vult Iacobus ut simpliciter credat ecclesia,  
gentes gratuito in gratiam receptas esse, non uult illam  
inquirere causas, quas solus deus scit. Rectè dixit Chris-  
tus, Matth. 21. A domino factum est hoc, & est mira-  
bile in oculis nostris. Nota sunt domino: non miran-  
do, qui non potest credere gentes gratuito iustificari.  
Nota mundum non intelligere ex se opera dei. A seculo  
to: semper.

## Quare ergo decerno.

Epilogus

Epilogus adhortatorius, quo adhortatur Iacobus, ut credat ecclesia, gentes gratuito sine operibus legis iustificari. Ego decerno: id est, ex uerbo dei certè statuo Non esse turbandos eos, qui ex gentibus conuertuntur ad deum.

Obserua ad turbationem conscientiarum pertinere, alias iustificationis causas constituere, quàm fidem & gratiam, quam fides ad iusticiam apprehendit. Et reuera non possunt non turbari conscientia & irrequietæ fieri, quando ex operibus illis colligenda est iusticia: imò fieri non potest, ut conscientia aliunde certè fiant de iusticia, quàm per solam fidem. Nam nõ possunt statuere, quando satis operati sunt ad iusticiam. Qui ex gentibus conuertuntur ad deum: periphrasis ecclesie gentilis. Conuerti ad deum est hic credere Euangelio ad gratuitam iusticiã, quæ à deo offertur gentibus sine operibus legis, gratuito.

Hinc etiam controuersia de epistola Iacobi dirimi potest, in qua nihil minus cogitauit Iacobus, quàm ut tribueret operibus iusticiam.

Sed scribendum ad eos, ut abstineant à contaminationibus simulachrorum.

Coheret hæc aduersatiua precedentibus per occupationem,



tionem, ne quia audiuerunt aduersarij, etiam gentes iustificari sine operibus legis. iam obijciant: ergo gentes sine lege uiuere debent, & libere pro uoluntate? Respondit Iacobus occupatione, & docet à iustificationis sine gentes non in hoc gratuito iustificatos esse, ut nunc dissolutam uitam agant, sed ut honestè ac piè uiuant: quare suadet scribendum esse gentibus, non de lege, ut causa iustificationis, sed de bonis operibus legis, quibus testentur de gratuita iusticia accepta.

Verum inquis attamen abstinere à contaminationibus simulachrorum, à scortatione &c. sunt legis opera de quibus ergo quia Iacobus uult scribi gentibus: igitur gentes ligat ad opera legis ut causas iustificationis? Responsio. Iacobus ligat gentes ad opera Decalogi, non ut illis mereantur iusticiam, sed ut illis de accepta iusticia testentur. Porro & hoc scitu necessarium est Iacobum gentes non ligare ad Ceremoniales & Iudiciales leges uerum tantum ad leges Decalogi, quæ alioqui mentibus gentium inscriptis sunt à natura.

Docemur itaq; hic, quæ leges nobis gentibus ex Mose seruandæ sint, loco gratiarum actionis: nimirum leges Decalogi: non quia Moses eas præcepit, sed quia consentiunt cum legibus nature, quæ omnium hominum uniuersis insculptæ sunt.

Item, monemur hic de finalibus bonorum operū cau-  
 sis, que sunt: bonis operibus testari de gratuita per fidē  
 in Christum iusticiā, gratias illis agere Deo pro eadem  
 inuitare alios per illa ad credendum Euangelio ad iusti-  
 ciam &c. Summa est huius loci. Iustificati debent  
 bona opera facere. Qua de re consule. 6. cap. ad Rom.  
 & 2. ad Ephesios. Vbi scribit Apostolus in hæc uerba.  
 Figmentum Dei sumus, conditi ad bona opera &c.

Abstineant: ut clarum sit eos suscepisse Euangelium  
 illi credidisse, & fide iustificatos esse. Siquidem in hunc  
 finem iubet Iacobus scribere gentibus. A contaminatio-  
 bus simulachrorum: ab idololatria, que est ipsa conta-  
 minatio & alios contaminat. Et fornicatione: omni  
 mœchatione & luxu ueneris. A suffocato & sanguine  
 id est, ut habeant puras mentes & manus à sanguine in-  
 nocentium. Alludit ad leges, quarum altera extat Leuiti-  
 ci. 29. Non comedatis carnem sanguine: qui locus de  
 suffocatis propriè intelligi debet: altera Leuitici. 17. Sa-  
 nguine uniuersæ carnis non comedetis, quia anima car-  
 nis in sanguine est, et quicumq; comederit eum, interibit

Contaminatio simulachrorum contra primum præ-  
 ceptum Decalogi est.

Fornicatio contra tertium præceptum Decalogi po-  
 sterioris tabule.

Suffoca

Suffocatum & sanguis contra secundum posterioris tabule preceptum, quod est de prohibitione carnis. Deus enim Iudeis preceptis de suffocato & sanguine, non tam uoluit prohibere suffocatum & sanguinem, ne illa ederent quam ut prohiberet impuros adfectus & facta in effusione sanguinis innocentium. Quod hic Iacobus prohibet circa uoces suffocati & sanguinis. Apostolus alijs uerbis prohibet. 1. ad Timoth. 2. Volo igitur orare uiros in omni loco, sustollentes puras manus absque ira & disceptatione. Suffocato igitur & sanguine prohibet Iacobus iram, disceptionem, rixas, cedes &c.

Moses enim ab antiquis temporibus  
habet in singulis ciuitatibus.

Aetiologia cur scribendum sit gentibus, de contaminationibus simulachorum, de fornicatione, de suffocato, & sanguine: sumpta à consensu Moses & nature.

Aetiologia occupatione constat. Obijcere enim poterant aduersarij. Quid rei gentes habent cum his legibus Mosaicis? Respondet Iacobus. Non dico scribendum esse gentibus, de contaminationibus simulachorum & alijs rebus, quia Moses precepit de illis, sed quia in hac parte Moses consentit cum natura, & gentes ante Moysen illas in usu habuerunt prohibitas.

Item, potest et hæc coherentia esse huius aetiologie  
Obijcere

Obijcere poterant aduersarij. Tu dicis Iacobe, scribendum esse gentibus, ut abstineant à contaminationibus simulachrorum &c. unde autem discent illa, à quibus eis cauendum est? Respondet Iacobus, è libris Moysis, qui passim extant in omnibus Bibliothecis & Synagogis, quique & omni sabbato leguntur.

Placet utraq; coherentia.

Moses &c. Pro priore sententia, sensus est: ideo gentibus scribendum esse de prædictis rebus, non quia Moses de illis prohibuit, sed quia res illæ alioqui ex lege nature sunt prohibitæ. Pro posteriore sententia, sensus est: scribendum esse gentibus de prædictis rebus, nec esse, quod quis queratur de libris, in quibus discere oporteat, à quibus rebus abstinendum sit, à quibus non: nimirum id facile palam fieri, cum in omnibus Bibliothecis & Synagogis libri Moysis extent.

Tunc placuit Apostolis & senioribus cum omni ecclesia.

Sequitur quid deceat ecclesiam in synodis, post pronuntiationem contra hereses ex uerbo dei: decet ecclesiam obedire pronuntiationi ex uerbo, & laborare pro concordia ecclesie, idque exemplo Apostolorum, seniorum & omnis ecclesie.

Tunc: post pronuntiationem ex uerbo contra heresim



de causis iustificationis. Placuit: ut pura doctrina restitueretur, & ecclesie concordia seruaretur.

Apostolis & senioribus: peritis & doctis in uerbo præ alijs, & sic ministris ecclesie. Cum omni ecclesia: Ecclesia in Synodis nõ excluditur, neq; ministri uerbi in Synodis quicquid agunt ex priuato uerũ omnia consensu ecclesie. Longè aliter egerunt hæcenus summi Pontifices in celebrandis Synodis, & in discernendis rebus propter quas congregari solent Synodi. Diligenter nota non solos uerbi ministros habere potestatem discernendi in Synodis, sed totam ecclesiam, Eligere uiros ex eis: ex uno hoc docreto intellige & alia, que in Synodis promulgantur. Et mittere Antiochiam. Vbi primum orta erit hæresis à descendentibus de Iudæa. Cum Paulo & Barnaba & Iudam. Post pronuntiationem et ex uerbo contra hæreses in Synodis, recte uiris optimis in uerbo peritissimis cõmendatur potestas promulgandi Synodi acta. Est quoq; de forma celebrandi Synodos, Synodi acta promulgari ecclesijs. **Viros primarios inter fratres** Qui præ alijs insigniora dona tum eruditionis in uerbo, tum honestatis in uite moribus habebant. Et scripserunt per manns eorũ.

In hoc, ut ecclesie missis facilius fidem adhiberent,

& ex

Et ex scriptis cognoscerent pronuntiationis contra  
tantam heresin formam.

Apostoli, & seniores, & fratres, qui  
sunt ex gentibus, Antiochiæ &  
in Syria & in Cilicia.

Subscriptio literarum una cum inscriptione & salu-  
tatione, quæ omnia in presentibus uerbis uides. Sub-  
scriptionis uerba sunt. Apostoli & seniores, & fra-  
tres. Inscriptionis. Fratibus, qui sunt ex gentibus,  
Antiochiæ, & in Syria & in Cilicia. Salutationis  
uerbum est. Salutem. Apostoli, & seniores, & fratres  
simul scribunt: Ergo decreta synodorum non debent pro-  
mulgari sine consensu ecclesiæ.

Antiochiæ, & in Syria, et Cilicia: nota ecclesiam non  
esse certo alicui loco alligatam, sed undiquaque per to-  
tum terrarum orbem diffusam.

Salutem: & animæ & corporis.

Quoniam audiuimus

Narratio lucida & simplex, quales sunt ferè om-  
nes narrationes scripturæ.

Quod quidam ex nobis  
exeuntes.

Prima Ioannis 2. E nobis profecti sunt, sed non  
erant ex nobis.

Turbauerunt uos uerbis, & labefactantes animos uestros.

*Id est, reddentes uos incertos circa causas iustificationis. Nam nulla potest esse certitudo conscientiarum ubi contenditur pro iusticia ex operibus.*

*Alludit ecclesia ad effectus, qui sequi solent, ubi operibus laboratur pro iusticia.*

Iubentes circumcidi & seruare legem.

*Causas subiiciunt turbationis & labefactionis animorum, quæ sunt hæreses de causis iustificationis.*

*Iubentes circumcidi, & seruare legem: scilicet in hoc ut inde pararetis uobis iusticiam.*

Quibus non mandauimus

*Ecclesia non statuit novos fidei articulos, nec præcipit à uerbo diuersa. Diuersa autem à uerbo doctrina est, legem Mosi facere iustificationis coram deo causam.*

Placuit nobis.

*In hoc, ut pura doctrina & concordia ecclesie conseruaretur.* Collectis unanimiter

*In uno sensu. Ecclesie unus est sensus ad analogiam fidei formatus, à qua non dissentiunt ecclesie membra.* Eligere Non quiuis præficiendi sunt rebus magnis in ecclesia expediendis.

Et

Et mittere ad uos

Vt eximeremus uobis turbationem & labefactionē animorum uestrorū, quam propter heresin de causis iustificationis concepistis.

Cum charissimis nostris

Pateticus adfectus, qui est uehementis charitatis opus in ecclesia Hierosolymitana.

Qui tradiderunt animas suas pro nomine domini nostri Iesu Christi.

Commendant Paulum & Barnabam à fidelitate & constantia in doctrina uera. Vfus uerò est commendationis, ut illo Paulo & Barnaba maiorem fidem apud ecclesias concilient.

Animas suas: uitam exposuerunt periculis Pro nomine domini: pro gloria & plantatione Euangelij. Misimus ergo Iudam & Silam Exponunt qui sint illi, quos miserunt cum Paulo & Barnaba, quorum & nomina addunt, ut de illis sint certe ecclesie.

Qui & ipse uobis eadem referrent uerbis.

In certitudinem nostre sententie de causis iustificationis. Visum enim est spiritui sancto.

Aetiologia causam reddunt sui instituti & sue sententie de



tie de causis iustificationis, à spiritus sancto, quem in hoc instituto & hac sententia ductorem & rectorem habuit Hierosolymitana ecclesia.

Enthymema. Ecclesia Hierosolymitana spiritus sanctum habet sui instituti & sue sententiae de causis iustificationis. Ergo ecclesia Hierosolymitana non temerè scribit, nec temerè sentit de causis iustificationis: item, nihil ex incerto agit. Rectè ecclesia Hierosolymitana præ tendit spiritum sanctum, quia à spiritus sancto nihil alieni sentit. Alia est ratio, cum Synodis antecessorum nostrorum impijs, quibus præfigitur spiritus sanctus, cum illæ Synodi longè lateq; à spiritus sancti doctrina recedunt.

Spiritus sancto: quem nostri instituti & sententiae autorem habemus. Et nobis: qui de hoc nostro instituto et de nostra sententia super causis iustificationis, spiritum sanctum autorem habemus.

Nihil ultra imponere uobis oneris.

Scilicet quantum attinet ad causas iustificationis.

Ultra: præter fidem in Christum. Onus uocat legem, ab effectu oneris, qui est grauare. Lex ergo quia grauat conscientias: ergo non iustificat.

Quàm hæc necessario.

Videlicet, ut illis testemini de gratuita iusticia, agat  
tis illis

tis illis gratias Deo pro accepta gratuita iusticia, inuitetis illis alios ad credendum Euangelio ad gratuitam iusticiam. Hi enim bonorum operum fines sunt, qualia etiam sunt: abstinere ab idolothytis, á sanguine, &c.

Necessaria uocat talia opera, non quod sunt ad iusticiam necessaria, sed ad testimonium de accepta uera iusticia, & quia necessario sequuntur iusticiam, cuius finis est bene operari, ad Rom. 6. & ad Ephes. 2.

Abstineatis: & animo & corpore. Perfectio enim legis est charitas, ex puro corde, conscientia bona, & fide non simulata: postea pertinet & ad legis perfectionem foris bene facere & seruare legem.

**Ab idolothytis, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.**

Id est, ab omnibus malis operibus, cum erga priorem, tum erga posteriorem tabulam. A contrario iubent bene operari ex utraq; tabula. De uocabulis supra dixi copiosius. Rectissime autem ducuntur gentes ad Decalogi opera, quæ consentiunt cum operibus nature, in animis gentium scriptis.

**A quibus custodientes uos, bene agetis.**

Bene agetis: id est, testabimini de fide uestra, & de accepta gratuita iusticia per fidem: gratias agetis

domino pro gratuita iusticia, & alios ad credendum  
Euangelio pro gratuita iusticia inuitabitis.

Valete. Conclusio literarum à uerbo uoti,  
quo precatur ecclesia ecclesijs omne bonum.

Illi ergo dimissi, descenderunt.

Exemplum obedientiæ, pietatis, & charitatis in  
missis. Obedientiæ est, in re tam necessaria obedire ec-  
clesiæ. Pietatis est, tantos labores subire pro conseruati-  
one ueræ pietatis. Charitatis est, alijs impartiri pieta-  
tem uerè cognitam.

Et congregata multitudine red-  
diderunt epistolam.

Non uni aut alteri reddunt epistolam, sed toti mul-  
titudini, ut scias extra ecclesiã in negotio pietatis, nihil  
esse præsumendum. Quam cum legissent.

Ecclesia non debet alterius ecclesiæ consilia aut  
acta contemnere, sed legere, & lecta probare ac impro-  
bare pro iudicio ex uerbo.

Gauii sunt super consolatione.

Gaudium effectus est conscientiarum rursus cer-  
tarum de causis iustificationis. Siquidem conscientia  
non possunt esse tranquille, neq; gaudere possunt, ubi  
incerte sunt de iustificationis causis, & ubi operibus  
contendendum est pro iusticia.

Super consolatione : omnium maxima est consolatio, esse certū de iustificationis causis, & scire fidem in Christum solam iusticiam impetrare, & iusticiam dari gratuito.

**Iudas autem & Sylas.**

His præ Paulo & Barnaba relinquitur labor consolandi & cōfirmandi ecclesias, quia singulariter ab Hierosolymitana ecclesia missi erant Antiochiam & ad alias ecclesias.

**Cum essent etiam ipsi prophetæ.**

Id est, interpretes uerbi, & habentes dona interpretandi uerbum, consolandi & confirmandi alios.

**Verbo ubertim consolati sunt fratres & confirmauerunt.**

Scilicet contra heresin de causis iustificationis.

Verbo ubertim consolati sunt fratres & confirmauerunt, id est, multis scripturæ locis instituerunt ecclesias contra heresin nunc sepe dictam.

Verbo : uides hic quo gladio usi sunt Christiani primitiue ecclesiæ contra hereticos.

Item : uerbo consolati sunt fratres, & confirmauerunt : ergo extra uerbum non est solatium aliud præsentius, neq; confirmatio efficacior.

Ubertim : hæc particula notat indefessam iudæ &



Silæ operã, in solando et confirmãdo ecclesias ipso uerbo. Commorati autem aliquanto tempore. Sine dubio non paruo: quia hæresis plausibilis fuit. Dimissi sunt cum pace à fratribus ad Apostolos.

In signum, quod illorum consolatio & confirmatio grata ecclesijs fuerit

**V**isum est autem Silæ ibi permanere.

Correctio præcedentis dimissionis ex aliqua parte permanere: sine dubio ex charitate, ex qua ulterius inferuaret ecclesijs dei.

**P**aulus autem & Barnabas commorabantur Antiöchiæ

Ad hos redit Lucas propter historie ordinem, ne eorum oblitus esse uideatur.

**D**ocentes & euangelizantes cum alijs pluribus uerbum domini.

Hec addit Lucas, ne putes Paulum & Barnabam ocium egisse Antiöchiæ. Docere & Euangelizare separat, ut ostendat Lucas qualẽ doctrinã Paulus et Barnabas docuerint: deinde, quò declaret, Paulũ & Barnabã docendo simul consolatos esse conscientias: tertio aliud esse docere Euangeliũ: aliud quoq; esse Euangeliũ prædicare. Multi enim prædicant Euangelium, pauci autem

autem docent, id est, ita aptè proponunt, ut inde ecclesia ad exactam Euangelij cognitionem pertingat.

Post aliquot autem dies.

Cohærentia pendet ex circumstantia temporis.

Dixit ad Barnabam Paulus.

Exemplum Christianæ prudentiæ & uigilantiæ in Paulo est, qui hic uerum agit episcopum, hoc est, speculatorem, nec conuersi ad Euangelium, rursum aut ex tentationibus aut ex cruce ab Euangelio deficiant, uel circa Euangelium securi fiant. Porro quia Paulus ducit reuertendum esse ad ecclesias, & putat necessarium esse uisitare fratres, ostendit non minorem esse laborè ad Euangelij cognitionem peruenire, quam eam seruare. Item, docet ecclesiã facillimè posse in securitate incidere, nisi subinde uisitetur & cõfirmetur.

Reuertentes uisitemus fratres.

Fortassis hinc orta est annua ecclesiarũ uisitatio, quæ aliquãdo in usu fuit, et hodie per synceros ac pios principes reuocata est in quibusdã Germaniæ partibus, de qua uide Dist. 18. cap. Decernimus. Itẽ, nostrũ Dialogum de Synodis et Visitatione. Visitemus fratres: in hoc, ut eos cõfirmemus de ueritate Euangelij, et exhortemur, ut permaneãt in fide. Quemadmodũ supra cap.

14. Profectus est Paulus cum Barnaba in Derben, & reuersũ

796 ERASMI SARCERII SCHOL  
reuerſi ſunt Lyſtram, & Iconium, & Antiochiam,  
confirmantes animas diſcipulorum exhortantesq; ut  
permanerent in fide.

Per omnes ciuitates.

Singulæ eccleſiæ pro ſe opus habent confirmatione  
& exhortatione. Vides quoq; hic diligentiam Pauli  
pro omnibus eccleſijs atq; ſingulis.

In quibus prædicauimus uerbum  
domini.

Discernit inter ciuitates & ciuitates. Verbum  
domini uocat, cuius autor eſt dominus, & cuius intel  
lectum dominus reuelat.

Quomodo ſe habeant.

Finalis hæc uifiſitationis cauſa eſt, ut experiantur  
num adhuc firmi ſint fratres, num adhuc ſtent in fide  
& pura doctrina: ſi minus ſint firmi, confirment  
infirmos: ſi minus ſtent in fide & pura doctrina, eos  
rurſum ſtare faciunt, tam in fide, q̄ in doctrina pura.

Barnabas autem uolebat ſecum aſſu  
mere & Ioannem.

Exemplum humanorum adſectuum in Barnaba,  
quibus etiã ſancti ſunt obnoxij, & quos Euangelian  
in ſanctis non tollit, ſicut quidam ſuperſtitioſi nugantur,  
qui ſanctos contendunt contra naturam ab omni  
bus humanis

bus humanis adfectibus prorsus liberare. Volebat:  
ex humano adfectu ad Ioannem inclinatus.

Qui cognominabatur Marcus.

Discernit inter Ioannem & Ioannem.

Paulus autem nolebat.

Exemplū infirmitatis & priuatae uindictae in Paulo,  
qui nondū oblitus est discessionis Marci, de qua supra  
cap. 13. Nota diligenter & sanctos infirmitatibus  
& saepe malis adfectibus obnoxios esse. Consolato-  
rium est exemplum Pauli & Barnabae, pro infirmis  
peccatoribus, ne statim propter suam infirmitatē de-  
sperent, qua etiam ne tanti quidam sancti carere po-  
tuerunt. Nolebat: ex humano adfectu. Confutan-  
tur ex his exemplis Pauli & Barnabae illi, qui nolunt  
sanctos fuisse peccatores, & multis infirmitatibus ob-  
noxios. Contra quos consule & Augustinum de in-  
nocentia uera cap. 3. 7. 9. Item cap. 13. in Enchiri-  
dio ad Laurentium. Item, de definitionibus orthodo-  
xae fidei, cap. 49. Prima Ioannis 1. Si dixerimus,  
peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & ueritas  
non est in nobis.

Quoniā in Pamphilia deseruerat eos.

Aetiologia cur noluerit Paulus sibi adiungi ad Io-  
annem, a defectione, qua prius defecit Ioannes in Pam-  
philia



philia. Sine dubio Paulus amplius noluit fidere Iohanni, & semel deficientē iudicauit sepius defecturum.

Et non ierat cum eis in opus,

Ad prædicandum Euangelium.

Facta est autem acris concertatio.

Proponit nobis hanc acrem concertationē Lucas non ut eam commendet in Apostolis, sed ut proponat nobis infirmitatem & humanos adfectus in uiris sanctis, quò inde consolemur nos, ne propter nostras infirmitates desperemus, discamusq; etiam sanctos humanis adfectibus & sic peccatis obnoxios esse posse. Sinit autē deus & sanctos incidere in peccata, ne superbire incipiant, inò solum deum magnificere discant, ipsi uerò habeāt, quod orent: Et dimitte nobis debita nostra. Acris: exaggeratur cōcertatio nostra causa, ut sciamus etiam sanctos grauius sepe peccare posse.

Ita ut discederent ab inuicem.

Et hæc spectant ad concertationis exaggerationem, quæ fit nostra causa. Discedere hoc signum est acris concertationis.

Et Barnabas quidem assumpto Marco nauigauit in Cyprum.

Est & in Barnaba magnæ infirmitatis exemplum, qui propter leuem saltem causam discedit à Paulo,

cuius

cuius cōiuctu iam aliquamdiu familiarissimè usus erat,  
idq; & cum magno ecclesiæ fructu atq; augmento.

Vsus est exemplorum infirmitatis in Apostolis, et  
hic quidam, ut habeamus, quod opponamus hodie il-  
lis, qui eos, qui susceperunt Euangelium, statim uo-  
lunt esse perfectissimos. Clamant illi: Offendiculum,  
offendiculum. At quantum offendiculum putas concer-  
tationem Pauli & Barnabæ, & postea eorundem dis-  
cessionem in ecclesia peperisse?

**Paulus uerò electo Sila profe-  
ctus est.**

De peccato neq; Barnabas, neq; Paulus excusari  
potest. **Traditus est gratiæ dei  
à fratribus.**

Id est, & uotis & precibus commendatus est deo.  
Commendatio hæc charitatis effectus est: item fidei,  
ex qua commendare Paulum gratiæ dei coeperunt.

**Peragrabat autem Syriam &  
Ciliciam.**

Circumstantiæ locorum certam reddunt historiam.  
**Confirmans ecclesias.**

De ueritate Euangelij, & exhortans eos, ut per-  
manerent constantes in fide. Propter eosdem fines, &  
nostra annua ecclesiarum uisitatio seruari debet.

**CAPVT**

## CAPVT XVI.

**C**oheret hoc caput cū sine præcedentis, in quo instituit Paulus profectionem, ut uisitaret ecclesias & de ueritate ac fide confirmaret, sicut & aliqua ex parte præstitit: quod uerò ibi cœpit, id legitur in hoc capite diligentissimè expediuisse & cōsummasse. Est itaq; summa huius capitis generalis. Visitationem ecclesiarum de qua liberauit Paulus in præcedenti capite, & aliqua ex parte cœpit, eam in hoc capite exequitur.

Peruenit autem in  
Derben & Lystram.

Relicta Syria & Cilicia. Circumstantiæ locorum  
accedunt propter certitudinem historie.

Et ecce.

Ecce attentionis particula, qua attentos reddit Lucas lectores, quasi dicturus de grauissima persona, in doctrina & fide magna.

Nomine Timothæus.

Et nomen adijcit propter historie certitudinem: deinde ut tantus discipulus statim omnibus innotescat.

Filius mulieris uiduæ fidelis.

Designat his Lucas certam personam, ut commendet Timothæum à fideli matre, quæ cōmendatio sanè non postrema est: quippe habere aut habuisse fideles  
parentes

parentes. Et quia Timotheus fidelem matrem habuit: igitur non mirum fuit, & filium effectum esse fidelem: item, non mirum est, filium in uera pietate & sincera doctrina enutritum fuisse. De qua uera pietate & sincera doctrina in Timotheo, consule epistolas Pauli ad Timotheum scriptas, quæ à multis egregijs donis Timotheum commendant. Mulieris uidue: ergo magis mirandum, quod filium suum ad pietatem & studia sacrarum literarum adhibuit. Fidelis: quæ Euangelium fide suscepit.

**Patre gentili.**

Patrem gentilem adiicit propter sequentia, quæ ex magna parte ex gentilitate patris pendent. Quia enim Timotheus patrem gentilem habuit: igitur circumcissus est. Fortassis parentes Timothei ex illis fuerunt pars hominum, de quibus consulit Paulus ne propter infidelitatem alterius personæ diuellantur, 1. ad Corinth. 7. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc assentitur ut habitet cum illo, ne dimittat eam: & mulier quæ habet maritum infidelem, & is assentitur, ut habitet cum ea, ne dimittat illum.

Huic testimonium bonum reddebant fratres, qui Lystris erant & Iconij.

Sine dubio Paulus diligenter inquisiuit testimonium



de Timotheo, quem statuit ad ministerium uerbi recipere. Vnde docemur ne facile & sine testimonio suscipiamus ministros uerbi. Priore ad Timotheum 3. Oportet autem illum bonū habere testimonium ab extraneis & c. ergo multo magis ab ecclesia.

Christus Ioannis 20. anteq̄ committat Petro & sic reliquis Apostolis curam pastoralem, prius triplici interrogatione experitur amorem Petri. Priore ad Timoth. 3. Manus cito ne cui imponas. Hi & similes loci huc pertinent, qui docent ministros uerbi non esse leuiter acceptandos. Testimoniū bonum: & doctrinae bonae, & bonorum morum uita.

**Hunc uoluit Paulus secum proficisci**

Audito de illo ecclesiae testimonio (quod ex descriptione episcopi, quē describit Apostolus, 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1. circa duo uersatur) circa sanam doctrinam, & uitae mores sanos.

Secum proficisci: ut esset symista uerbi.

**Et assumens circumcidit eum, propter Iudaeos, qui erant in illis locis.**

Quid hic noui est, Apostolus, qui ipse haeresin de causis iustificationis falsis, ut de circumcissione & lege Mosi, Hierosolymam detulit, & damnatam ex uerbo ad ecclesias retulit, iam incipit damnatam reuocare?

Responsum

Responsum pendet ex causis, quibus motus fuit Apostolus, ut circumcideret Timotheum: item ex intentione Pauli. Cause impulsivæ fuerunt: necessitas, infirmitas & charitas. Necessitas coëgit Paulum circumcidere Timotheum, quod si non fecisset Apostolus, offensus Iudei ante cognitionem doctrinæ, doctrinam non suscepissent, Infirmitas compulit Paulum ad circumcisionem Timothei. ne infirmos Iudæos prius destrueret, anteq̃ eos ædificasset. Charitas occasionem præbuit, quod Timotheum circumcidit Paulus, quæ infirmorum respectum habuit, ut hac ratione, infirmos lucraretur Evangelio. Intentio Pauli excusat factum circumcisionis, quia Apostolus non in hoc circumcidit Timotheum, ut crederet circumcisionem esse causam iustificationis: neq̃ in hoc, quod uellet reuocare circumcisionem, ut rem gentibus ad salutem necessariam, contra quæ ipse prius & docuerat, & in Synodo cum ecclesia conluserat: uerum ut infirmorum Iudæorum respectum haberet, & eos sic Evangelio lucraretur.

Locus: ergo de indifferentibus hic tractari potest, quod illis uti liceat propter infirmos, non liceat propter firmos & pertinaces. Ex indifferentibus fuit & circumcisio, qua utitur Paulus in circumcidendo Timotheo propter infirmos: at coram

pertinacibus Titum incircumcisum reseruauit.

Quomodo autem & qualiter indifferentibus utendū sit, ex hoc loco apertum est. Ita utendum est indifferentibus, ut illis tantum utaris, ubi necessitas, infirmitas, & charitas postulat: deinde ne in illis iusticiam ponas, aut illas ut res ad salutem seu iusticiā necessarias, requiras: tertio, ut corā firmis & pertinacibus, illis non utaris. Ratio est, quia firmi illis opus non habent. Pertinaces uerò ligant ad illas iusticiam, & faciunt res ad salutem necessarias

Sed queris, num circumcisio indifferens res fuerit?

Responsio. Suo tempore non fuit indifferens, sed indifferens postea ut typica sub Euangelio facta est. Monemur exemplo Pauli, ut infirmorum respectum habeamus, nec cibo aut potu, & sic alijs rebus indifferentibus, fratrem infirmum perdamus, pro quo Christus filius dei non dubitauit mori. Qua de re pulchrè docet Apostolus, ad Romano .14. & 15. & .1. ad Corinth. 8.

Circumcidit eum: infirmitate, charitate, & necessitate, ut impulsuius causis motus. Propter Iudeos: scilicet infirmos. Vides causam circumcisi Timothei, quæ non fuit ut Paulus reuocaret circumcisionem ut causam iusticiæ, & rem ad iusticiam necessariam.

Sciebant

Sciebant enim omnes, quod pa-  
ter eius fuerat gentilis

*Aetiologia circumcisionis in Timotheo aperta,  
sumpta à necessitate. Enthymema. Omnes sciebāt &c.*

*Ergo necessarium fuit circumcidi Timotheum, necessi-  
tas ex infirmitate certa est.*

Cum autem peragrarent

Peragranti uerbum commendat in Paulo, Timotheo  
& Sila, diligentiam & studium pro plantando Euan-  
gelio. Tradebant eis custodire dogmata

*Id est, diligenter commendabant illis statuta & de-  
creta Apostolorum & seniorum, contra falsas iustifi-  
cationis causas, ex circumcisione & lege Mosi.*

*Custodire: quia natura alias facimus iustificationis  
causas, quam gratiam & fidem apprehendentē gratiā  
ad iusticiam. Dogmata: non priuata, aut que ex suo  
cerebro collegerant, unde sequitur.*

Quæ erant decreta ab Apostolis & se-  
nioribus, qui erant Hierosolymis

*Signanter hæc adijcit Lucas, ne putes Apostolos et  
seniores priuata dogmata obtrudisse ecclesijs, sicut  
hinc Papiستا colligunt, nescio quos apostolorum Ca-  
nones. Erant decreta: ex uerbo, sicut patet ex 15.  
capite. Ab Apostolis & senioribus qui erant Hiero-*



*Iolymsis* : intelligit dogmata Hierosolymis, contra falsas  
iustificationis causas decreta, de quibus supra cap. 15.  
Et ecclesie quidam confirmabantur fide,  
& crescebant numero quotidie.

Effectus ministerij uerbi per Paulum, Silam, & Ti-  
motheum expediti, confirmatio in fide, & augmentum  
ecclesie, qui effectus commendant nobis efficaciam mi-  
nisterij uerbi, quod efficax est per cooperationem spiri-  
tus sancti. Confirmabantur fide : scilicet iam creden-  
tes. Et crescebant numero quotidie : scilicet, qui non-  
dum credebant, credere incipiebant. Pulchre utitur  
hic uerbo crescendi Lucas, quia Christiani non uno fi-  
unt impetu, nec statim exurgunt, sed excrescunt & sen-  
sim ac sensim fiunt perfectiores.

Peragantes autem Phrygiam &  
Galatie regionem.

Omnia coherent, & est hoc caput fere perpetua  
narratio longe peregrinationis Apostolorum. Phrygia  
& Galatia minoris Asiae regiones sunt.

Vetiti sunt a spiritu sancto loqui  
uerbum Dei in Asia.

Quia Apostoli nondum uocati erant a Deo, ut in  
Asia Euangelium predicarent. Docemur ergo expectan-  
dam esse uocationem, & non esse currendum, antequam  
uoceris

uocaris, nec esse ingerendum se ad prædicandi officium, ante legitimam uocationem. Fortassis habuit spiritus sanctus & alias sue prohibitionis causas, quas quia uerbum non prodit, non sunt anxie à nobis inquirenda. Rectè spiritus sanctus prohibet Apostolos, ne prædicent in Asiam uerbū dei, quia spiritus sancti officium est dispicere hominibus de uerbo dei, & ut illud acceptent homines, dare. Deus ergo cur sepe differat Euangelium in has aut illas terræ partes mittere, habet suas causas: nouit enim oportunitatē temporum, quibus mittat. Verum & hic fit. Cogitat homo de uia sua, sed deus disponit gressus eius.

Vetiti sunt à spiritus sancto: intus moniti per spiritum sanctum. Loqui uerbum dei: quod dat deus, & cuius intellectu reuelat.

**Cum uenissent autem in Mysiam.**

*Mysia Asia regio.*

**Tentabant ire Bithyniam.**

Bithynia quoq; Asia regio est. Tentabant: homo cogitat de uia sua, &c. Commendatur potentia dei, qui cogitatus hominum impedire potest.

**Et non permisit eos spiritus.**

Ad significandum, ne currerent non uocati, & propter alias causas. Quia spiritus non permittit

Apostolos ire in Asiam, nondum uocatos, declaratur, quam ualde displiceat spiritui sancto, propria ingestio.

**Cum autem pertransissent  
Mysiam.**

Exemplum obedientie in Apostolis, qui prohibenti spiritui sancto obediunt, dum pertranseunt Mysiam in hoc, ut relinquunt Asiam.

**Descenderunt in Troaden.**

Quae quoque Asiae ciuitas est.

**Et uisio per noctem Paulo  
ostensa est.**

Vt Paulus & alij per eam uocarentur & certi redderentur de sua uocatione, quod deberent Asiaticis praedicare Euangelium. Nam sicut uerbum & signa docent & monent de uoluntate dei: ita & uisiones.

**Vir Macedo erat stans.**

Ostendunt haec & exprimunt, qualis uisio fuerit. Vir Macedo significat gentem Asiaticam, quae statim id est, serio optat & cupit Euangelium, quod ut accipiat, deprecatur Paulum, ut in Asiam transeat.

Summa est uisionis, hanc esse uoluntatem dei, ut Paulus & alij abeant in Asiam, & Asiaticis praedicent Euangelium. Stare: uertum hoc notat studium & sitim Asiaticorum pro Euangelio.

**Et de plo**

Et deprecans eum.

Et hæc deprecatio signum est studij & sitis Asiaticorum pro audiendo Euangelio. Item, ostendit hæc deprecatio, deum nolle saluare nolentem, sed deprecantem pro salute.

Transiens in Macedoniam.

Regione una posita pro tota Asia.

Adiuua nos.

Agnoscent Asiatici suam indignitatem & peccata sua, & sentiunt se egere gratia dei, ut saluentur.

Adiuua: tuo ministerio, per quod credunt Asiatici sibi iuuare posse.

Vt autem uisionem uidit, statim quesiuimus proficisci in Macedoniam

Obedientiæ exemplū obedire uisioni uocanti. Est autē hoc obedire effectus fidei, certō statuentis de uoluntate dei, quæ sit, ut abeant in Asiam, & prædicent Asiaticis Euangelium. Quæsiuimus: studij uerbum.

Certi facti.

Nota, qui sit proprius uisionum effectus, scilicet, certos facere homines de uoluntate dei: & hic uerbi & signorum quidam usus est. Cernis & hic uocationem debere esse certam, quæ cum certa est, possuimus in ea bona conscientia agere, aliàs minime.

Es s Quod



Quod uocasset nos dominus euangelizare eis.

Vides hic, quæ causa fuerit, quod paulò ante spiritus prohibuerit Apostolos abire in Asiam: quia nondum uocati erant ad id.

Nauigantes autem à Troade.

Narrationis series perpetua est ex circumstantiis locorum. In Samoethraciam.

Insula quæ est è regione Thraciæ.

Et sequenti die Neapolim.

Ciuitas Carie, quæ est Asiæ prouincia.

Et inde Philippos, quæ est primaria partis Macedoniæ ciuitas, colonia.

Discernit inter ciuitatem & ciuitatem, & ex urbe regionem colligit, ad quam missi sunt Apostoli ex uisione. Non seriatim sunt Apostoli in commisso officio, ut scias, uocationem strenue expediendam esse.

Item, quia sine periculo tantam peregrinationem contempserunt Apostoli, id signat eos foeliciter uersari in ministerio uerbi, qui legitime uocati sunt. Contrarium uerum est in illis, qui ingesserunt se, nec sunt legitime uocati. Coloniam uocat, quia ab aliunde adductis habitabatur.

Eramus

Eramus autem in hac urbe aliquot diebus consistens.

Fortassis in hoc, ut & ibi plantarent Euangelium sicut & sequetur. Vel ut fessa longa peregrinatione corpora repararent. Die autem sabbatorum.

Hoc die egrediuntur Apostoli & non alio, quia sabbatum propter audiendum & predicandum uerbum institutum erat, et adhuc seruari debent nostre ferie, propter eosdem fines. Egressi sumus iuxta flumen ubi solebat precatio fieri.

Pro more gentium, qui purgabant se ad flumina, & iuxta illa orabant. Solebant & offerre sacrificia circa flumina, nec solum circa flumina, sed etiam circa nemora, sicut passim testantur Poete. Egrediuntur iuxta flumen, non ut ibi more gentium idololatris seruiant, sed quia gentes ibi congregati erant. Predicatio haec in gentibus est opus de cultu dei ex natura, quae non solum docet cognoscere deum, sed etiam cognitum colere. Discis hic in quantum liceat se committere impijs, non ut illorum impietatis te participem facias, uerum ut eos ab impietate abducas, & lucreris deo.

Et sedentes loquebamur.

Et haec aperte indicant, cur Apostoli iuxta flumen ierint: nimirum in hoc, ut predicarent gentibus Euangelium

gelium. Sedentes: in signum placidæ & tranquillæ doctrine. Mulieres primum loquuntur, ut infirmioribus uasis, & qui maxime consolatione opus habent.

### Quæ conuenerant.

Iuxta flumen pro more gentium. Notatur in gentibus studiū quoddā pro pietate, quam docet natura. Et quædā mulier nomine Lydda purpuraria, ciuitatis Thyatorum.

Sequitur quid Apostoli sua prædicatione effecerint, non in uacuum prædicarunt uerbum dei, sed cooperante domino lucri fecerunt Euangelio Lyddam purpurariam & domum eius. Commendatur potentia uerbi prædicati, quod non redit uacuum. Item, commendatur ministerium uerbi, quod efficax est, non propter ministros uerbi, uerum quia dominus aperuit corda. Et quemadmodū Apostolus ait, i. ad Corinth. Ego plantaui, Apollos rigauit, sed deus dedit incrementum. Omnia hæc faciunt contra Anabaptistas, qui externum uerbi ministeriū, aut reiiciunt aut profus explodunt. In Lydda purpuraria exemplum conuersionis est ad regnum Christi, ad quod, qui uult uenire, illum oportet audire uerbum dei, & illud auscultare: interea uenit dominus & aperuit corda, ut seruiō & audiamus & amplectamur uerbum: postea opus

opus habemus baptismo, in quo remittuntur peccata, donatur iusticia & uita eterna: pro quibus rebus tandem grati sumus. Item, exemplum iustificationis est in hac Lydda purpuraria: sic enim peruenitur ad iustificationem: oportet audire uerbum dei, & ad hoc auscultare: interim deus aperit corda, ut serio audiamus uerbum, & hoc fide amplectamur: deinde oportet baptizari: in baptismo confertur remissio & iusticia: pro qua tandem decet nos gratos esse. Cernis itaq; in Lydda certos quosdam ad iustificationem gradus. Hæc Lydda proponitur in solatium muliebri sexui, ut & hic sciat, se ad Euangelij gratiam pertinere. Item, in genere proponitur in consolationem gentibus, ut sciant se etiam ad gratiam Euangelij pertinere. Item, proponitur negotiatoribus in solatium, ut sciant & se saluos fieri posse, & si negocientur. Et reuera non est status mundi, in quo non possunt homines salui fieri, modo exemplo Lyddæ audiant Euangelium, illi credant, & baptizentur.

Postremo, quia Lydda purpuraria fuit, sine dubio fuit & diues, unde & diuites discunt, etiam se posse introire in regnum dei; quanquam hoc iuxta Christi sententiam difficile sit, non tamen est impossibile, idq; exemplo Lyddæ & aliorum sanctorum.

Nomine



Nomine Lydda: nomē addit propter certitudinē hī-  
 storie. Purpuraria: uenditrix purpurarū. Status ui-  
 tæ & certam notat personā, & difficultatem conuer-  
 tendi in Lydda ostendit. Enthymema. Lydda purpur-  
 aria fuit Ergo Lydda difficulter conuersa est. Com-  
 mendaturā & statu uitæ potentia uerbi, quod potuit  
 purpurariā conuertere. Ciuitatis Thyatirorū: ad eas-  
 dem fines seruit et mentio patriæ, ut notet Lucas certā  
 personā, difficultatem in conuertenda Lydda declarat  
 tandē potentiā uerbi cōmendat, quod Lyddā ex Thy-  
 atirorū ciuitate mulierē cōuertere potuit. Ratio est po-  
 tentiæ, quia nō paruares est homines in opulentis &  
 magnis oppidis ubi plerumq; multū uoluptatis, diuitia-  
 rum & luxus, est conuertere ad contemptum Euan-  
 gelii, circa quod parum est mundani gaudij.

Locus pertinet ad genus demonstratiuum. Commē-  
 datur enim hic Lydda, à statu uitæ, à patriā, & à pie-  
 tate. Thyatiria Lyddiæ ciuitas, que est regio Asiæ mino-  
 ris. Colens deum. Ex lege natura habens  
 studium pro pietate. Natura enim non solum notitiā  
 dei quandam docet, sed & cultum: uerū ut notitia dei  
 ex natura imperfecta est: ita & cultus dei secundū na-  
 turam est imperfectus. Auscultabat seriō stu-  
 dio gestiebat audire uerbum dei, & audiebat etiam  
 Commendatur

Comendatur Lydda à serio studio audiendi uerbū dei.

Circa uerbum auscultabat, nota, quot sit aliquo modo in nostris uiribus audire uerbum dei, & ad illud auscultare. Cuius cor aperuit dominus intendere his.

Sed in nostris uiribus non est intendere uerbo, hoc est, illud corde intelligere & fide suscipere, id quod dominus dat, qui aperit corda nostra, & reddit apta ad uerè intelligendum uerbum, & suscipiendū illud fide.

Priore ad Corinth. 3. Deus dat incrementum.

Enthymema. Dominus cor Lyddæ aperuit, ut intenderet uerbo: Ergo donum est, intendere uerbo, hoc suscipere, intelligere. Intendere his, quæ dicebantur à Paulo, est uerbum Pauli cum fructu audire, corde intelligere, & fide suscipere. Quæ omnia Apostolus his uocibus complexus est: deus dat incrementum.

Porro quia deus aperit corda ad intelligendū uerbū uerè &c: ergo anteq̄ deus aperit nobis corda, uerbū dei nō uerè intelligimus. Et rectè quidē iuxta illud 1 ad Corinth. 2. Animalis homo, non percipit ea, quæ sunt spiritus dei. Quæ dicebantur à Paulo: periphraſis uerbi, quod loquebatur Paulus

Cum autem baptizata esset.

In signū sibi iam remissa esse peccata, & ut porro  
signum

signum haberet gratiæ & fauoris Dei erga se: itent  
 nota, quæ se in posterum erigeret ad fidem, & in  
 fide conseruaret. Nam hic signorum usus est, unde &  
 Apostolus ad Rom. 4. circumcisionem uocauit signa-  
 culum iustitiæ fidei. Lydda non est contenta, quod  
 uerbum audierit, sed & baptizari uoluit, id quod scire  
 utile est contra eos, qui dicunt sacramenta superuacua  
 nea esse, nec nos illorum opus habere, sed debere uerbo  
 contentos esse. Item, potest exemplum Lydde produ-  
 ci contra Anabaptistas, qui neminem baptizari contem-  
 dunt, nisi qui fidem habeat: de aperta enim fide ipsius  
 Lydde hic nihil legitur. Et domus eius.

In qua et liberos fuisse uerisimile est, id quod quoq; fa-  
 cit contra Anabaptistas. Deprecata est.

Sequitur gratitudo fidei opus, quæ non potest ingra-  
 ta esse, nec otiosa, quin bonis operibus declaret suam  
 fidem & acceptam iusticiam, cuius finis est bene opera-  
 ri. Exemplum charitatis et hospitalitatis est in Lydda,  
 quæ cupit Apostolis benefacere et eos hospitio suscipere.  
 Deprecata est: exaggeratio charitatis in Lydda.

Si iudicatis me fidelẽ domino esse.

Extenuatio personæ in Lydda quæ fidei opus est,  
 nihil magni de se prædicantis, uerũ humiliantis se, non  
 solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Humili-  
 atio uerò

IN ACTA APOSTOLORVM. Et 7

alio uerò coram Deo causa est humiliationis coram proximo. Si iudicatis me fidelem domino esse: id est, credidisse Euāgelio, et saluā factā esse ex gratia. Nihil in se cognoscit Lydda. Introite in domū meā

Petitio, ut Apostoli sinant sibi bene fieri à Lydda.

Et manete. Ut uobis benefaciam.

Et coëgit eos. Serijs petitionibus compulit.

Hoc cogere unum est de officijs ueræ charitatis & uehementis. Factum est autem.

Connectendi particule Lucæ familiares.

Nouus euentus, qui euntibus Apostolis ad orationē accidit, cuius summa est generalis, quia Euangelium nō est doctrina de pane lucrando, igitur mundus odit eam & persequitur. Simile planè exemplum est in Gadarenis, Matthæi. 8. qui propter sui lucri & questus diminutionem negligunt Euangelium, & rogant Christum, ut è sinibus ipsorum discedat.

Pulchro autem ordine doctrinam Apostolorū sequitur miraculum, quò confirmant apostoli doctrinam suā (nam hic unus miraculorum usus est) deinde ut illo inuident homines ad credendum Euangelio.

Commendat & sequens euentus mirificè potentiā uerbi, per quod Apostoli ualent pellere spiritum.

Euatibus nobis ad orationem.



Secedentibus ad priuatum locum orandi gratia. Mone-  
rent Apostoli suo exemplo, ne oramus ad ostensionem.

Ad orationem: oraturi pro felici Euangelij suc-  
cessu, pro incremento ecclesie, ut sanctificaretur nomen  
dei, ut adueniret regnum dei, et huiusmodi alia orarunt  
Et reuera illa omnia oportet oratione impetrare.

Ut puella quaedam habens spiritum  
Pythonem obuiaret nobis.

Hec puella illorum typus est, qui diaboli tyrannide  
& peccatis obsessi sunt, à qua obsessione, gratuito libera-  
rantur per Euangelium. Proponitur & in hac puella  
nobis uiua quaedam forma iustificationis à peccatis &  
tyrannide diaboli, quæ in hoc consistit, ut gratuito iusti-  
ficemur per nomen domini nostri Iesu Christi.

Liberatio puellæ à Satana, adumbrat nobis iustifica-  
tionem à peccatis. Habens spiritum Pythonem: id  
est, obsessa erat spiritu Pythonico, qui in puella diuinan-  
bat. Contra spiritum Pythonis præcipit Moses Leuit.  
20. Deute. 18. Primo Regum 28. Esa. 8.

Intelligo autem per Pythonem, spiritum uaticum,  
ueridicum, & diuinantem, ab Apolline Pythio sic dictum  
in cuius templo multa ac frequentia prodebantur ora-  
cula, sicut passim meminerunt Poëtæ. Sed uide commen-  
taria D. Bullingeri in hoc caput.

Spiritus

Spiritum Pythonem : id est, Pythonicum per ἀυτομαθεῖαν, qui ad modū ueridicorum in templo Apollinis Pythonis, reddebat oracula.

Vatidica ergo quid sit ex hoc loco discite. Est impostura demonum, ut paucis dicam.

Quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando.

Hæc exaggerant potentiam spiritus in puella, quæ exaggeratur, ut postea clarius innotescat potentia uerbi, quæ potuit tam potentem spiritum pellere. Et sanè oportet non leuis sit potentia illius spiritus, qui uera & falsa dicere potest, antecedentia & futura, aduersa & prospera. Itē, hæc de quæstu præmittuntur propter sequentia, ut deinde scias, ob quam causam domini puellæ Paulum & Silam comprehenderint, produxerint in forum ad magistratus, & curarint eos uirgis cædi.

Enthymema. Domini puellæ magnum quæstum faciebant ex spiritu : Ergo domini egrè tulerunt spiritum eijs à puella. Dominis suis : qui illam apud se sustentabant. Hi domini eorum typum gerunt, qui ex imposturis Satane quæstum faciunt, & quem cū uident ad Euangelium minui, irascuntur & persequuntur illud extreme. Diuinando : uera & falsa : prospera & aduersa : antecedentia & futura.

Nota magnam Satanae potentiam, quam habet deo  
permittente.

Hæc subsecuta Paulum & nos,  
Disponente & ordinante deo. Nam nihil hic temerè  
fieri credendum est. Clamabat,

Impellente ad clamorem Satana.

Isti homines serui dei excelsi sunt,  
qui annunciant uobis  
uiam salutis.

Ecce Satanam habere cognitionem dei & notitiam  
uiæ salutis: qualis autem illa cognitio dei est unà cum  
notitia uiæ salutis, satis monui in 5. cap. Marci, & in 8.  
Lucæ, quæ huc transferri possunt.

Cognitio dei quam habet Satan, unà cum notitia uiæ  
salutis, talis est, qua tamen Satan non saluatur, quia nō  
cognoscit deum sibi esse deum & auxiliatorem, neq; co-  
gnoscit uiam salutis sibi esse salutis uiam.

Verè autem noscunt deum, qui sibi deum esse deum  
noscunt: uerè noscunt uiam salutis, qui noscunt uiam sa-  
lutis sibi esse uiam salutis.

Cognitio Satanae magna est in speciem, sed tamen est  
historialis tantum, nec est salutaris.

Est & hæc notitia magna in Satana noscere salutis  
uiam, uerum historialis tantum est, nec salutaris.

Sic & diaboli credunt & contremiscunt, Iacobi 2.  
 Est sine salutis fructu. Ab hoc clamore non inferior  
 est ille, Marci 3. Quid mihi tecum rei est Christe, fili dei  
 altissimi?

Hoc autem faciebat multis diebus.

In Marco dixi hos clamores & similes esse uerba  
 Satanae sentientis potentiam Christi, qui iuxta suum offi-  
 cium conterit Satanae caput & angustiatur eum. Hoc  
 autem faciebat multis diebus: in signum Satanam senti-  
 re uehementer potentiam Christi angustiantis.

Dolens autem Paulus, & con-  
 uersus spiritui dixit.

Exemplum charitatis in Paulo, qui ad infortunium  
 proximi dolet, & tristatur cum tristantibus.

Conuersus spiritui dixit: & conuerti & dicere spi-  
 ritui, fidei effectus sunt, quae certo sibi persuadet de eie-  
 ctione spiritus, & restitutione puellae.

Præcipio tibi in nomine Iesu  
 Christi exire ab ea.

Nihil tribuit Paulus suis uiribus, in eijciendo spiri-  
 tu, ut scias eiectionem spirituum malorum, non esse no-  
 strarum uirium opus, sed potentiae Christi seu uerbi. Mat-  
 thei 8. de persona Christi. Et eiecit spiritus uerbo. In  
 nomine Iesu Christi: periphrasis uerbi.



Et exijt eadem hora.

Speſta potentiam uerbi, ad quam ſtatim exit ſpiritus. Exitus ſpiritus effectus eſt non uirium Pauli, ſed uerbi ſeu nominis Chriſti, in cuius uirtute eiecit Paulus ſpiritum. Eadem hora: circumſtantia temporis exaggerat uerbi ſeu nominis Ieſu Chriſti potentiam.

Enthymema. Ad uerbum eadem hora exiuit ſpiritus: Ergo uerbi magna eſt potentia.

Videntes autem domini eius, quod perijt ſpes quaerſtus eorum.

Ecce praecipuam cauſam, propter quam mundus incipit odiſſe & perſequi Euangelium: ea eſt interitus priuati quaerſtus, & quia mundus uidet Euangelium non eſſe doctrinam de pane lucrando, aut pro coquina.

Ex priuato quaerſtu ut una cauſa, ueniunt intelligenda & aliae ſimiles propemodum, priuata dignitas, aſtimatio, gloria, potentia, &c.

Enthymema. Impij uident ad Euangelium minui ſibi priuatum quaerſtum, dignitatem priuatam, aſtimationem, gloriam, potentiam, &c: Ergo impij incipiunt odiſſe & perſequi Euangelium. Domini hi eorum typum gerunt, qui ex interitu priuati quaerſtus dignitatis priuae, &c. qui accidit ad praedicationem Euangelij, incipiunt hoc odiſſe & perſequi.

Quod

Quod perijt spes questus eorum: ecce causam ob quam odio habetur à mundo Euangelium & patitur persecutionem. Spes questus: ex spe questus simul intellige & omnia reliqua priuata commoda, que mouent odium erga Euangelium.

### Apprehendentes Paulum & Silam.

Effectus hic est interitus priuati questus & priuatorum comodorum omnium ad prædicationem Euangelij. Nota crucem ut effectum interitus priuati questus ad prædicationem Euangelij. Paulus & Silas typum gerant omnium piorum, qui propter Euangelium & eius opera crucem patiuntur.

### Perdixerunt in forum ad magistratus

Impij non cessant à persecutione piorum, donec uideant illorum sanguinem. Ad magistratus: impietas nunquam caret hypocrisis, hæc autem timore nunquam: igitur confugiunt hi domini ad magistratus.

### Et offerentes eos magistratibus dixerunt.

Sequitur accusatio mendax, ut scilicet impios contra Euangelium & pios non ex ueritate agere, neque ex aperto, sed ex mendacij & dolo.

In hac accusatione domini eorum typum gerunt, qui mendacijs agunt contra ueritatem & eius professores, ut perdantur, et ut facilius ad perdendum alios commoueant, & ne mentientes reperiantur, prætexunt religionem, publicam honestatem, & pacem, & similia.

Hi homines, Per contemptum  
Conturbant ciuitatem nostram.

Prætextus quo accusatores prætexunt sua mendaciam, ut facilius commoueant magistratum ad persequendum Euangelium & huius professores. Prætextus ille effectus hypocriseos est, quæ non potest abesse, ubi præsto adest impietas. Conturbant: falsa religione, euersione publicæ honestatis & pacis &c.

Fortissima autem sunt commouendi argumenta hæc contra Euangelium & pios, quæ à religionis, publicæ honestatis & pacis euersione petuntur. Vide quid non faciat priuatus quæstus, qui efficit, ut apprehendantur Apostoli, producantur in forum ad magistratus, offerantur magistratibus, accusentur mendacijs, proscindantur tanquam euersores religionis, publicæ honestatis & pacis. An non similia quæso hodie ex priuato impiorum quæstu nobis erunt expectanda?

Cum sint Iudæi. Accusatores nituntur suffragatos reddere Apostolos, & illis reconciliare odium ex populo

populo, qui tum gentibus exosus erat. Omnia uerò eò tendunt, ut ab exoso populo facilius commoueant magistratum & plebem ad perdendum Apostolos.

Cum sint Iudæi: quorum & religio & uitæ mores & leges, ad nos non pertinent; imò quorum & religio, uitæ mores, & leges pertinent ad euerfionem nostræ religionis, publicæ honestatis, & pacis nostræ, & legum nostrarum. Iudæi: magna inest huic uoci emphasis.

Et annunciant morem quem non licet nobis suscipere.

Et his laborant accusatores suspectos reddere Apostolos, & facilius commouere magistratum & plebem contra eos. Enthymemata. Hi homines conturbant nostram ciuitatem: Ergo hi homines merito nobis suspecti esse debent. Item.

Hi homines conturbant nostram ciuitatem:

Ergo contra hos homines de iure sumetis arma, & opprimetis eos. Item.

Hi Iudæi sunt: Ergo hi nobis suspecti esse debent, & contra hos agere debetis. Item.

Hi annunciant morem, quem non licet nobis suscipere: Ergo hi nobis suspecti esse debent, & hos merito damnare debetis.

Annunciant morem: talem doctrinam, religionem



leges &c. Nam hæc & similia per uocem morem intelligunt. Cum simus Romani.

Aetiologia cur non liceat Iudeorum morem suscipere neq; facere: sumpta à diuersitate populi seu ab indecoro. Enthymema Nos Romani sumus:

Ergo nobis non licet morem Iudeorum suscipere neq; facere. Sunt qui illicitum producunt ex edicto Claudij, quo eiecit Iudeos ex urbe sicut infra. 18 audiemus: item, ex edicto de non in iucendis nouis dijs et religione noua, sed placet illicitum colligere ex diuersitate populi & ex indecoro, quod committerent gentes, si relicta patria, religione, & legibus, peregrini populi religionem & leges susciperent.

Et cucurrit plebs aduersus eos.

Mota grauissimis causis. ut turbatione patriæ, euerfione religionis, patriæ, publicæ honestatis & pacis interitu, proscriptione legum patriæ, et odio populi Iudæi. Non imperiti, neq; imprudentes coram mundo homines fuerunt accusatores, qui sciuerunt plausibiles causas commouendi & magistratum & plebem contra Apostolos. Ignorantiæ & temeritatis est in magistratu & plebe, imò tyrannidis non audire utramq; partem, sed accusatam simpliciter damnare, non audita purgatione, neq; cognita causa. Verum hæc fortuna

Euangelij

Euangelij est, ut damnetur ante cognitionem, & eadem est piorum fortuna, confitentium Euangelium. Magistratus cum plebe illorum typum gerit, qui damnant Euangelium & huius professores, sine omni cognitione.

Notabis quoq; hic, in perdendo Euangelio & pijs, summam esse iusticiam, quod alioqui in ciuilibus causis coram mundo est summa iniusticia.

Scissis tunicis suis.

Spesta hypocrisin in impijs. Scissis tunicis suis insignum se de tantis rebus ualde dolere.

Iusserunt eos uirgis caedi.

Pro more gentium.

Et cum multas plagas eis inflixissent.

Exaggeratio crucis Apostoloru, et tyrannidis in impijs

Miserunt eos in carcerem

Impietatis comes est hypocrisis una cum tyrannide  
Hypocriseos uero & tyrannidis comes est timor: quare mittunt Apostolos in carcerem, timentes ne aufugiant.

Præcipientes custodi, ut diligenter custodiret eos.

Exaggeratio timoris in impijs.

Qui cum tale præceptum accepisset misit eos in interiorem carcerem.

Custos

Custos illorum imago est, qui magistratui impia præcipienti cōtra priorem tabulam obediunt, et postponunt priorem tabulam posteriori: id est, obedientiam erga deum, obedientiæ erga proximum. In interiorem carcerem: ecce timorem impiorum.

Et pedes eorum strinxit ligno.

Pertinent hæc ad exaggerationem timoris in impijs.

Media autem nocte.

Cohærentia historiæ ex circumstantia temporis. Timorem & curam impiorum audiuius, ne aufugiant pijs: porrò audimus, quàm res nihil sunt impiorum timor & cura: item, audiuius potentiam impiorum in pios: porrò audiemus potentiam dei in liberandis pijs: item, audiuius de cruce piorum: porrò audiemus de piorum liberatione. Triste fuit Apostolos apprehendi, produci ante magistratum, accusari, cædi uirgis, & incarcerari: at consolatorium est nunc uicissim audire liberari Apostolos. Verum hic fit euangelicum dictū. Crucem sequitur gloria. Vfus est liberationis Apostolorum pro nobis, ne impatienter crucem feramus, neq; in cruce de præsidio dei desperemus.

Paulus & Silas adorantes laudabant deum.

Duo hic discas in Apostolis: alterum, ad quæ arma fugien

fugiendum sit Christiano in cruce: alterum, quæ sit forma rectè ferendi crucem. Arma sunt oratio, quæ & petunt pro liberatione & gratias agunt deo, qui dignatus est Apostolos aliquid pati propter Euangelium. Forma rectè ferendi crucem hæc est, ut in cruce non abicias animum, non tristeris, non irascaris deo, non desperes de præsidio dei, non sis impatiens, uerum gaudeas, & laudes deum, qui dignatus est te in crucem propter nominis sui gloriam incidere. Vnde Apostolus ait, ad Ro. 5. Nec id solum: uerum etiam gloriamur super afflictionibus, scientes, &c. Ad Col. 1. Ad omnem tolerantiam ac patientiam cum gaudio, &c.

Et reliqui uincti audiebant eos.

Spectant hæc ad exaggerationem adorationis cum laudatione dei, quem aperto ore adorantes laudarunt, in signum concepti gaudij in cruce.

Subito uerò terræ motus factus est magnus.

In signum deum esse potentem liberare Apostolos, etiam ex interioribus carceribus, & ab omni cruce.

Hoc terræ motu uoluit ostendere deus, se potentē esse liberare Apostolos & omnes alios pios e cruce: deinde uoluit deus hoc terræ motu ostendere orationē Apostolorum se exaudiuisse: tertio, illo consolari Apostolos uoluit



luit: tandem uoluit deus hunc terræ motum occasione  
esse, e qua custos carceris conuerti debuit. Miraculorū  
ergo quendam usum hic specta. Magnus: exaggeratio  
terræ motus, ut simul exaggeretur potentia Dei, qua po-  
tens est liberare suos.

Ita ut mouerentur fundamenta  
carceris.

Et hæc pertinent ad exaggerationē terræ motus, prop-  
ter eundem finem, ut commendetur potentia Dei.

Et statim aperta sunt omnia ista.

Effectus terræ motus, ut operis potentiæ dei, apertio  
ostiorū & solutio uinculorū. Vsus est horū effectū, ut  
inde commendetur nobis potentia Dei in liberandis suis  
coram qua nulla humana potentia subsistere potest.

Expergefactus autem custos carceris.

Vides quanta crux sit impijs, liberari pios, & quam  
magnum periculum immineat eis, qui in causa sunt, ut  
liberentur pij. Euaginato gladio uolebat  
se interficere.

Quia sibi nota iam erat tyrannis magistratus.

Existimans fugisse uinctos.

Causa hæc est, cur custos carceris uoluerit se interficere

Clamauit autem Paulus uoce magna,  
dicens.

Exempo

Exemplum ueræ charitatis in Paulo, qui etiam inimicum suum diligit. Pertinet autem diligere inimicos, ad ueram diligendi formam, quæ non à mundo discenda est, sed à Deo patre, qui finit solem suum oriri super bonos & malos, qui diligit amicos & inimicos suos, Matthæi. 5. & Lucæ. 6. Estote misericordes, sicut pater uester misericors est &c Est autem hæc forma nõ nostrarum uirium opus, qui natura oio habemus inimicos nostros, sed singulare donum Dei. ad Gal. 5. Fructus autem spiritus sunt, charitas, pax &c.

Nihil mali tibi ipsi feceris.

Disuasio à nece.

Vniuersi enim hic sumus.

Aetiologia dissuasione à nece: sumpta à nulla nostra occasione.

Petitoque lumine ingressus est.

In hoc ut certò experiretur ueritatem.

Et tremefactus.

Queri hic potest, unde custos carceris motus fuerit & ex quibus causis ad interrogandum de salutis uia. Respondetur. Intus æterna uocatione motus fuit. Foris ex facto miraculo. Est enim hic quidam miraculorum usus, inuitare homines ad fidem, & esse illis ad credendum Euangelio occasionem Ioannis. 2.

Multi crediderunt in nomen eius uidentes signa eius  
 que eadebat. Ibidem ad factum miraculum in nuptijs se  
 quitur. Hoc edidit initium signorum iesus in Cana Ga  
 lilee, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in  
 eum discipuli eius. Commendatur hic uocatio inter  
 na, que tantum occasio est ad uocationem, que fit per  
 audibile & uocale uerbum.

Tremefactus: hæc uox contritionem circumloquitur  
 alteram pœnitentiæ partem.

Procidit Paulo & Silæ ante  
 pedes.

Hæ uoces alteram pœnitentiæ partem designant ip  
 sam fidem, qua custos se rursus erigit fide ad gratiam  
 è tremore. Procidere ad pedes Apostolorum gessus &  
 opus fidei est, que efficit, ut in nobis nihil agnoscamus

Et producens eos foras.

Fides statim declarat se bonis operibus, nec est in  
 grata. At queris, unde custos fidẽ habere potuerit sine  
 audibili uerbo? Respondetur. Et spiritus sanctus fidem  
 sine audibili uerbo dare potest, quando uult, sed hoc ra  
 rius facit, quia constituit uocale & audibile uerbum, ut  
 commune & generale medium fidei, ad Rom. 10. Fide  
 ex auditu est: auditus uerò per uerbum Dei.

Ait. Ecce quàm errent Anabaptistæ, qui uocale  
 &

Et audibile uerbum ut causam fidei cōtemnunt, et sola interna uocatione contenti esse uolunt, tanquā sola fidei causa. Vide Augustinum contra contemptores uocalis et audibilis uerbi, in prologo librorum de doctrina Christiana. **Domini.**

Captat beneuolentiā à dignitate personarum. Nota quā amicè nouit se insinuare fides.

Quid oportet me facere, ut saluus fiā?

Quæstio de uia seu causis salutis.

At illi dixerunt: Crede in dominum Iesum:

Habes in hoc responso ueram uiam et causas ueras salutis ueræ. Hæc uia ad iusticiam seu salutem perpetuo uera est, et immutabilis, in hac qui non ambulat nō potest ad salutem pertingere, et fur ac latro est, iuxta parabolam, Ioannis. 10. Similis uel eadem ipsa uia passim extat in scriptura, Ioannis. 10. et 15. Matthæi 3. et 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacitum est, Hunc audite. Priore Corinthios. 1. Ipse est sapientia nostra, iusticia et c. Actorum. 4. Hic est lapis, qui reprobatus est et c. et non est per aliquem alium saluus. Via itaq; salutis hæc est, credere in dominum Iesum ad remissionem peccatorum. Apertissimus locus solam fidem in Iesum dominum iustificare. ad Rom. 3. Arbitra-

H h      mur



mur hominem iustificari fide sine operibus legis.

Credere in dominum Iesum, est certa fide statuere nobis per Christum remitti peccata gratuito.

Et saluus eris tu & domus tua.

Fidem ut causam sequitur iusticia effectus. Et domus tua: scilicet si similiter crediderit. Oportet enim quenquam pro se habere propriam fidem. Abacuc 1. <sup>14</sup> Iustus sua fide uiuit.

Et locuti sunt ei uerbum domini.

Porro instituerunt de uoluntate dei & preceptis.

Verbum domini: non sua somnia.

Et omnibus, qui erant in domo eius.

Quia Euangelium est doctrina uniuersalis.

Et abducens eos in illa hora noctis,

lauit plagas eorum.

Fides non potest esse otiosa, quin se bonis operibus declaret: & non possunt non sequi iusticiam gratuito acceptam bona opera, quia iustificationis finis est bene operari, ad Rom. 8. cuius capitis summa est. Iustificati debent opera bona facere. In illa hora: circumstantia temporis exprimit festinantiam fidei & iusticie in bene operando: item, commendat fidei & iusticie efficaciam. Lauare plagas misericordie in proximum opus est.

Et baptizatus est ipse.

Vt certo signo reciperetur in regnum dei, ut haberet certum signum fauoris & gratiae dei erga se, ut haberet certum signum per totam suam uitam, per quod admoneretur de fauore dei erga se, per quod erigeretur fides eius in tentatione, &c.

In hunc enim sensum definit Apostolus signa, ad Ro. 4. ubi uocat ea signacula iusticiae fidei.

Porro quanquam custos carceris tam sciret uiam salutis, & audiuisset uerbum domini ex ore Apostolorum, tamen non detrectat baptismum, id quod dico contra contemptores signorum, qui dicunt ea superuacanea esse. Et omnis domus eius.

In qua sine dubio & infantes fuerunt, qui baptizati sunt. Et Augustinus dicit baptismum paruulorum esse institutum Apostolorum. Continuo. Circumstantia temporis monet signa non esse producenda.

Cumq; perduxisset eos in domum suam.

Pergit fides bonis operibus se declarare, & de accepta gratuita iusticia testari. Perducere in domum suam opus charitatis & hospitalitatis est.

Pertinent haec custodis carceris bona opera, ad gratiarum actiones, quibus studet deo gratias agere pro accepta iusticia.

Apposuit eis mensam.

Aliud charitatis & hospitalitatis opus. Mensam :  
& res ad mensam pertinentes.

Et lætatus est cum omni domo  
sua, credens deo.

Letari non tam mensæ aut uictus effectus est, quàm  
fidei, de qua sequitur, credens deo. De quo fidei effectus  
sic loquitur Apostolus, ad Rom. 5. Iustificati igitur fide  
de, pacem habemus per dominum nostrum Iesum Chris-  
tum. Læticia, pax, gaudium & similes effectus non  
possunt adesse in conscientijs ante fidem & iusticiam  
gratuitam. Et cum dies factus esset,

Coherentia historie est ex circumstantia temporis.

Miserunt magistratus licto-  
res dicentes,

Fortassis uicti in conscientijs, se iniuriam fecisse Apo-  
stolis: uel quia audiuerunt Apostolos Romanos esse  
& sic ex timore moti, miserunt lictores, ut dimitterentur:  
uel possunt aliæ esse causæ, quibus impulsæ fuerunt  
magistratus ad dimittendum Apostolos.

Dimitte homines illos.

Per contemptum.

Nunciauit autem custos car-  
ceris uerba hæc Paulo.

Hoc responso nihil gratius potuit contingere custodi carceris, quare festinat illud Paulo indicare.

Nunc igitur exeuntes, ite cum pace.

Votum ut in omnibus bene succedant Apostolis omnia. Paulus autem dixit eis.

In speciem apparent hæc, quod Paulus priuatã uindictam illis quærat: quod si uerum est, in Paulo exemplum est humane infirmitatis, cui etiam sancti obnoxii esse possunt, sicut patet supra cap. 25. in concertatione Pauli & Barnabæ. Alias habuit Paulus has sui insti tuti causas: quia si permitteret occultum manere, quod essent cæsi uirgis, posset id facere ad contemptum doctrinæ, & offendiculum fratrum, qui sic argumentari potuissent. Apostoli uirgis cæsi fuerunt: Ergo Apostoli meruerunt. Item. Apostoli uirgis cæsi fuerunt: Ergo Apostolorum doctrina falsa est.

Et reuera sic plerumq; omnes argumentari solemus qua res ipsas iudicamus ex euentu.

Docemur exemplo Pauli, primum ut publicè testatam faciamus nostram innocentiam: deinde ne celemus homines nostros persecutiones: tertio, ne ad iniurias nobis factas semper taceamus, maxime ubi ex nostris iniurijs



rijs uidetur doctrina periculum pati, & fratres offendi  
possunt, ut aut de nostra doctrina, aut de personis no-  
stris, aut de innocentia nostra addubitare possint.

Item, monemur hic circa exemplum Pauli, ne ius no-  
strum negligamus, sed etiã id ciuilitate defendamus uer-  
bis, quantum possumus. Facebant illi, qui Christianos  
nos sentiunt eos tantum esse, qui ius suum, coram mun-  
do quod habent, postponunt, ubi etiam sine incommodo  
illud retinere possint.

Rectius sensit Apostolus, qui 1. ad Corinthios cap. 5.  
non uult Christianos e mundo egredi, sed non cõmisceri  
mundo, id est, se non participem facere impietatis &  
aliorum uitiorum mundi.

Ius quod Paulus ante se habet, est non licere indicta  
causa ciuem Romanum cedere uirgis. Ius pendet à lege  
quam Romæ sanxit P. Valerius Publicola ne ciuis Ro-  
manus cederetur uirgis.

Ius de indicta causa, in iure benè fundatum est, ne  
quis damnetur ante cognitionem causæ, & ut in iudicio  
audiatur utraq; pars.

Enthymemata Paulus utitur ciuili iure :

Ergo & Christiani reliqui ciuili iure uti possunt &  
debent.

Item,

Paulus utitur ciuili iure :

Ergo

Ergo & ciuili magistratu uti licet: item defensione  
& tutela magistratus. Cæso: nos publice.

Exaggeratio factæ iniuriæ. Indicta causa.

Et hæc exaggerant iniuriam.

Indicta causa: nondum cognita.

Cum Romani simus.

Exaggerant & hæc iniuriam.

Cum Romani simus: quos uirgis cedere non licet,  
iuxta legem P. Publicolæ.

OBIECTIO: Fuit ne Paulus ciuis Roma-  
nus?

RESPONSIO.

Tarsensis fuit, credendum autem est, Tarsum fuisse  
coloniam Romanorum, quam donauerant suo iure Ro-  
mani, sicut facere consueuerant.

Coniecerunt in carcerem.

Sicut omnia spectant ad exaggerationem iniuriæ,  
sic & hæc.

Nunc clam liceat nos urbe pellere?

Omniū maxima iniuria nos adficere, quæ etiam  
ad contemptum doctrinæ & offendiculum fratrum pa-  
tere potest?

Nequaquam.

Censet Paulus suum ius tuendum esse.

Sed uenient ipsi.

In hoc, ut testentur nobis fecisse iniuriã, et nos præter

840 ERASMI SAR CERII SCHOL.  
meritum iniuria adfectos esse, quò sic inde doctrina no  
stra melius habeat: & ex offendiculo, si quod conceper  
ant fratres ex nostris uinculis, exurgant: item, prop  
ter alias causas iustas & honestas.

**Nunciauerunt autem magistratibus  
lictores uerba hæc.**

Hæc angustiatio magistratus referenda est ad pœ  
nã tyrannidis. Et docet, tyrannorum exitus tristes esse,  
& plenos angustijs, in hac terra, ad significandum æ  
ternas angustias atq; pœnas, post hanc uitam.

**Timuerunt cum audissent, quod Ro  
mani essent.**

Timor effectus est nuncij, quod attulerunt lictores.  
Timor hic circumloquitur malas conscientias & cruci  
atus in conscientijs, quibus adficiuntur tyranni, qui indi  
cta causa damnant innocentes. Quod Romani essent: et  
ideo non damnandi indicta causa, neq; uirgis cædendi.

**Et uenientes deprecati sunt eos.**

Hæc deprecatio effectus est timoris, quæ conceperunt  
magistratus. An non hæc omnia grauissima tyrannidis  
pœna est, magistratum precari suæ tyrannidis ueniam  
& se accusare, quod iniuria adfecerint innocentes?

**Et educentes rogabant, ut egrederen  
tur ex urbe.**

Sed hæc magna cœcitas & pertinacia est in magi-  
stratu, qui cum uictus est innocentia piorum, nec tamen  
uult ferre innocentes. Rogabant: è digna pœna tyran-  
norum, qui rogare coguntur innocentes, quos prius pro  
imperio & animi libidine malè tractarunt.

Exeuntes autem è carcere introierunt  
ad Lydiam.

Ut prius uiderent fratres, & consolarentur eos, sic  
ut sequetur.

Et uisis fratribus consolati sunt eos.

Introtus cause finales hæc sunt, ut uideant fratres,  
et consolentur eos, ut infirmos adhuc in fide, et qui sine  
dubio cruce Apostolorum aliquantulum offensi fuerat.

Et profecti sunt.

Quia nolentibus audire non est predicandum E-  
uangelium.

CAPVT XVII.

**H**istoria perpetua serie & coherencia coheret.  
Versamur enim adhuc in historica narratione  
peregrinationis Pauli & Silæ in Asiam.

Cum autem perambulassent Amphi-  
bolim & Apolloniam.

Asiæ urbs, quas ut paruas perambulant, sine dubio  
sub illa spe, quia putant Euangelium facile peruenturum

Hh s ad



ad eas, si prius magna urbes illud habuerint. Vel habuerunt A; ostoli & alias suae transgressionis causas Praeterea fieri potest, quod Lucas propter breuitatem, quam amat ferre ubiq; in hoc libro, noluit ea narrare, quae Apostoli egerint in Amphiboli & Apollonia.

Venerunt Thessalonicam.

Quae est Macedoniae metropolis.

Vbi erat synagoga Iudaeorum.

A loco ostendit Lucas oportunitatem, quae obtigit Paulo praedicandi Euangelium Thessalonicae. Enthymema

Thessalonicae fuit synagoga Iudaeorum: Ergo ibi Paulus opportunum locum habuit inchoandi suam praedicationem.

Secundum consuetudinem autem Paulus introiit ad eos.

Quam habuit Paulus, qui non in angulo, sed in aperto loco praedicare uoluit, ut ostenderet se habere certam ac ueram doctrinam, non abhorrentem lucem.

Et per sabbata tria disserabat cum eis de scripturis.

Quid in Synagoga egerit Paulus, nunc sequitur: mirum id egit in synagoga, quod decet in illis agere, hoc est, disserere de scripturis. Vsum ergo templorum & sacrarum aedium hic spectat, qui est in illis disserere de scripturis

scripturis, non de humanis traditionibus. Et per sabbata tria: circumstantia temporis commendat diligentiam Pauli in erudiendis ignorantibus. Disserebat cum eis de scripturis: id est, uerum scripturae usum docebat eos uerum scripturae usum interpretabatur &c. qui est testari de Christo Messia & saluatore.

### Aperiens & proponens.

Notatur in Apostolo fiducia confitendi uerbum, et totus hic locus est referendus ad confessionem uerbi, quae est fidei opus quae cognita tacere non potest: iuxta illud Dauidis. Credidi, propter quod locutus sum.

Verisimile est Paulum instituisse collationem utriusque testamenti, & ex scriptis prophetarum sibi struxisse uiam ad praedicationem de Christo, sicut & supra aliquoties eundem ordinem audiimus. Et recte sane à ueteri testamento ordiuntur, qui coram Iudeis praedicare uolunt Euangelium de Christo, qui in oculis Iudeorum contempta ac uilis persona est.

### Quod Christum oportuit pati & resurgere à mortuis.

Summa concionis Pauli est, Christum secundum scripturam passum esse, & secundum scripturam resurrexisse à mortuis. Et reuera magnus est, huius concionis usus, in quo totus christianismus consistit.

consistit. Qui enim credit pro se Christum passum esse  
 & sua causa resurrexisse à mortuis, ille salutem conse-  
 quitur. Quicquid ergo habet tota sacra scriptura  
 de Christo, id paucis uerbis hic complexus est Paulus.

Quid ergo est scriptura sacra? Respondetur ex  
 hoc loco. Scriptura sacra est, quæ testatur Christum  
 pati oportuisse, & resurgere à mortuis.

Item, habes hic eandem uiam salutis propositam, de  
 qua audiuimus in præcedenti capite, & quam custos  
 carceris ex Apostolis percepit. Crede in dominum  
 Iesum & saluus eris tu & domus tua.

Sic hic Paulus uult dicere: Credite Christum oportu-  
 ius pro uobis pati, & resurgere à mortuis, & eritis  
 omnes salui.

Oportuit: ut satisfaceret prophetarum uaticinijs:  
 deinde ut genus humanum seruarietur.

Oportuit: Christus: non temerè passus est.

Et resurgere: nec resurrectio Christi temerè con-  
 tigit. Porro quia hic mentio fit passionis & resurre-  
 ctionis Christi, igitur sciendum est, hunc esse uerum  
 usum meditandi passionem & resurrectionem Christi:  
 nimirum ut mediteris te & peccata tuæ esse causas &  
 passionis & resurrectionis: deinde ut credas Christum  
 tua causa

tua causa & propter peccata tua extirpanda esse passus  
& resurrexisse à mortuis.

Et quod hic est Iesus Christus, quem  
ego annuncio uobis.

Per occupationem hæc adijciuntur. Obijcere enim  
poterant Iudæi. Quis scit eum fuisse uerum Christum et  
Messiam, qui passus est & resurrexit à mortuis? Re-  
spondet Paulus occupatione. Et quod hic est Iesus  
Christus, &c.

Et quod hic: quantumuis contempta & uilis per-  
sona in oculis uestris, & quanquam crucifixus à uobis.

Decuit Apostolum de persona Christi certos facere  
Iudæos, qui ex contemptu & uilitate personæ Christi  
offensi erant. Hic est Iesus Christus: q. d. & non  
alius. Enthymema. Hic est Iesus Christus uerus  
Messias: Ergo præter hunc non est alius expectan-  
dus uobis.

Et quidam ex eis crediderunt.

Sequitur quid Paulus sua prædicatione effecerit: ut  
delicet non paucos conuertit ad Euangelium.

Commendatur uerbum uocale & audibile, ut causa  
fidei, per quod spiritus sanctus efficax est in auditoribus  
uerbi excusitare fidem. Ad Rom. 10. Fides ex auditu est  
auditus per uerbum dei.

Item,



Item, commendatur hic potentia uerbi, quod potens est in hominibus excitare fidem. Stabilitur etiã hic usus quidam externi ministerij uerbi contra Anabaptistas.

Quidam: non omnes. Et sanẽ fides non omnium est.

Crediderunt: susceperunt fide Euangelium, & statuerunt Christum esse saluatorem. Fides effectus est audibilis & uocalis uerbi.

Et adiuncti sunt Paulo & Silã.

Id est assumpserunt se Pauli et Silã, sy haben sich theer angenommen. Et sic charitatis & humanitatis officijs declararunt credentes suã fidem & testati sunt de gratuita per fidem accepta iusticia. Vnde discimus fidem non esse otiosam, & finem esse iustificationis bene operari.

Et multitudo magna religiosorum gentilium.

Commendat hæc multitudo credentium mirificẽ potentiam uerbi, multitudinem conuertere ualentis, idq; ex religiosis collectam. Enthymemata. Verbum conuertit multitudinem: Ergo potens doctrina est. Item.

Verbum conuertit multitudinem religiosorum gentilium: Ergo uerbi magna est potentia.

Et sanẽ non contemnendẽ potentiã effectus est, homines religiosos in idololatria gentium conuertere ad

*Euangelium. Et mulieres nobiles non  
paucæ.*

*Et hæc ualdè uerbi potentiam commendant. Non enim res parua est, nec parue potentie opus mulieres nobiles conuertere. Et Christus dixit: Difficile est diuites ingredi in regnum cælorum.*

*Zelantes autem increduli Iudæi.*

*Euangelium perpetuo duo habet auditorum genera alterum recipit illud: alterum non recipit, & persequitur. Cohærentia sic habet. Confessionem uerbi sequitur crux.*

*Iudæi hi illorum typum gerunt, qui ex falso zelo, quem habent pro religione, persequuntur eos, qui uerã religionem, quam ipsi ignorant, aut docent aut profitentur.*

*Zelantes: ex falso zelo, & qui non est secundum scientiam, & de quo Apostolus loquitur ad Romanos 10: item, Christus Ioannis. 16. Sed ueniet tempus, ut ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum præstare Deo.*

*Increduli Iudæi: incredulitas huius falsi zeli et qui nõ est secundũ scientiã, causa est. Christus ignorantia ueræ religionis illius zeli causa facit, Ioan. 16. Et hæc facient nobis*

nobis, quia non nouerunt patrem neq; me, id est, uerant religionem. Assumentes de uulgo uiros quosdam malos.

*Impietatis comes est hypocrisis, huius comes est timor & quia timent iudæi, igitur assumunt de uulgo uiros quosdam malos in presidium.*

*De uulgo: quod facile ad quæuis trahitur.*

*Viros quosdam malos: malos assumunt uiros, ut eò crudelius agere possint cum pijs, et eos facilius perdere*  
**Et turba facta, concitauerunt ciuitatē**

*Nota studium impiorum pro extirpandis pijs. Obserua hic qui seditiones sub Euangelio excitent, non qui Euangelium suscipiunt, sed qui Euangelium non suscipiunt. Seditio ergo unà cum reliquis tumultibus qui sub Euangelio pullulescere solent, incredulitatis erga Euangelium fructus sunt, quibus Deus punit mundi incredulitatem. Turba facta est & concitauerunt ciuitatem periphrasis seditionis, quæ etiam ex hoc loco, quid sit describi potest.*

*Est itaq; seditio ex hoc loco, qua homines concitati inuadunt aliorum domus, quærentes eos producere ad populum, ut perdantur.*

*Porrò quemadmodum circa seditiones nihil fit certū*

certa ratione consilijsq; certis : ita nec hic ex ratione  
 & consilio quicquam fit. Sed queris de finali causa  
 seditionis. Illa est, ut hoc nomine perdantur pij, & do-  
 ctrina piorum reddatur suspecta, tanquam ea quæ sit  
 seditionum & tumultuum occasio.

**Et inuadentes domum Iasonis.**

Inuadere hoc effectus est seditionis. Est uerò hic  
 inuadere nihil agere ex ratione & consilio, sed omnia  
 ex furore, sicut in seditione fieri solet.

**Quærebāt eos producere ad populū.**

Hic finalis quidam seditionis effectus est, ut produ-  
 cantur pij populo & perdantur ex consequenti.

Querebant : studij hoc uerbum est.

Ad populum : ut à populo supprimerentur.

**Et cum non inuenissent eos.**

Nota impiorum cogitatus & conatus non esse sem-  
 per felices, uerum Deum posse illos impedire, id quod  
 consolatorium est pro pijs.

**Trahebant Iasonem, & quosdā fra-  
 tres ad principes ciuitatis.**

Habes in his fratribus exempla martyrij, quod est  
 testimonium, quo suo sanguine testantur pij de grati-  
 ta iusticia. Clamantes.

Et hic clamor seditionis fructus est. Siquidem

Li . in seditione



in seditionibus ex clamore omnia aguntur.

Quod hi sunt, qui orbem conturbarunt.

Accusatio piorum fratrum, qua accusant pios fratres, ut homines seditiosos & publicæ pacis atq; obedientie perturbatores. Accusatio falsa ac mendax est, quæ ne falsa atq; mendax uideatur, prætendunt accusatores publicam pacem & obedientiam, quæ duo maxime faciunt ad commouendum hominum animos.

Nota impios contra Euangelium & pios, non ueritate, sed mendacijs agere. Verum est de uera materia crucis, accusari falso & ex mendacio, Matthæi 5. Beati eritis cum probra in uos iecerint homines, mentientes, propter me.

Cæterum hypocriseos effectus est, inter accusandum fratres, prætere publicam pacem & obedientiam quam accusatores quidem prætendunt, sed nihil minus præstant. Qui orbem conturbarunt: id est, seditiosum fecerunt. Accusantur fratres seditionis.

Et huc uenerunt.

Cum contemptu, q. d. non uocati aut missi.

Quos suscepit Iason.

Hospitalitas in omnibus laudatur, at circa pios nullam meretur laudem. Et sanè quod aliàs in mundo summo

Summa uirtus est: circa Euangelium extremum sit uicium. Et hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt.

Accusantur fratres ut perturbatores publicæ pacis & obedientiæ erga magistratum.

Sed quid habent pij, quo solentur se in tam falsis accusationibus? Respondeo. Bonam ac rectam conscientiam, quæ sibi nullius seditionis ac inobedientiæ conscia est. Contra decreta Cæsaris faciunt: quibus prohibuit, ne præter eum quis regem diceret, aut fingeret.

Regem alium dicentes esse Iesum.

Ipsi his exprimunt, quæ intelligant per decreta Cæsaris: nimirum ne quis præter Cæsarem alium dicat regem. Iesum: per contemptum efferunt hanc uocem Iesum, quasi dicat, hominem illum uilem & contemptum.

Concitauerunt autem plebem, & principes ciuitatis audientes hæc.

Duo his sibi uult Lucas: exaggerat maliciam in impijs, qui concitauerunt plebem: & à testibus confirmat facta: ideo ait. Et principes ciuitatis audientes hæc. Vel. Concitauerunt autem plebem: scilicet ne plebs desisteret à suppressione piorum.

Et principes ciuitatis audientes hæc: q. d. Lucas.

Ergo non potuerunt intermittere, quin saltem aliquid facerent pro honore Cæsaris.

Et accepta satis factione à  
Iasone & à cæteris

Enthymema. Principes ciuitatis audientes hæc:  
Ergo principes ciuitatis acceperunt satisfactionem à  
Iasone & à cæteris. Nota timorem inferioris magi-  
stratus in causa esse, ut sepe iniusca faciat. Sic Pilatus  
ex timore Cæsaris, cum audiisset. (Tu nõ eris amicus  
Cæsaris, si hunc dimiseris) occidendum permisit Iudæis  
Christum. Principes igitur ciuitatis illorum typum  
gerunt, qui ex timore uel populi uel superioris magi-  
stratus, persequuntur Euangelium.

Et accepta satisfactione: sponcione sistendi se in iu-  
dicio.

Dimiserunt eos

Hæc dimissio ostendit nobis, impiorum cogitatus &  
conatus non esse semper foelices, sed deum illos impedi-  
re posse, & pios ex omni cruce liberare, id quod con-  
solatorium est pro pijs.

Commendatur hac dimissione potentia dei, & exten-  
nuatur potentia mundi.

Fratres uerò confestim per noctē dimi-  
serunt Paulū & Silam in Berrhoa.

Exemplum charitatis in fratribus, qui Paulum &  
Silam

Silam dimittunt. Et ut hi fratres erga Paulum & Silam adfecti sunt, ita omnes Christiani erga suos pastores adfecti esse debent.

Berrhoa Macedoniae ciuitas est.

**Quò cum uenissent, in synagogam Iudæorum introierunt.**

Monent Apostoli suo exemplo, ne propter persecutionem aut mundi ingratitude[m] deseramus nostram uocationem, sed exemplo Pauli & Silæ constantius & fidelius inseruiamus uocationi nostræ.

In synagogam introierunt: ut ostenderent se esse predicatores: deinde, quod adferrent certam ac bonam doctrinam, quam auderent in publico & aperto loco confiteri.

**Hi autem erant nobiliores his, qui sunt Thessalonicae.**

Rectè quidem dixit Apostolus, Euangelij prædicatione alijs in odorem uitæ esse, alijs in odore mortis.

Commendantur Iudæi in Berrhoa, à promptitudine in suscipiendo Euangelio.

Nobiliores: id est, magis procliui.

Laudi datur promptum esse ad suscipiendum Euangelium: ergo uitio dandum est, non prompto animo Euangelium suscipere.



Qui susceperunt uerbum cum  
omni promptitudine

Opera spiritus sancti adiuti, sine cuius presidio, nemo corde aut prompto animo suscipit uerbum: Quare suscipere uerbum cum promptitudine effectus est spiritus sancti. Cum omni promptitudine: id est animi alacritate. Quotidie scrutantes scripturas, an hæc ita se haberent.

Exemplum sedulitatis & Christiane prudentie in Berrhoitis, qui non temere assentiuntur Apostolorum prædicationi, sed cum iudicio & approbatione scripturæ

Ad talem Christianam prudentiam hortantur hi scripturæ loci. Cauete à pseudoprophetis: id est, cum iudicio discernite inter falsos ac ueros doctores, inter ueram ac falsam doctrinam. Prima Ioan. 4. Charissimi, ne cuius uis spiritui credatis, sed probate spiritus, num ex deo sint. Apostolus dixit. Omnia probate, quod bonum est tenete. Ioan. 5. Scrutamini scripturas, quæ testantur de me. Quotidie: notatur diligentia cum studio & amore pro uera pietate. Scrutantes scripturas: sedulo et diligenter perlustrantes. Ethis diligentia cum studio & amore pro uera pietate commendatur in Berrhoitis.

An hæc ita se haberent: quæ dicerent Apostoli de Christo & regno eius.

Et

Et multi quidem crediderunt ex eis.

Fides effectus est uocalis uerbi, qui commendat uerbi potentiam, quod potest in hominibus gignere fidem per incrementum, quod dat spiritus sanctus, 1. Corinth. 3. Deus autem dedit incrementum.

Vides hic uerū esse Apostoli dictum, ad Ro. 10. Fides ex auditu est: auditus autem per uerbum dei.

Sed quia Berrhoitæ diligenter scrutati sunt scripturas: refert hic scire & lectionem scripturarū fidei causam esse. Sic unus per auditum uerbi pertingit ad fidem: alter per lectionē uerbi. Cōmendatur hic quoq; contra Anabaptistas ministerium uerbi, per quod efficax est spiritus sanctus hominibus dare fidem. Multi: hæc uox exaggerat potentiam uerbi quod potens est multos conuertere. Ex eis: scilicet Iudæis.

Et honestæ mulieres gentiles  
& uiri non pauci.

Et harum honestarum mulierum gentiliū commendatur potentia uerbi. Enthymema.

Verbum honestas mulieres gentiles conuertit:

Ergo uerbum potens doctrina est.

Hæ mulieres gentiles proponuntur gentibus in consolationem, ut inde sciant, se etiam ad gratiam Euangelij pertinere.

Et uiri non pauci: spectant &

ii 4 hæc ad

hæc ad exaggerationem potentie uerbi, non paucos conuertere ualentis.

**Cum autem comperissent in Thessalonia Iudæi.**

Satan & impij homines nunquam feriantur impedire Euangelij progressum. Thessalonicenses Iudæi eorum typum gerunt, qui ipsi nolunt acceptare Euangelium, & alios ab Euangelio suscipiendo impediunt.

**Quod & Berrhoræ prædicatum est à Paulo uerbum dei.**

Quod deus mittit, & cuius intellectum reuelat.

**Venerunt & illuc.**

Inuidie exemplum in Iudæis Thessalonicensibus, qui alijs inuidet, quod ipsi acceptare nolunt.

**Commouentes multitudinem.**

In hoc, ut fugarent Euangelium, & perderent eius professores. Vides & hic, qui sint seditiosi in mundo, tempore Euangelij: item, quæ sit seditionis causa tempore prædicati Euangelij in mundo. Seditiosi sunt & seditiones excitant illi, qui nolunt Euangelium acceptare. Causa seditionis est incredulitas mundi erga Euangelium. Multitudinem: uulgus quod facile ad quæuis pertrahitur, magnorum hominum auctoritate motum.

**Statimq̃**

Statimq; tunc Paulum dimisere ut  
fratres.

Hic iterum specta, impiorum cogitatus & conatus, non esse semper felices: item, deum longe potentiorum esse mundo impio: tandem deum piorum in cruce curam agere: postremo deum uaria habere media, quibus impiorum consilia impediatur. Exemplum charitatis est in fratribus, qui dimittunt Paulum.

Ut iret usq; ad mare.

In eum locum, ubi aliquantulum tutus esset.

Sylas autem & Timotheus permanserunt ibi.

Quia minus notæ personæ, Paulus autem notissimus, cui plus periculi imminuit.

Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum Athenas.

Exemplum charitatis & hospitalitatis in deducto-ribus. Athenas: quæ est Græciæ ciuitas, Philosophiæ studijs dicata, & idololatriæ plena: nec mirum propter multas ibi philosophorum sectas.

Et accepto mandato ab eo ad Silam & Timotheum.

Id est, cum deductores mandatum à Paulo accepissent.

ii s Utquam



Vt quàm celerrimè ueni-  
ret ad Paulum

Quia statim cognouit Apostolus, sibi multum fore negotij Athenis cū philosophis idololatriæ deditis, & alijs philosophorū opinionibus ad idololatriã persuasus. Rectè facit Paulus, qui solus nõ uult se imparibus laboribus immiscere.

Profecti sunt

Id est redierunt ad sua, nec discurrerunt otiosi per orbẽ, sicut hodie faciunt Anabaptistæ, qui contendunt suscepto euangelio, discurrendum esse per orbem.

Cum autem Paulus Athenis eos expectaret.

Sine dubio constituit Paulus secum, quod noluerit Athenis incipere prædicationem Euangelij, donec Silas & Timotheus ad eum Athenas uenirent: sed zelus pro uera pietate in Paulo, non concessit sibi expectari illos. Vnde monemur hic, quàm soleat uerè pijs displicere idololatria & falsus cultus dei.

In Paulo itaq; exemplum est ueri zeli pro uera pietate, ex qua non dubitauit Apostolus in extrema pericula se præcipitare. Totus locus referendus est ad confessionem uerbi, quam postea sequitur crux, fidelissimus confessionis uerbi comes.

Incandescibat

**Incandescerebat spiritus eius in ipso.**

Id est, à spiritu sancto cœpit intus moueri in corde contra idololatriam: uel potius ex zelo quodam cœpit indignari in corde suo. Incandescencia hæc ostendit, quàm ualdè displiceat pijs idololatria, qua uident gloriam sui domini negligi. Hæc incandescencia est illa ira, de qua dixit Dauid unà cum Apostolo: Irascere & noli peccare. Spiritus acceptus pro parte hominis, est illa ipsa pars, quæ agit cum deo, quæq; renouatur per gratiam.

**Vbi uidit idololatriæ deditã ciuitatẽ.**

Idololatria causa fuit incandescencie in Paulo.

Enthymema. Idololatria Atheniensium fecit incandescere Paulum: Ergo & nos facere incandescere debet. Idololatria quid sit, & quæ eius causæ atq; effectus, supra in 14. cap. copiose indicauimus. Quod autem Athenienses idololatriæ dediti fuerint, passim docent autores. Et Valerius de zelo Atheniensium pro dijs & religione deorum, lib. 1 multa scribit. Deditam, quasi dicat præ alijs oppidis: Nam uox dedita exaggerat in Atheniensibus studium idololatriæ.

**Disputabat igitur in synagoga cum  
Iudæis & religiosis.**

Hinc doctrina & eruditio Pauli æstimanda uenit,  
quans

quam non paruum habuit, necesse est, qui non dubitavit Athenis disputare, non tantum cum Iudæis quorum doctrinam studuerat, sed etiam cum religiosis id est, cum Philosophis. In synagoga: ut uideretur habere certam ac ueram doctrinam. Cum Iudæis: habentibus zelum pro pietate, sed non secundum scientiam. Et religiosis: religione deorum, quæ Athenis uaria & multiplex fuit, propter multos ibi philosophos, & uarias sectas.

Et in foro quotidie apud eos, qui forte aderant.

In hoc, ut declararet se habere ueram ac certam doctrinam, nec abhorrentem lucem, Ioannis 3. Qui malè agit, odit lucem. Quotidie: circumstantia temporis notat diligentiam. Qui forte aderant: promissuè, cum doctis & indoctis, cum laicis & clericis, cum Iudæis & gentibus.

Quidam autem Epicurei & Stoici philosophi differebant cum eo.

Vides quomodo conueniat Euangelio & philosophiæ. Illud annunciat Iesum esse, & post hanc uitam aliam. Hæc nescit Iesum, & uitam post hanc aliam futuram negat. Discrimen Euangelij & philosophiæ ex hoc loco tale sumendum est. Euangelium est doctrina

Trina de Iesu & uita æterna. Philosophia est doctrina, præter naturæ cognitionem, nullam aliam monstrans de deo, ignorans Iesum & uitam æternam.

Spectant huc Paulinæ sententiæ ad Ephesios, quæ ostendunt Euangelium esse doctrinam naturæ incognitam. Ad Ephesios 3. Quod in alijs ætatibus non innotuit filijs hominum, quemadmodum nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & Prophetis per spiritum. Ibidem. Quod erat absconditum à seculis in deo, &c.

Epicurei: qui dicebant summum bonum atq; sic ad eò beatitudinem summam consistere in uoluptate huius uitæ: & post hanc uitam negabant esse aliam: negabant quoq; diuinam prouidentiam, dum dicebant: Deum non curare mortalia.

Stoici: hi summum bonum ponebant in uirtute, & hanc summam esse contendebant beatitudinem, in hac uita uirtuosum esse: & post hanc uitam, nullam aliam futuram docebant: faciebant peccata paria, & poenas pares, &c.

Et quidam dicebant: Quid uult hic scurra dicere?

Extremus contemptus cum increpatione. Et qualis hic Paulus est in oculis philosophorum, tales sunt omnes pij in oculis sapientum huius mundi. Et quales nunc



les nunc pij sunt coràm mundi sapientibus, talis & doctrina Euangelij est. Sic hodie sapientes mundi cum extremo contemptu de pijs & Euangelio loquuntur. Quid uolunt hi scurræ dicere? Quid sibi uult hoc nouum & Saxonicum Euangelium? Quare rectè dixit Apostolus Euangelium esse gentibus stultitiam, que offensi uilitate Euangelij & piorum, incipiunt postea, tam Euangelium, quàm pios contemnere.

Scurræ: in Græco est αἰδριολόγος, que uox nugatorem & blateratorem sonat.

**Alij uerò nouorum dæmoniorum uidetur annunciator esse.**

Mundus & sapientes mundi semper uaria de Euangelio & pijs iudicia habent: nec mirum, quia & mundus & sapientes mundi, tam Euangelij, quàm piorum uilitate offenduntur. Ostendunt hi alijs quàm nihil sciat natura de Euangelio, & quàm cæci sint homines naturales in Euangelij cognitione.

Nouorum dæmoniorum: Erasmus Roterodamus scribit Athenienses ex Platonis sententia dixisse dæmones dearum filios. Nouorum dæmoniorum: id est, deorum

**Quia Iesum & resurrectionem annunciabat eis.**

Aetiologia cur sic dixerint alijs. Nouorum dæmoniorum

niorum, &c. Apertè testantur hi alij, neq; naturans neq; naturales homines quicquàm de Iesu aut Euangelio intelligere. Iesum: per contemptum. Et resurrectionem: quam philosophi rationis argumentis persuasi, fortiter negarunt. Et reuera articulus de resurrectione mortuorum, & uita post hanc alia, non potest coràm ratione subsistere. Verum quæ sint rationis argumenta, aut qualia, facile per se quisq; colligere potest ex 12. capite Marci, ubi Sadducei confesserunt cum Christo super resurrectione, quam Christus non ex ratione cognoscendam monet, sed ex uerbo dei. Ait enim: An non legistis scripturas, &c. Et Paulus dixit, 1. ad Thessal. 4. circa probationem resurrectionis mortuorum. Hoc enim uobis dicimus in uerbo domini, &c.

Et apprehensum eum ad Ariopagum duxerunt.

Confessionem uerbi sequitur crux. Ariopagus: locus apud Athenienses æditior, in quo exercebantur iudicia de causis criminalibus.

Circumstantia loci ostendunt Philosophi, quàm malè senserint de Paulo, quem cæde dignum putarunt, & quàm malè senserint de doctrina Pauli, quam proscriptam uoluerunt.

Postumus

Possimus scire quæ est hæc noua  
doctrina, quæ à te dicitur.

Questio de qualitate doctrinæ est. Rectè Philoso-  
phi euangelium nouam doctrinã uocant, quia naturæ  
est incognita doctrina, quæ de Euangelio nihil scit.

Noua enim quædam adfers  
auribus nostris.

Signanter hæc ætiologia accedit, ut scias Euange-  
lium esse doctrinam naturæ & mundo planè incog-  
nitam. Vide locos supra ex epistola ad Ephesios  
citatos, qui monet Euangelium non esse doctrinam  
naturæ cognitam. Volumus ergo scire,  
quid nam uelint hæc esse.

Impij pro imperio imperant, nõ rogant amicè. Spe-  
sta ergo in impijs dominandi & imperandi libidine in-  
pios. Athenienses autem omnes

Notantur Athenienses, ut homines leues, uani & no-  
uarum rerum, cupidi: sic Apostolus ad Titum notat  
Cretenses inquitens. Cretenses semper mendaces, male  
bestiæ, uentres pigri &c.

Notat autem hæc rerum nouarũ cupiditas in Atheni-  
ensibus, magnam inconstantiam & leuitatem.

Scias a. c. Paulus in medio Ariopagi.

Satis facit hic Paulus sententiæ Petri. Sitis autem  
parati

parati semper ad respondendum cuilibet potēti ut lo-  
quamini de ea, quæ in uobis est spe cum mansuetudine  
& reuerentia. Exemplum constantiæ est in Paulo, qui  
ueritatē cōstanter cōfiteatur. **Viri Athenienses.**

Oratio generis demonstratiui est. Commendat enim  
Paulus hac sua oratione unum uerum Deum, & uitupe-  
rat atq; refutat uanitatē multorum Deorum: item cō-  
mendat uerum cultum Dei, & falsum uituperat.

**Per omnia quasi superstitiosiores uos  
uideo.**

Excusat se Paulus superstitionis, & quod non an-  
nunciet nouos Deos, & accusat Athenienses superstitionis,  
& rectē quidem accusationem suam retorquens in  
aduersarios, qui Paulum superstitionis accusabant, tan-  
quā nouorum Deorum institutorem. Superstitio est  
ex hoc loco, quæ non est contenta ueteri uno Deo, sed  
instituit Deos nouos. Superstitiosi sunt, qui ueteri uno  
Deo non sunt contenti, sed nouos instituunt.

Virgilius superstitionem sic definit. *Vana supersti-  
tio, ueterumq; ignara Deorum.*

**Præteriens enim & uidens simula-  
chra uestra.**

Aetiologia cur sint Athenienses superstitiosiores,  
sumpta à nouis dijs, quos susceperunt, relicto ueteri ac  
herò Deo:

K k Simulachra



Simulachra: ex simulachris colligit Paulus & deos quos representant simulachra. In Græco est, *ἑὶ βῶτα μαῖα*, quæ cōplectuntur omnia, quæ ueneramur, ut delubra, aras, &c. Scopus Pauli est, ut probet se non esse superstitiosum, hoc est, nouorum deorum institutorum. Probatio sic habet.

Vos Athenienses habetis simulachra & aras: Ergo uos Athenienses estis superstitiosi, & autores nouorum deorum. Aliud enthymema.

Ego Paulus nec simulachra, neq; aras habeo:

Ergo ego Paulus non sum superstitiosus, non sum annunciator nouorum deorum.

Inueni & aram in qua scriptum erat ignoto Deo.

Sensim descendit Paulus ad suum institutū, ut ostendat qualem doctrinam adferat, & quem deum colat.

Ignoto deo: fortassis ex diuino consilio ara hæc ali quando apud Athenienses coepit, ut illa aliquando foret occasio conuersionis Atheniensium.

Vel potius ex stulta patrum imitatione posuerunt gentes aram ignoto Deo, sicut gentes & alia multa acceperunt stulta imitatione à patribus.

Rectè autem ignotus dicitur deus, quia natura non est uerè cognitus.

Quem

Quem ergo ignorantes colitis  
hunc ego annuncio uobis.

Epilogus ad quæstionem de qualitate doctrine Pauli, quam dicit esse annunciationem ignoti dei, cuius aram habent Athenienses. Unde inferre uult Paulus, se nihil noui docere, neque ullum deum nouum colere.

Ignorantes colitis: nota est uerum cultum Dei nature incognitum esse. Ignorantiam cultus Dei ueri tollit Euangelium: sicut et ignorantiam ueræ notitiæ Dei.

Vult ostendere Paulus, cognitionem ueri Dei, et ueri cultus Dei, ex Euangelio descendam esse.

Deus qui fecit mundum.

Pergit ostendere Paulus, ignotum illum deum, quem ipse annunciat, et cuius ara est apud Athenienses uerum esse Deum. Locus est commendatio ueri Dei à potentia et providentia. Enthymemata.

Deus hic quem uobis annuncio, fecit mundum et omnia, quæ in eo sunt: Ergo uerus est deus.

Item. Deus hic quem uobis annuncio, dominus cæli et terræ est: Ergo uerus est deus.

Duo potissimum agit Apostolus in sequentibus. Docet notitiam ueri dei: deinde uerum ueri Dei cultum.

Porro quia Paulus Athenienses de notitia ueri Dei

docet: item, de uero dei cultu, declarat naturam neq̄  
 ueri dei notitiam, neq̄ cultum ueri dei habere.

Habes ex hoc loco insignem descriptionem prouidē-  
 dentiae dei, quae nihil est aliud, quàm quae deus creat, gu-  
 bernat, & conseruat omnes creaturas.

Deus qui fecit mundum: in genere mundi uoce in-  
 telligit hic coelum & terram.

Et omnia quae in eo. Omnes creaturas,  
 quae uel in caelo uel in terra sunt. Haec de creatione  
 dicta sunt, quae nunc sequuntur de gubernatione & conser-  
 uatione creaturarum sunt.

Hic cum sit dominus caeli &  
 terrae.

Gubernet & conseruet omnes creaturas, quae uel in  
 caelo, uel in terra sunt.

Veri dei descriptio quaedam hic sumi potest, in hunc  
 modum. Verus deus est factor mundi, & omnium, quae  
 in eo sunt, & est dominus caeli & terrae, hoc est, guber-  
 nator & conseruator omnium creaturarum. Enthya-  
 mema apertum est hic locus. Deus uerus est domi-  
 nus caeli & terrae: Ergo deus uerus non habitat in  
 templis manu factis, nec manibus humanis colitur, &c.

Non in manu factis templis  
 habitat.

Pulchra

Pulchro ordine sequitur nunc doctrinam de notitia ueri dei, doctrina de uero ueri dei cultu.

Scopus doctrinæ de notitia ueri dei est, ut Athenienses sciant unum esse uerum deum, & præter hunc unum non alios. Doctrinæ de cultu ueri dei scopus est, ut sciant Athenienses, quis sit uerus dei ueri cultus, & discant cultum deorum uanum esse.

Non in manu factis templis habitat: id est, cultus ueri dei uerus non consistit in his aut illis externis rebus, in his aut illis humanis traditionibus, sed in hoc, ut homines agant pœnitentiam, & fide credant in Christum, quem deus suscitauit à mortuis, sicut sequitur.

Item, notant hæc uerba, non in manu factis, &c. Deum uerum non ligari ad certa loca, & sic nec ad reliquas circumstantias.

### Nec manibus humanis colitur.

Totus locus est descriptio ueri cultus dei, qui non consistit in rebus externis, neq; in humanis traditionibus, sed in spiritu & ueritate, hoc est, in interno cultu, qui fit in animo, & est in uerbo præscriptus.

Nec manibus humanis colitur, &c. id est, externo cultu ab hominibus inuento. Indigens aliquo: scilicet cuius cultu aut beneficijs flectatur ad misericordiam. Corruit hic uno impetu omnis externus cul-



tus ab hominibus inuentus, qui uanus & ingratus est deo, quia non fit in spiritu & ueritate, id est, pura mente per spiritum sanctum regenerata atq; purgata, nec in uerbo præscriptus est.

Cum ipse det omnibus uitam & spiritum per omnia.

Sensus est deum uerum non placari neq; coli nostro cultu, quem ipsi effinximus, neq; nostris sacrificijs aut muneribus. Enthymema. Deus dat omnibus uitam & spiritum per omnia: Ergo deus nostris sacrificijs aut muneribus non placatur.

Vitam & spiritum: leben vnd schweben. Quod ergo uiuimus, à deo est. Quod spiritum attrahimus, & emittimus, à deo est.

Per omnia: sine deo nihil subsistere potest. Aratus dixit. Iouis omnia plena. Vergilius Igneus est ollis uigor, & cœlestis origo. Totus locus sicuti dixi, pertinet ad prouidentiam dei. Et huc transferendi sunt scripture loci de diuina prouidentia. Psal. 102. Omnia à te expectant, ut des eis escam. Psal. 164. Qui operit cœlum nubibus, & parit terræ pluuiam. Psal. 35. Homines & iumenta saluabis domine, & c.

Fecitq; ex unius sanguine omne genus hominum.

Nota

Nota potentiam dei, qua usus est in creando humano genere. Ut habitet super uniuersam faciem terræ.

Et hæc potentiam dei commendant.

Ac definiuit certa tempora & terminos habitationis eorum.

Mirificè hæc cõmendant prouidentiam & curam Dei erga nos. Enthymema. Deus definiuit certa tempora & terminos habitationis eorum: Ergo deus hominum curam agit. Omnia diligenter prosequitur Paulus de diuina prouidentia & rerum origine atq; conseruatione, ut præcipuas Philosophorum sententias contra prouidentiam & rerum originem atq; conseruationem confutet.

Ut quærent deum.

Sequitur nunc usus rerum creatarum, in quem usum sint à Deo creatæ, & in quem usum cõseruentur à Deo. Homines in hoc creati sunt à deo, ut quærant Deum suum creatorem per uisibiles creaturas. Reliquarum creaturarum usus est, & in hoc à Deo sunt creatæ, ut monstrent Deum creatorem. De hoc usu loquitur ualde eleganter hic Paulus, & meminit eius apertis uerbis, ad Rom. i. quando ait.

Siquidem quæ sunt inuisibilia illius, ex creatione

mundi, dum per opera intelliguntur, peruidetur ipsaq;  
 æterna eius potentia ac diuinitas &c. Vide & Salomo-  
 nem de illo creaturarum usu, Cap. 3. Commendatur hic  
 quoq; cognitio Dei, quæ est ex natura & rebus uisibili-  
 bus in rerum natura. item commendatur hic studium  
 physices, quod est cognitio rerû naturalium, in eum finem  
 destinata, ut inde cognoscatur deus creator. Ut quæ-  
 rent Deum: finis creati hominis, quærere Deum.

Si forte palpent eum aut inueniant,  
 quamuis non longe sit ab unoquoq;  
 nostrum.

Media sequuntur per quæ quærant homines Deum  
 creatorem, illa sunt creaturæ seu res creatæ, quarum est  
 usus, ut monstrant hominibus Deum creatorem. Palpent  
 eum aut inueniant: id est, ex creaturis cognoscant deum

Quamuis non longè sit ab unoquoq; nostrum: id est,  
 quia ipse in nobis agit non aliter atq; in suis domibus et  
 templis.

In ipso enim uiuimus & mouemur, &  
 sumus.

Aetiologia cur Deus non longè absit à nobis: sump-  
 ta à prouidentia Dei. Enthymema. Deus nostri curam  
 agit, in ipso uiuimus, mouemur, & sumus.

Ergo Deus non procul est à nobis

In ipso enim uiuimus &c. Periphrasis prouidentia  
 Dei, quæ ex hoc loco nihil est aliud, quam ut per illam  
 uiuamus, moueamur, & simus, quæ aliàs sic efferrimus.  
 Prouidentia Dei est, qua creat, gubernat, et cōseruat nos  
 Sicut & quidam uestrorum poëtarū  
 dixerunt.

Confirmatio diuinæ prouidentia à poëtarum testi  
 monijs : Et ex cognitione poëtices uenit æstimanda cru  
 ditio Pauli. Item, uides hic quendam usum poëtices in  
 sacris literis. Verum quia Poëta gentiles ex legibus na  
 turæ uiderunt prouidentiam Dei : quare necesse est, et  
 naturam prouidentiam Dei agnoscere, id quod Paulus  
 ad Rom. 1. his uerbis insinuat. Dum per opera intelli  
 guntur, peruidetur ipsaq; æterna eius potentia ac di  
 uinitas : id est, quod Deus creat, gubernat, et conseruat  
 omnia. Commendatur inter cætera hic poëtices studiū,  
 quod non est contemnendum, ubi consentit cum uerbo  
 Dei. Vestrorum poëtarum : Aratus cuius uersus sunt.

A Ioue principium Musæ, Iouis omnia plena.

Quem reticere nephas, Ioue cuncta utuntur ab ipso  
 Nos sumus, ille fouet, cunctis uiresq; ministrat Quibus  
 uersibus Aratus pulchrè describit diuinā prouidentia.

Ipsius enim genus sumus.

Quæ Aratus Paulo ante alijs uerbis effert. Ab ipso  
 nos sumus.



Genus ergo cum simus dei.

Epilogus huius loci de cultu Dei, cuius summa in hoc consistit, ut sciant Athenienses, Deum non coli aut placari externis rebus & humanis traditionibus.

Enthymema. Nos Dei genus sumus:

Ergo nos non decet externus cultus Dei. Idem argumentum apud Ioannem est, cap. 4. Deus spiritus est:

Ergo in spiritu & ueritate uult coli.

Enthymema expositoryum.

Nos spirituales sumus à Deo spiritu trahentes nostrum genus: Ergo nos decet spiritualis cultus.

Cato ethnicus similiter sic à causa ad effectum argumentatur. Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt.

Hic tibi præcipue sit pura mente colendus Non sunt rara huiusmodi argumenta à causa ad effectum, aut à qualitate cause ad qualitatem effectus.

Non debemus æstimare auro & argento, ut lapidi arte sculpto, & inuento hominis diuinum esse simile.

Quia de spiritu spiritualiter iudicandum est, & spirituales de spiritu spiritualiter iudicare decet. Summa est huius loci, Deum non esse creaturam sed spiritum et ideo spiritualiter esse colendum, hoc est, in spiritu & ueritate.

Et

**Et cum tempora huius ignorantiae  
dissimularit Deus.**

Occupatio, ne obijciant Athenienses. Cur ergo deus  
tā diu passus est errare homines circ a notitiā ueri dei et  
cognitionem cultus Dei ueri? Respondet Paulus occupa-  
tione, q d. quod Deus ita diu passus est ignorantiam  
mundi, id tribuendum est patientiæ & longanimitati  
Dei. ad Rom. 2. Aut diuitias bonitatis illius, ac toller an-  
tiæ, lenitatisq; contemnis, ignorans quod bonitas Dei  
ad pœnitentiam te inuitat &c.

Huius ignorantiae: circa notitiā Dei ueri, & cir-  
ca cultum Dei uerum. Dissimulārit Deus: ex bonitate  
tollerantia, & bonitate, ut causis.

**Nunc annunciat hominibus.**

Alia occupatio. Obijcere poterant Athenienses. Ergo  
desperandum est propter ignorantia? Respondet Pau-  
lus negatiuè, & hortatur ad pœnitentiam eos, ut tales,  
qui nunc amplius non debeant esse ignorantes.

Annunciat: per suos ministros.

**Vt omnes ubiq; pœnitentiam  
agant.**

Euangelium est doctrina uniuersalis pro omnibus  
hominibus.

Pœnitentiam agant: id est, doleant & confiteantur  
se

se ignorasse deum uerum, & uerum dei cultum, & incipiant nunc uerè cognoscere deum, & uerè colere.

In summa duo uult Paulus agere Athenienses, destititum à peccatis, & fide in Christum se erigere ad remissionem peccatorum.

Hò quod statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in iusticia.

Aetiologia cur sit agenda poenitentia: sumpta à circumstantia temporis, q. d. Paulus. Ideò agenda est poenitentia, quia tempus gratiæ adest, in quo possunt homines peruenire ad iusticiam, per fidem in Christum, quem suscitauit deus ex mortuis. Alludit Paulus ad tempus gratiæ seu reuelati Euangelij, in quo placuit deo patri omnia restaurare per filium. Ad Ephes. i. Ut notum faceret nobis mysterium uoluntatis suæ, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in semetipso, ut dispenseretur in plenitudine temporum, ut summam instauraret omnia in Christo, quæ in caelis sunt, & quæ in terris sunt per ipsum.

• Similis per omnia extat ad poenitentiam adhortatio, ad Ro. 12. Et hoc scientes, tempus, quia hora est nos iam de somno surgere. Nunc enim prior est nostra salus, quam cum credebamus. Nox processit, dies autem appropinquat. Abijciamus ergo opera tenebrarum

rum, & induamur arma lucis, &c. Statuit: ex promissione, ex gratia.

Diem: tempus gratiæ seu reuelati Euangelij.

In quo iudicaturus est orbem in iusticia: tanquam illum, qui prius ueram iusticiam non habuit. Ioannis 16. similis est locus. Spiritus sanctus cum uenerit, arguet mundum de peccato, de iusticia, & de iudicio: de peccato, quia non credunt in me: de iusticia, quia uado ad patrem, & posthac non uidebitis me: de iudicio autem quia princeps huius mundi iam iudicatus est.

In iusticia: quæ ualet coram deo, & consistit coram deo in remissione peccatorum.

Per uirum, per quem decreuit fidem exhibere hominibus, suscitans eum à mortuis.

Periphrasis Christi collatoris ueræ iusticiæ.

Nota Christum esse collatorem iusticiæ ueræ, & eam per solum Christum contingere. Per uirum: quamquam contemptam personam in oculis carnis.

Per quem decreuit fidem exhibere omnibus: id est, certum medium, quo impetrent omnes ueram iusticiam.

Fidem: & fides qua impetramus iusticiam ueram, donum Christi est.

Omnibus: iusticia uera uniuersalis est pro omnibus.



bus, qui eam fide apprehendunt et impetrant. Suscitans eum à mortuis: in hoc, ut mundo conferret iusticiam ueram, & conferre esset potens.

**Cum audissent autem resurrectionem mortuorum.**

Sequitur quid Paulus sua prædicatione effecerit apud Athenienses, quæ alijs in odorẽ uitæ alijs in odorem mortis fuit; quidam ad illam crediderunt, quidam non crediderunt, sed effecti sunt pertinaciores & cæci ores. Resurrectionem mortuorum: quæ coram hominibus sapientibus & sequentibus iudicium rationis, nulla est. Nam ratio nõ potest statuere de mortuorũ resurrectione: & sic ne philosophi quidem insistentes rationi.

**Quidam irridebant, quidam uerò dixerunt.**

Distributio auditorum Pauli. Irridebant: argumentis rationis persuasi, non esse mortuorum resurrectionem.

Hi quidam eorum typum gerunt, qui argumentis rationis impediti, non possunt acquiescere Euangelio, & rebus ad illud pertinentibus. Quidam uerò dixerunt: in his exemplum est prudentiæ, qui prius sepius audire uolunt, antequàm de resurrectione pronuncient.

**Sic Paulus exiuit de medio illorum.**

In hoc

In hoc, sine dubio, ut repararet vires, & pergeret quoq; alijs euangelizare.

Quidam uerò uiri adhærentes ei crediderunt.

His cessit prædicatio Pauli in odorem uitæ. Et sunt hi illorum typi, in quibus Deus operatur fidem per misterium uerbi.

In quibus fuit & Dionysius Arropagita.

Nomina credentium adiicit Lucas, ut certam faciat historiam: deinde, ut potentiũ & magnarũ personarũ appellationibus commendat potentiam uerbi quod potuit tam potentes & magnos homines conuertere.

Enthymema, Verbum Ariopagitam conuertit:

Ergo uerbum potens est. Arropagita fuerunt iudices, in Arropago apud Athenienses.

C A P V T X V I I I .

**H**istorica narratio de peregrinatione Pauli coheret, quam Lucas et per hoc caput diligenter prosequitur. Relictis igitur Athenis, uenit Paulus Corinthũ que est Achaie metropolis, diuitijs abundans, & luxu perditã ciuitas. Post hæc. Cohærentia pendet ex constantia temporis. Egressus ab Athenis, Scilicet, ut et alijs prædicaret Euangeliũ, id quod charitatis est, multos lucrari Euangelio. • Venit.

Venit Corinthum. Loci circumstantia commendat nobis misericordiam Dei immensam, quam exhibuit erga Corinthum, luxu, libidine, & fastu perditissimam civitatem. Et habent inde magni peccatores, quo se solentur, ne de gratia desperent.

Et inueniens quendam Iudæum.

Quod statim inuenerit hospitem Paulus in Corintho id referendum est ad providentiam Dei, qua curam agit suorum, etiam in omni terræ loco. In Aquila Iudæo exemplum humanitatis & hospitalitatis est.

Nomine Aquillam. Nomen addit propter huiusmodi certitudinem. Ponticum genere.

Ex Ponto Asiae regione ortus. Et patria Aquilæ facta ad certitudinem huiusmodi.

Et Priscillam uxorem eius. videlicet inuenit Corinthi. Eo quod precepisset Claudius.

De hoc precepto uide Suetonium in uita Claudij. Aetiologia cur inuenerit Paulus Corinthi Aquilam & uxorem eius, sumpta à persecutione Iudæorum Romæ facta.

Vt omnes Iudæi Roma discederent. Quia sicut scribit Suetonius, assiduo impulsore Christo tumultuabantur. Accessit ad eos.

Hospitij gratia. Et quia eiusdem erat artis manebat apud eos, & operabatur.

Fortassis donec uideret commodā occasionem prædicandi Euangelium Corinthi, aut ne otio torpesceret, & ex otio incideret in securitatem & alia peccata.

Hortatur Paulus ad laborem diligenter, ad Ephes. 4. Male agunt Anabaptistæ ex hoc loco, qui ab exemplo Pauli ministros uerbi, ad manuum laborem alligant, quasi non sit labor inuigilare studijs sacris & alijs honestis artibus. Paulus ipse respondet Anabaptistis. 1. ad Corinth. 9. ubi labore manuum suarum non præiudicat alijs, sed ordinationem Christi uocat fouere ministros uerbi. Erat autem ars texere aulæa.

Tapetas & sagas lineas.

Et disputabat in synagoga.

Spectat hæc disputatio ad confessionem uerbi, quæ à Paulo in hoc fit, ut uerbi gloriam plantet, & homines ex charitate lucretur uerbo.

In synagoga: ut uel loco ostendat se habere ueram ac certam doctrinam. Ioannis 3. Qui male agit, fugit lucem. Per omne sabbatum.

Nota diligentiam Pauli, pro plantando Euangelio in salutem hominum. Sabbatū: sabbato disputat Paulus: quia usus sabbati est, ut in illo exerceamus uerbum.

Suadebatq; Iudæis & Græcis.

Id est, firmissimis argumentis & scripturæ testimo



nijis hortabatur Iudæos et Græcos, ut susciprent Euangelium. Iudæis & Græcis: Euangelium est uniuersalis doctrina pro omnibus hominibus. ad Gal. 3. Non est Iudæus, neq; Græcus.

Cum uenissent autem de Macedonia Silas & Timotheus.

Sicut iusserat Paulus eos ad se uenire, ut supra cap. 17. Et accepto mandato ab eo ad Silam & Timotheum &c.

Urgebat spiritus Paulum testificari Iudæis Iesum esse Christum.

Nihil intermittitur pro salute Iudæorum, ita quod spiritus sanctus urgeat Paulū, ut illis prædicet Euangelium ad salutem. Causa itaq; perditionis Iudæorum non in deo fuit, sed in Iudæis ex mera animi malitia nolentibus suscipere euangelium. Urgebat: fortassis lassum ad prædicandū ulterius Iudæis ingratis erga euangelium. Enthymema. Paulum urisit spiritus ut prædicaret Euangelium Iudæis: Ergo Paulus lassus fuit, Iudæis propter suam ingratitude, ulterius prædicare Euangelium. Nota quanq̄ uocatio non sit post habenda propter ingratitude mundi, tamen fieri potest, ut ex humana infirmitate reddamur lassi in nostra uocatione, propter mundi ingratitude.

Spiritus:

Spiritus: nota spiritus sancti officium esse prospicere hominibus de Euangelio. Testificari Iudæis Iesum esse Christum: id est, prædicare Iudæis Euangelium de Christo Iesu saluatore & protectore.

Testificari: serio prædicare.

Iesum esse Christum: id est, Iesum esse saluatorem Iudeorum, simul & protectorem: alterum exprimitur uoce Iesu: alterum uoce Christi, ut regis.

Summa prædicatio Euangelij est, Iesum esse Christum, id est, Iesum esse saluatorem & protectorem nostrum.

Contradicentibus autem eis  
& blasphemantibus

Hac gratitudine exceperunt Iudæi oblatum Euangelium offensi uilitate & contemptu Euangelij. Luca dictum hic locum habet cap. 2. Ecce positus est in ruam & resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicitur. Contra dicere & blasphemare effectus sunt animorum, qui sunt uilitate Euangelij offensi. Excutiens uestimenta sua dixit ad eos. Ex dolore et commiseratione super contradictione & blasphemijs Iudeorum contra Euangelium. Ad Ro. 9. Veritatem dico in Christo, non mentior, attestante mihi simul conscientia mea, per spiritum sanctum, quod labor mihi sit magnus, & assiduus

cruciatus cordi meo. Optarim enim ego ipse anathema esse pro fratribus meis, cognatis mihi secundum carnem &c. Et sic excutere uestimenta est hic signum doloris & contristationis pro Iudeis. Dolere autem & contristari pro Iudeis, in Paulo effectus charitatis sunt. Potest & hic exemplum impatientie esse in Paulo, ad quam ingratitudine Iudeorum excitatur. Et sic laborat Paulus humana infirmitate. Verum placent priora. Item placet et haec sententia, quod Paulus hac excussione satisfecerit mandato Christi, de non predicando Euangelium ingratis, Matthaei 10. Et quicumque non exceperit uos &c: excutite puluerem pedum uestrorum.

Potest & haec excussio uestimentorum, signum esse & opus zeli pro uera pietate, quam quia audiuit blasphemari Paulus, excussit uestimenta sua, unde monemur ingratis et blasphemis non esse predicanda Euangelium.

### Sanguis uester super caput uestrum

- Votum contra Iudeos, ut pereant, quia perire uolunt. Simile est uotum in Apocalipsi. Qui sordescit, sordescat adhuc. Hoc uoto reijcitur causa perditionis in Iudeos, postquam non aliteer uolunt, & excusatur deus, qui nihil omisit, ut salutem consequerentur Iudaei.
- Mundus

Mundus ego sum.

Consolatur se Apostolus conscientia recta, & à se  
transfert culpam perditionis Iudeorum in ipsos Iudeos.  
Mundus ego sum: quia nihil omisi pro salute uestra

Post hac ad gentes uadam.

Vestra ingratitude & blasphemia motus. Vides  
hic ingratitude Iudeorum causam fuisse, quod gen-  
tibus prædicatum fuerit Euangelium. Matthæi 21.  
Lapidem quem reprobauerunt edificantes &c. A do-  
mino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris.  
Ideo dico uobis auferetur à uobis regnum dei &c. Ad  
Ro. 11. Sed per lapsum Iudeorum salus contigit gen-  
tibus, in hoc, ut eos ad æmulandum prouocaret.

Et migrans inde.

Relictis Iudeis cõtradicentibus & blasphemantibus.

Intrauit in domum cuiusdam no-  
mine Iusti.

Hic Iustus cū Crispo archisynagoga, ex reliquijs  
Iudeorum fuerunt, qui salui fieri debuerunt. De qui-  
bus uide Esa. cap. 1. et 10.

Nomen adijcit propter historie certitudinem.

Colentis deum

Cõmendatio Iusti à studio pietatis ueræ. Ex cultu  
dei intellige simul & notitiã dei ueram, quam docet



*Euangelium. Colentis Deū: suscipientis Euangelium.*

*Locus presens est efficacia prædicationis Pauli.*

**Cuius domus erat coniuncta  
synagogæ.**

*Certam notat personam, & simul ostendit possibilitatem, quod iustus potuerit esse cultor Dei, quia communis synagogæ habitauit, in qua potuit discere uerbum de uera pietate & cultu Dei.*

**Crispus autem archisynagogus.**

*Alijs exemplis Lucas commendat efficaciam prædicationis Pauli, in signum Euangelij prædicationē non esse uanam, neq; inefficacem. Crispus, nomen adiicit, ut certam faciat historiam. Archisynagogus: conditionem uitæ addit, ut ualde commendet potentiam uerbi, quod potuit archisynagogum conuertere.*

**Credidit domino**

*Suscepit Euangelium & credidit Iesum esse Christum.*

**Cum omni domo sua.**

*Hæc faciunt ad exaggerationem potentie uerbi, quod potens fuit totam domum conuertere.*

**Et multi Corinthiorum.**

*Et uoce multi, & uoce Corinthiorum exaggeratur potentia uerbi, quod & multos & Corinthios luxu & crapula perditos peccatores potuit conuertere.*

**Audientia**

## Audientes credebant.

Quia fides ex auditu est: auditus uerò per uerbū dei, ad Roman. 10. Peccant contra hunc locum, qui contemnunt externi uerbi ministeriū, ut fidei causam. Credebant: ex certa fide statuebant Christum esse Iesum, hoc est, saluatorem & protectorem.

## Et Baptizabantur.

Iuxta illud. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui uerò non crediderit, damnabitur.

Due ergo res ad salutem sunt necessarie: fides & baptismus: ubi uerò fides adest, & si propter necessitatem non adsit baptismus, tamen impetrat salutem. Ast ubi quis potest habere signum baptismi, non est contemnendum. Baptizabantur: in certum signum remissionis peccatorum, & ut haberent certū signum diuini fauoris erga se: item, ut haberent signum certum, quod admonerentur de fauore dei, & conseruarentur in fide. Ad Roman. 4. Circuncisio est signaculum iusticie fidei.

Dixit autem dominus nocte per uisionem Paulo.

Supra dixi fieri posse, ut ministri uerbi propter ingratitude auditorum, reddantur impatientes, & cogitent deserere suam uocationem: attamen non

debet aut impatientes reddi, aut cogitare ut deserant suam uocationem, quia exemplo Pauli consolatur eos dominus, & suo tempore dat incrementum, ut homines credant. Docemur itaq; ne statim propter ingritudinem auditorum deseramus nostras uocationes, aut remissius agamus: fieri enim potest, quod deus multos ibi habeat, ubi nos nullum uidemus. Sic Elias se solum credidit cultorem dei, cum interim deus haberet adhuc septem milia, quae non curuassent suae genua coram Baal. Adumbratur hic ecclesia inuisibilis, nec exposita oculis. Ut uerbum & signa, quibus ducit deus ad suae uoluntatis cognitionem à deo sunt, ita & uisiones: igitur ait. Dominus dixit.

Per uisionem: idem est uerbi, signorum & uisionum usus, ut per has ducamur ad cognitionem uoluntatis diuinae.

**Noli timere.**

Consolatio contra scandalum paucitatis recipientium Euangelium. Noli timere: tristari aut abijcere animum, quasi iam nullus futurus sit Christianus in Corintho. Sed loquere & ne taceas.

Declarat aduersatiua oratione, quid sit non timere: nimirum loqui & non tacere. Vult dominus, ut aperto ore & cū fiducia et spe lucrandi multos Euangelio, loquamur.

**Nam**

Nam ego sum tecum.

*Aetiologia, cur debeat Paulus loqui & non tacere: sumpta à presentia dei, qui uult dare incrementum ad prædicationem Pauli. Enthymema. Tecum sum ego: Ergo tu noli timere aut remissius agere. Nam ego sum tecum: ut fortunem prædicationem tuam, & defendam te contra aduersarios.*

Et nemo inuadet te, ut lædat te.

*Consolatio contra scandalum crucis, quæ non potest accidere pijs, sine uoluntate dei, Matth. 10. Passer non cadit de aëse, sine uoluntate patris.*

Quoniam populus est mihi multus  
in hac ciuitate.

*Aetiologia alia, cur Paulus loqui debeat & non tacere: sumpta ab incremento, quod deus dabit ad prædicationem Pauli. Enthymema. Quoniam est mihi populus multus in hac ciuitate. Igitur loqui debes nec tacere.*

Sedet autem ibi annum & sex menses  
docens eos uerbum dei.

*Exemplum obedientiæ in Paulo, qui uoluntati diuine acquiescit, id quod fidei effectus est, quæ cõmittit se deo. Circumstantia temporis commendatur diligentia Pauli, quam adhibuit in sua uocatione.*



Gallione autem proconsule Achaiae  
insurrexerunt uno animo Iudaei  
in Paulum.

Confessionem uerbi sequitur crux. Inuidie exem-  
plum est in Iudaeis, qui cum ipsi nolunt acceptare Euan-  
gelium, alijs Euangelium inuident. Causa inuidie &  
sic presentis persecutionis Pauli est zelus Iudeorum  
pro operum iusticia. Gallione autem proconsule:  
haec addit propter certitudinem historiae. Vno ani-  
mo: unus idemque est omnium iusticiariorum animus  
aduersus iusticiam Christi gratuitam.

Et adduxerunt eum ad tribunal.

Adductio haec effectus est inuidie in Iudaeis.

Dicentes, quod contra legem hic per-  
suadet hominibus colere deum.

Accusatio, quod Paulus diuersa à lege doceat. Haec  
accusatio frequens apud Iudaeos fuit, quam ut falsam  
diluit & Christus occupatione, Matth. 5. Non ueni  
soluere legem, sed adimplere, Matthaei 22. Legis do-

- Etor interrogat Christum de mandato magno in lege,  
quia putat eum diuersa à lege adducturum: Christus  
autem de lege interrogatus, de lege respondit. Con-  
tra legem: non iuxta legem. Persuadet: fucatis &  
blandis uerbis. Colere deum: praecipuum est, quod  
malè

malè urget iusticiarios operum: scilicet contra falsum dei cultum loqui: & est hoc loqui contra falsum dei cultum, præcipua causa omnis persecutionis apud Iudeos: ex illa causa omnes ferè prophetae perierunt: sic perijt Stephanus, sic & alij sancti. Accusatio falsa est: nam Paulus non docuit contra legem colere deum: sed docuit uerum cultum dei ex uera legis interpretatione. Nota aduersarios Euangelij mendacijs agere contra ueritatem.

### Incipiente autem Paulo aperire os.

In hoc, ut Apostolus suam innocentiam allegaret, & diceret se falso accusari, quod cõtra legem persuadere hominibus colere deum, aut quod diuersa à lege doceat atq; interpretetur. Summa responsi Pauli fuisset, si illi permissum fuisset loqui, se nõ persuadere hominibusq; contra legem dei colere deum, nec diuersa à lege docere, sed uerũ legis usum. Exemplũ constantie fuit in Paulo, qui Iudæis accusatoribus nihil commotus fuit: uerbum aperte & constanter aperuit os suum ad confitendum uerbum. Confessio autem uerbi, fidei opus est, quæ ea quæ cognouit non potest tacere iuxta illud. Credidi, propter quod locutus sum.

### Dixit Gallio ad Iudæos.

In hoc Gallione exemplum est illorum iudicium, qui  
causam

causam religionis prorsus contemnunt & à se reijciunt, quasi rem ad se ciuiles iudices non pertinentem.

Enthymema. Ego sum ciuilis iudex.

Ergo ad me non nisi ciuiles cause spectant. Item.

Ego sum ciuilis iudex Ergo ad me non spectant cause religionis.

Si qua iniuria esset, aut facinus malum.

Periphrasis ciuilis alicuius iniurie & ciuilis mali.

O Iudæi. Captat beneuolentiam à Iudeis.

Merito uos sustinerem.

Pro meo officio & audirem uos & protegerem.

Potest hinc definitio ciuilis iudicis sumi, qui est iudex & defensor contra iniurias ciuiles & ciuilia mala.

Sapientie est ciuilis in Gallione, non acceptare causas de alieno foro.

Si uerò quaestio est de sermone & nominibus, & lege uestra uos ipsi uideritis.

Si Gallio ex sapientie non immiscet se peregrinis causis, prudenter ac sapienter facit, ne incidat in prouerbi-um. Ne sutor ultra crepidam. Item, periculosum est, de rebus pronuntiare, quarum intellectum non habes.

Longè insipientius & imprudentius hodie quidam magistratus

magistratus agunt, qui pronunciant contra causas religionis, quas non intelligunt. De sermone: interpretatorio, quo Paulus aliter interpretatus est legem, quam Iudæi. De nominibus: de genealogijs Iudæorum, de quibus sepe meminit Apostolus, ut 1. ad Timoth. 1. Ita facito, ut denuncies quibusdam, ne sequantur diuersam doctrinam, nec attendant fabulis & genealogijs nunquam finiendis, quæ quæstiones præbent magis, quam ædificationem Dei, quæ est per fidem. Et lege uestra: quis sit legis uerus intellectus: an lex abrogata sit, &c.

Vos ipsi uideritis: scilicet, qui ipsi istarum rerum cognitionem habetis, quam ego non habeo.

Iudex ego horum nolo esse.

Quia religionem uestram non intelligo, & præter meum officium est immiscere me causis ad meum forum non pertinentibus.

Et abegit eos à tribunali.

Tanquam eos, qui non pertineret sua causa ad tribunal.

Apprehendentes autem omnes Græci.

iram, qua Paulo nocere non possunt Corinthi, eam tuomunt & emittunt in Sosthenem, qui sine dubio Pauli partes tutatus est. Græci: Græcos intelligit Iudæos in Corintho Græciæ urbe morantes.

Sosthenem principem synagoge: qui iuuuit Paulum in pro  
 mouendo



mouendo Euangelio, quiq; & ipse Euangelio credidit.

Et nihil eorum Gallioni curæ erat.

Apparet ex his, quod Gallio & religionis Iudaicæ,  
& simul Iudeorum contemptor fuerit, è quo non curauit  
Sosthenem percuti.

Paulus uerò cum postea dies multos  
ibi commoratus esset.

Constantiæ fuit in Paulo, ingratitude Græcorum  
non offendi, & non deserere suam uocationem.

Fratribus ualedicens

Inter ualedicendū eos confirmans de ueritate Euangeli-  
j, & exhortans eos, ut permanerent in fide constan-  
tes.

Nauigauit in Syriam

Vt et alijs prædicatione Euangelij inseruiret, id quod  
charitatis fuit in Paulo.

In Syriam: ad quam postea deuenit, cum Aquilam  
& Priscillam secum Athenis recepisset.

Cum in Cenchræis caput rasisset

In uico seu portu Corinthiorum. Caput rasisset: ex  
necessitate, infirmitate, & charitate Iudeorum motus,  
non ut iusticiam aliquam in rasionem capitis poneret.

Docemur quæ sit ratio utendi indifferentibus, et quã-  
do illis uti liceat: nimirum tum, quando necessitas infir-  
mitas, et charitas proximi exposcit. Vide ea, quæ supra  
dixi

dixi, cap. 16. de causis ex quibus Paulus motus fuit ad circumcidendum Timotheum.

Caput rasisset: iuxta legem Iudaeorum, quae extat Numeri 6. de radendis Nazareis.

Finis rasionis in Paulo fuit, ut sic infirmos Iudeos lucraretur Euangelio.

**Habebat enim uotum.**

Actiologia rasionis, à uoto. Vouere non est impium: impiū uerò est aut fidere uotis, aut uouere impia.

**Deuenitq; Ephesum.**

Relictis Cenchræis. Ephesus metropolis Asiae minoris.

**Et illos ibi reliquit.**

Non recepit secum in synagogam.

**Ipse uerò ingressus synagogam disputabat cum Iudæis.**

Nihil nõ facit Apostolus pro Iudæis suis secundum carnem cognatis. De quo studio Pauli pro Iudæis, uide caput 9. ad Romanos. Synagogam: ut loco publico commendaret suam doctrinam.

Disputabat cum Iudæis: disputatio hæc referenda est ad confessionem uerbi.

**Rogantibus autem eis, ut ampliori tempore maneret.**

Studium Ephesorū pro audiendo uerbo, qui rogant  
Paulum

Paulū, ut ampliori tempore apud eos maneat, & prædicet eis uerbū dei. Pro Euangelij prædicatoribus rogant homines, quia est grata pro conscientijs doctrina.

**Nō consensit** Propter causam quæ sequetur.

**Sed ualedicens**

Optans illis omnia bona, & commendans illos deo, & confirmans illos de ueritate Euangelij.

**Omnino me oportet Ierosolymis agere id festum.**

Causa hæc est, cur non consenserit Paulus, ut ampliori tempore maneret Ephesi: sumpta à necessario.

Sed quas suæ profectiois habuerit Paulus causas, nō exprimit Lucas. Fortassis duxit Ierosolymitanam ecclesiam confirmandam esse de ueritate uerbi, exhortandam, ut permaneret in fide, ut conferret cum Apostolis super quibusdam articulis &c. Hæ & similes cause ueniunt colligendæ ex uoce festi, quod in festo uoluerit esse Hierosolymis, & non alio tempore.

Vana est opinio, quod Paulus Ierosolymam abierit propter festum Iudeorū, ibi more Iudaico celebrandū. Iterū autē reuertar ad uos deo uolente

Promissio reditus in solatium Ephesorum. Deo uolente: nam hominis est cogitare de uia sua: at deus disponit gressus eius.

Et soluit ab Epheso, & uenit Cæsareā.

Cæsarea urbs Palestinae est.

Ascendit & salutauit ecclesiam

Precatus est illi, omne bonum felicem successum, & foelix incrementum, confirmauit eam de ueritate Euangelij, exhortatus est eam, ut permaneret in fide &c.

Salutare ecclesiam opus charitatis est.

Et descendit in Antiochiam

Quae est Syriae urbs.

Et comoratus ibi aliquan-  
tum temporis

Scilicet ut confirmaret ecclesiam de ueritate Euangelij, & exhortaretur eam, ut in fide constanter permaneret.

Profectus est peragrans ex ordine Galaticam regionem & Phrygiam.

Felix peregrinatio Pauli, referenda est ad diuinam prouidentiam, qua deus suorum curam agit inter perigrinandum.

Gallatia Asiae minoris regio. Phrygia quoque

Confirmans omnes discipulos

Finalem fides profectionis Pauli causam, ut confirmaret ecclesias de ueritate Euangelij, & exhortaretur illas, ut permanerent in fide.



Iudæus autem quidam  
Apollo nomine.

Hec de Apollo historia, tanq̄ preparatoria accedit, propter sequentia 19. Capitis, quæ in Epheso circa discipulos Apollo contigerunt. Iudæus: signanter utitur Lucas hac uoce, Iudæis in solatium.

Apollo nomine: addit propter historie certitudinē.

Alexandrinus genere

Et patria seruit ad certitudinem historie, & simul designat certam personam.

Totus locus pertinet ad genus demonstratiuum, ad eam partem, qua commendantur persone. Alexandrinus genere: commendatio à patria seu genere.

Vir eloquens

Commendatio ab animi dotibus. Enthymema.

Scriptura cōmendat in Apollo eloquentiā: Ergo scriptura non dannat eloquentiam. Aliud

Scripturam commendat in Apollo eloquentiam:

- Ergo scriptura cōmendat in Apollo & artes, è qua paratur eloquentia. Artes uerò cum sint dona spiritus sancti, ergo et eloquentie donum spiritus sancti est, & reliqui aritū effectus dona eius sunt. A quibus ergo rebus cōmendatur hic Apollo? Respondeo. A donis spiritus sancti. Falsum est Apostolum, 1. ad Corinth.

1. & 2. cap.

2. & 2. cap. simpliciter damnare eloquentiam, quia  
inquit. Non ueni ad uos in erudito sermone.

Potens in scripturis.

Magnam habens scripturarum cognitionem. Sed  
unde habuit Apollo hanc magnam scripturarum co-  
gnitionē? Respondeo. Ex Theologiæ studijs, quæ hic  
stabiliuntur contra Anabaptistas. De quibus & Apo-  
stolus ait de Timotheo, 1. epistola ad Timoth. cap. 4.  
enutritus in sermonibus fidei bonæq; doctrinæ, quam  
usq; secutus es. Potens in scripturis: commendatio  
Apollo à Theologiæ studijs. Enthymema. Scripturæ  
cōmendat in Apollo Theologiæ studia: Ergo scri-  
ptura non reijcit aut damnat Theologiæ studia.

Hic erat edoctus uiam domini.

Exponit Lucas, per quæ media Apollo peruenit  
eò, quod esset potens in scripturis, & reddit possi-  
bile, quod primo aspectu uidetur impossibile esse. Me-  
dia fuerunt institutio & studia, sine quibus nun-  
quam accipimus cognitionem aut scripturæ, aut uie  
domini, quanquam spiritus potens sit etiam sine illis  
medijs, idq; miraculose dare cognitionem scripturæ  
& uie domini. Commendatur ergo hic Theolo-  
giæ studia unà cum uocali & audibili uerbo, quod  
os eloquitur, & aures audiunt.

Edoctus: per alios et, per sua studia. Viā domini: quæ  
 esset domini uoluntas. Viam domini uocat, quia uia illius  
 auctor est, & dat, ut uerè in illa incedamus,

Et feruens spiritu loquebatur & docebat diligenter ea, quæ sunt domini

Commendatio Apollo à serenua suorum donorum dispensatione, quæ charitatis effectus est, quæ sua dona non inuidet alijs, sed libenter & diligenter impartit ea proximo ad salutem. ad Rom. 10. Corde creditur ad iusticiam: ore autem fit confessio ad salutem: scilicet & suam & aliorum.

Et est fidei effectus in Apollo, feruens spiritu loqui & docere &c. Siquidem fides non potest cognita tacere: iuxta illud. Credidi, propter quod locutus sum.

Feruens spiritu: serium studium & magna diligentia notatur in Paulo. Loquebatur & docebat: discernit inter loqui & docere. Nam fieri potest, ut aliquis loquatur, qui tamen non doceat. Sic multi hodie loquantur Euangelium, sed pauci docent illud. Est enim docere Euangelium certa ratione & methodicis illud docere, ut inde certam aliquam Euangelij cognitionem accipiat ecclesia. Diligenter: commendatur diligentia in Apollo. Cernis hic quo studio & feruore sunt tractanda sacra: item, qua forma & ratione: scilicet

scilicet ut doceas ea non tantum loquaris ea.

Quæ sunt domini: non docuit Apollo sua somnia, sed uerbū domini. Sciens solū baptisma Ioannis. Nondum habens exactam Euangelij cognitionem, & rerum ad Euangelium pertinentium.

Vel: sciens solū baptisma Ioannis: id est, prima Euangelij principia &c. Ast quomodo daretur spiritus sanctus, quomodo dona eius, quomodo confirmarentur homines de Euangelio & rebus ad illud spectantibus, & similia ignorabat. Vel: sciens solum baptisma Ioannis: id est nondum sciens ad exactam euangelij cognitionem plura requiri, quàm prædicationem Ioannis, quæ sine spiritu sancto parum profuit.

Hic ergo coëpit fiducialiter  
agere in synagoga.

Id est, sine timorè apertè et constanter prædicare coëpit doctrinam Ioannis, id quod Paulus ad Ephesios 6. uocat prædicare cū apertione oris. Pertinent hæc ad confessionē uerbi, quæ fidei effectus est. In synagoga: ut aperto loco cōciliaret doctrine suæ autoritatē.

Quē cum audissent Priscilla & Aquila, assumpserunt eum, & diligentius exposuerunt ei uiam dei

Exemplum charitatis est in Aquila & Priscilla,



qui nondum perfectum Apollos in cognitione Euangelij melius instituunt. Assumpserunt eum: ex charitate ut causa. Et diligentius exposuerunt ei uiam Dei, id est, melius & perfectius instituerunt de Euangelij cognitione. In exemplo Apollos docemur, & illis sepe multa deesse, qui alioqui magna dona & multa habent in ecclesia. Oportet hic confiteri & fas esse uirum eloquentem & potentem aliis in scriptura, quaedam ignorare. Cum autem uellet ire in

### Achasiam.

Fortassis in hoc, ut inuideret ecclesias, & sic aliorum institutione ad exactam Euangelij cognitionem perueniret, etiam suam operam conferret in ecclesias.

Fratres scripserunt discipulis exhortati

Charitatis opus est in fratribus, scribere discipulis, ut Apollos suscipiant. Exhortati: ab inuicem fratres.

Commendantur testimonia ecclesie.

### Vt susciperent eum.

Conferrent in eum humanitatis officia, & in eum exercerent charitatis opera.

Qui cum uenisset, contulit multum his, qui crediderunt.

Potuit conferre multum credentibus, quia uir eloquens & potens in scripturis. Hinc finalis causa professionis

profectionis Apollo in Achaiam, aestimanda uenit, quæ sine dubio fuit, ut propter maiorē & exactiorē Euangeliij cognitionem conferret cum fratribus.

Vehementer enim Iudæos reuincēbat, publicè ostendens per scripturas, Iesum esse Christum.

*Aetiologia cur Apollo multum contulerit credentibus: sumpta ab expugnatione Iudæorum, quorum impiam opinionem contra Iesum, quod non esset Christus, scripturis expugnauit. Iudæi uilitate personæ Iesu offensi, negabant eum esse Christum uerum Messiam: contrarium probabat Apollo, uilem illam & contemptam personam, quæ Iesus dicebatur, tamen esse Christum uerum Messiam.*

*Iesum esse Christum: contemptam ac uilem personam, tamen esse uerum Messiam.*

## CAPVT XIX.

**S**eruat Paulus in initio huius capituli suam promissionem, quam fecit supra Ephesijs, de suo reditu, quando dixit: iterum autem reuertar ad uos uolente Deo. Docemur ergo exemplo Pauli, ut prædicatores sint suarum promissionum tenaces.

Factum est autem.

Connectendi formulæ Lucæ familiares.

MM 4 • Cum

Cum Apollo esset Corinthi.

Obiter Apollo mentionem facit Lucas, quia de discipulis Apollo post hac dicturus est.

Vt Paulus peragratis superioribus partibus.

De quibus in superioribus dictū est, ueluti in precedenti capite. Et soluit ab Epheso & uenit Cesaream, &c. Veniret Ephesum.

Iuxta suam promissionem, de qua supra.

Et inueniret quosdam discipulos.

Qui aut Apollo, aut alium habuerunt præceptorum, nondum habentem exactam Euangelij & rerum ad Euangelium pertinentium cognitionē. Præceptor itaq; infirmus, reliquit infirmos discipulos: item, præceptor nondum perfectus, reliquit discipulos imperfectos. Dixitq; ad eos.

In hoc, ut experiretur, num certam haberent doctrinam, & ut eos de certa doctrina institueret: si certam non haberent, id quod charitatis fuit in Paulo.

An spiritum sanctum accepistis credentes?

Quæstio de exacta Euangelij & rerum ad illud pertinentium cognitione. Non enim parua ignorantia est, ignorare spiritum sanctū & eius officia. Spiritus sanctum

sanctū: quē qui ignorat, nondū habet exactā Euangelij cognitionē. Vel est hic locus quæstio de donis spiritus sancti, an illa acceperint. Vel est quæstio, an acceperint spiritum sanctū in confirmatorē & obsecratorē. Credentes: id est, inter credendū, & dum credidistis.

OBIECTIO. Et si les donū spiritus sancti est: discipuli autē habuerunt fidē: ergo & spiritū sanctū.

RESPONSIO. Potuit spiritus sanctus fidem in discipulis operari, & si nihil de spiritu sancto sciverint: item, potuerunt habere spiritum sanctum illuminatorem ad recipiendum uerbum, & si nondum sciverint spiritum sanctum esse.

At illi dixerunt ad eum.

Exemplum ignorantie in discipulis, qui maximam Euangelij partem nondum intelligunt, quæ est scire, quod sit spiritus sanctus, & quæ eius officia sint. Ignorantia hæc non tollit in discipulis spiritum sanctum, ut illuminatorem in eis & fidei in eis datorem, quam discipuli ignorent, an sit spiritus. Sed neq; an spiritus sanctus sit aut uiuimus: causam ignorantie spectata, quæ est, quod nondū de spiritu sancto, audierunt. Transfertur ex non auditu causa ignorantie in ministrū uerbi, qui discipulos de spiritu sancto nō instituit.

Ille uerò ait. Ecce philanthropiam Pauli, qui



ignorantes non reijcit, sed pergit cum illis agere, donec fiant scientes.

In quo ergo baptizati estis? *Questio de doctrina, super qua & ad quam baptizati sint, ut causam ignorantie in discipulis de spiritu sancto explicet.*

Qui dixerunt in Ioannis baptismo.

Id est, super doctrina Ioannis, & ad doctrinam Ioannis. Baptisma signum doctrinae, accipitur pro ipsa doctrina.

Dixit autem Paulus

Confirmat Paulus baptisma et doctrinam Ioannis, et culpam ignorantie de spiritu sancto transfert in ignorantes doctores, excusando Ioannem q. d. Si estis baptizati baptismo Ioannis, recte estis baptizati. Nam baptisma Ioannis, non est diuersum a baptismo Christi: nec doctrina Ioannis diuersa est a doctrina Christi seu Euangelij. Quod autem nihil scitis de spiritu sancto, causa est in praepatore uestro, qui uos de illo non docuit. Non uult Paulus expositione baptismatis Ioannis, quasi discipuli Ioannis non recte baptizati sint: aut quod non etiam doctrinam a Ioanne acceperint, sed quod illi qui Ioanne baptisma & doctrinam acceperint, non recte discipulis instituerint postea. Vel potest hic locus esse de discrimine officiorum Ioannis & Christi. Ioannes baptizauit quidem baptismo poenitentiae, & docuit fidem in Christum

in Christum: at non contulit gratiã ad quam baptizauit, nec contulit spiritum sanctum, quæ de Christi sunt officio. Vult igitur dicere Paulus. Non est mirum, uos non accepisse spiritum sanctum, quia Ioannes illum nõ confert sed Christus. Verum placet prior sententia.

Ioannes baptizauit baptismo pœnitentię populum &c.

Id est, hæc est summa prædicationis Ioannis, unã cū baptismo eius, ut doleret homines de peccatis, ab his desisterent, & fide rursus se erigerent ad Christũ pro peccatorũ remissione. Enthymema. Ioannes baptizauit baptismo pœnitentię populum & dixit, ut crederent in eum, qui uenturus esset post ipsum, hoc est, in Iesum. Ergo neq; Ioannes, neq; baptismus, neq; doctrina eius in causa est, quod nescitis spiritum sanctum. Quæ ergo causa est? Respondeo. Præceptor, qui nõ rectè instituit discipulos de baptismo et doctrina Ioannis, neq; de spiritu sancto & alijs rebus ad exactam Euangelij cognitionẽ pertinentibus. Habes hic duas Euangelij partes in officio Ioannis expressas, quæ testantur Ioannem euangelium docuisse, & res ad illud pertinentes. Altera est prædicare pœnitentiam aut baptizare ad pœnitentiam: altera est prædicare fidẽ aut baptizare ad fidem in Christum, Lucæ ultimo. Prædicate, inquit  
 • Christus

Christus ad Apostolos Euangelij prædicatores, sub nomine meo poenitentiam & remissionem peccatorum. Duo docuit Ioannes, poenitentiam & remissionem peccatorum, cuius doctrinae signum fuit baptisma Ioannis, quod signa mortificationem à peccatis, & resurrectionem ad uitam.

His auditis baptizati sunt in nomine domini Iesu.

Id est, coeperunt à Paulo institui de exacta Euangelij cognitione, de spiritu sancto & alijs rebus ad Euangelium pertinentibus. In nomine Iesu baptizari discipulos, est illos institui perfecte de Euangelio, quod est doctrina de Iesu & de spiritu sancto, quem dat ac mittit Iesus: item, de alijs rebus ad Euangelium spectantibus, quas reuelat Iesus. Errant Anabaptistæ, qui sentiunt ex hoc loco duodecim discipulos à Paulo rebaptizatos esse, quod sentire est adserere Ioannem diuersam doctrinam à Christi doctrina, & diuersum baptisma à Christi baptismate. Baptisma hic ponitur pro doctrina: et est sensus uerborum: baptizati sunt: id est, instituti sunt.

In nomine domini Iesu: id est, de Euangelio, quæ est doctrina de domino Iesu. Nomen, Euangelium et quicquid de domino Iesu dici potest, & ad illam pertinet, significat.

Et cum imposuisset illis manus Paulus.

Effectus institutionis seu doctrinae de Euangelio exacta cognitione

cognitione, & de spiritu sancto sunt, accipere spiritum sanctum, loqui linguis & prophetare. Et cum imposuisset illis manus: scilicet postquam illos de Euangelio & spiritu sancto exacte instituisset, & imposuisset postea illis manus, insigni se nunc intellecturos uere quis esset spiritus sanctus, se accepturos spiritum sanctum in confirmatorem, obsignatorem, & uariorum donorum datorem. Impositio manuum est hic signum, per quod confertur spiritus sanctus, & dona eius.

Venit spiritus sanctus super eos.

In confirmatorem, obsignatorem, ductorem & rectorem, acceperunt spiritum sanctum: item, acceperunt eius cognitionem.

Et loquebantur linguis, et prophetabant.

Id est, uaria accipiebant spiritus sancti dona, uno dono pro uarijs posito. Loquebantur linguis: id est, accipiebant donum cum fiducia & uirtute loquendi Euangelium. Et prophetabant: id est, accipiebant uerum Euangelij intellectum, & exactam Euangelij cognitionem, ex qua & ipsi uere interpretabantur Euangelium, intelligebant res ad Euangelium pertinentes, uere sciebant, quis esset spiritus sanctus, id quod ignorabant prius.

Erant autem uiri fere duodecim.

Numerus uirorum certam facit historiam.

Ingressus



## Ingressus autem in synagogam.

In hoc, ut ostenderent se habere apertā & certam doctrinā. Qui enim ingreditur in synagogam, nō abhorret lucē, & qui lucem non abhorret, eius doctrina certa est. Ingressus: gloria Euāgelij & proximi cœcitate motus. Cum fiducia loquebatur.

Sine timore. Locus est de confessione uerbi. Cum fiducia loqui uerbū, est de uera forma loquendi uerbū. Sed loqui uerbū cum fiducia, est donū spiritus sancti.

Per tres menses disputans & suadens de regno dei.

Circumstantia temporis commendat sedulitatē & diligentiam Pauli in plantando Euangelio. Disputans: certa ratione docens de regno dei. Et suadens: inuitans & adhortans eos ad regnū dei amplectendū. De regno dei: de Euāgelio, de fide, de iusticia, de uitā eterna, & alijs rebus ad regnum dei pertinentibus.

Cum autem quidam indurarentur.

Euangelij prædicatio alijs in odorē mortis est, alijs in odorē uitæ: alijs occasio salutis est, alijs occasio interitus pertinaciæ, & cœcitatiss. Indurarentur: ex sua malitia, qua noluerunt credere Euangelio. Indurarentur: quos deus permisit indurari: nō indurauit ipse.

Et nō crederent. Effectus indurationis nō credere. Male-

Maledicentes uiaē domini coram  
multitudine.

Id est, maledictis obruentes ueram doctrinā Euangeliij, quam uiaē domini uocat, quam dominus incedit, & quam nobis dominus reuelat, ut & nos in illa ambulemus. Hoc maledicere effectus est incredulitatis, sicut benedicere effectus fidei.

Coram multitudine: ut eam ab Euangeliij doctrina amouerent & abstraherent.

Discedēs ab eis segregauit discipulos.

Ne & infirmi maledictis impiorum, de Euangeliij doctrina incerti ac dubitantes redderentur, neq; ab Euangelio abstraherentur. Specta curam Apostoli pro infirmis, quæ charitatis opus est.

Quotidie disputans in schola tyranni cuiusdam.

Paulus infirmos discipulos segregat: ipse uerò firmus in doctrina manet disputans cū maledicis aduersarijs. Quotidie: en diligentiam Pauli in plantando Euangelio, & charitatis magnitudinē erga ignorantia proximi. Disputans: locus est de confessione uerbi. In schola tyranni cuiusdā: Roterodamus. Suspexit fuisse secessum magnatis alicuius, in quo solitus sit otuari, quandoquidem schola Græcis sonat otium.

• Hoc

Hoc autem factum est per biennium.

Circumstantia temporis commendat sedulitatem  
& diligentiam Pauli, in plantando Euangelio; & in  
inferuendo proximo cum Euangelij prædicatione.

Ita ut omnes qui habitant in Asia.

Hyperbole: pro multis in Asia.

Audierunt uerbum domini Iesu.

Et per consequens illi crediderunt, causa posita  
pro effectu, fides enim ex auditu est. Verbum domini  
Iesu: id est. Euangelium quod est doctrina de domino  
Iesu, quod sit potens saluator. Item, uocat uerbum do-  
mini Iesu, quia dominus Iesus eius intellectum reuelat.

Iudæi atque gentiles.

Est enim Euangelium uniuersalis doctrina pro om-  
nibus hominibus, pro Iudæis & Græcis simul.

Virtutesque non uulgares faciebat deus  
per manum Pauli.

Prædicationem Euangelij rectè sequuntur miracula,  
per quæ Euangelium ut doctrina mundo incognita con-  
firmetur, & per quæ homines ad credendum Euange-  
lio inuitentur. Siquidem hic miraculorum usus est. Virtu-  
tesque; miracula, quæ uirtutes uocat, quia ad illa uirtus  
requiritur. Non uulgares: exaggeratio miraculorum.

Faciebat deus: miraculorum prima causa est deus:  
ministri

ministri uerbi tantum instrumenta & organa sunt, per  
 que Deus facit ea. Per manum Pauli : ut organi  
 & instrumenti.

Ita ut etiã super languidos deferrẽtur  
 à corpore eius sudaria et semicinctia.

Commendatur fidei magnitudo in his, qui sudaria  
 & semicinctia detulerunt super languidos, qui tantam  
 habuerunt fidem erga uerbum quod prædicabat Paulus  
 quod crediderint nõ opus esse, ut languidi audirent uer-  
 bum è Paulo ad sanitatem, modo crederent uerbũ Pau-  
 li: cuius sudaria & semicinctia ad illos deferebantur,  
 potens esse illis ad salutem. Vide ea, que supra dixi cap  
 5. de umbra Petri. Ridiculum est salutem tribuere suda-  
 rijs & semicinctijs, cum salus aut à Deo est, aut uerbo.  
 Semicinctia uocant succinctoria, que medium uestiunt  
 hominẽ. Et recedebant ab eis languores.

Recessio languorum & egressio malorum spirituum  
 effectus sunt Dei per manum Dei facientis miracula:  
 uel sunt effectus uerbi, quod prædicabat Paulus, & quo  
 sanabat egrotos: uel effectus fidei miraculose in Paulo

Causas horum effectuum uide supra cap. 3. Item,  
 Christus Matth. ei. 8. eiecit spiritus uerbo & malè ha-  
 bentes sanauit. Commentatur ergo his effectibus poten-  
 tia Dei, uerbi, & fidei.



## Tentauerunt autem quidam.

Locus communis hic tractatur de exorcismo, quod quid sit ex hoc loco apertum est. Est impostura, qua sub pretextu nominis seu uerbi dei mali spiritus eijciuntur, ad questum ab hominibus auaris & in hoc, ut impij retineantur in impietate & ad impietatem inuitentur, inuenta. Voco autem exorcismum potestatem illam, quam quidam sibi sine donis efficaciae, aut sanationis, & sine fide miraculosa, questus gratia ad eijciendum malos spiritus sumunt.

Causa huius exorcismi pretextus est nominis dei seu uerbi, quo etiam impij ad sua priuata comoda uti possunt diuina permissione.

Huius exorcismi finis est interitus, exemplo horum duorum, quos superauit demonium, &c.

Interim damnatione huius exorcismi, non tolluntur in pijs dona spiritus sancti, quae sunt donum efficaciae et donum sanationis: item, donum fidei miraculosa, quam qui habet, illi nihil est impossibile: imò hic si dixerit monti huic demigra, & demigrabit, Matthaei 17. Marci 16. Credentes sequentur haec demonia eijcient, &c.

Discrimen inter praedicta dona, & hunc exorcismum qui est impostura sub pretextu nominis dei, tale est. Exorcistae impostores non ex fide eijciunt malos spiritus.

ne ex donis spiritus sancti. Pij uerò ex donis spiritus sancti, & fide eijciunt malos spiritus.

OBIECTIO At sepe impij eijciunt demonia?  
RESPONSIO.

Id quod deus fieri permittit, ut per illa miracula impij retineantur in impietate, & alij ad impietatem inuidentur. Consule nostra Scholia in 7. & 24. caput Matthei: item, in 9. Actorum.

De circumeuntibus Iudæis, exorcistis

Hi circumeuntes Iudæi exorcistæ, eorum typum gerunt, qui circumeunt, & ad questum prætextu nominis seu uerbi Dei, eijciunt malos spiritus, qui ideò sinunt se eijci ab illis, ut sic impios in impietate detineant, & φοβισισ, Latinis adiuratorem sonat.

Inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen domini Iesu.

Quantum ad speciem seu externa attinet, uerè pij ab impijs hypocritis nihil differunt: utriq; enim nomine domini Iesu utuntur, eadē Biblia iisdē sacramētis, & c. Discrimen si quod est, ab interna fide & rebus internis petendū uenit. Quemadmodū Christus inquit Matth. 7. Non quisquis dicit mihi: Domine domine introibit in regnum coelorum, sed qui fecerit uoluntatem patris mei, qui in cœlis est: uoluntas autem patris est credere

in Christum. Et sequitur. Multi dicent mihi in illo die :  
 Domine domine nonne per nomen tuum prophetauimus,  
 & per nomen tuum demonia eiecimus, & per nomen  
 tuum multas uirtutes prestauimus? Ac tunc confitebor  
 illis. Nunquam noui uos. Discedite a me, qui operamini  
 iniquitatem. Inuocare : inuocatio hæc non est fidei  
 effectus, sicut aliàs esse solet. Inuocare : scilicet sub præ  
 textu & hypocrisi. Nomen domini Iesu : & impij  
 nomine dei abutuntur, sed non utuntur uerè.

Adiuramus uos per Iesum, quem  
 Paulus prædicat.

Insignis prætextus nominis Iesu, quem gerunt omnes  
 auari, qui quæstum faciunt ex religione.

Singule uoces insignem hypocrisin & prætextum  
 continent, quo opus habent, qui quæstus gratia fallere  
 uolunt. Adiuramus : prætextus ab adiuratione.

Per Iesum : prætextus nominis Dei.

Quem Paulus prædicat : omnium maximus præ  
 textus, ne uideantur exorciste aliū Deum inuocare atque  
 uerum Deum.

Erant autem cuiusdam Iudæi  
 nomen Sceuæ principis sacerdotum septem filij.

Hæc certam faciunt historiam, & simul à parente  
 conciliant

conciliant exorcistis auctoritatem & estimationem.

Respondens autem spiritus nequam, dixit eis: Iesum noui & Paulum scio.

Sequitur primum, quo tandem Diabolus donare solet eos, qui sibi aliquandiu in hypocrisi & sub prae-textu nominis dei seruiuerunt ad questum.

Porrò quanquam merito mirum hoc uideatur, quod Diabolus suos cultores superauerit et uulnerarit (quia Satanae regnum non est in se diuisum) tamen nihil mirū hic est. Nam quod spiritus nequā superet atq; uulneret exorcistas, non ex se facit id, sed quia cogitur obedire deo, qui exorcismum impium punit in impijs. Quare locus hic praesens referendus est ad uoluntatem dei qua uoluit atq; permisit impios exorcistas per malum spiritum puniri. Nec rarum hoc est, quod Deus in puniendis impijs, malorum spirituum ministerio utatur.

Spiritus nequam: natura ipsa nequitia, & alios nequam faciens.

Iesum noui & Paulum scio: habet Satanas notitiam dei & praedicatorum. Sed historicalem tantū & non salutarē, de qua notitia uide ea, quae dixi in 5. cap. Marci, & in 16. Actorum.

Nouit Iesum diabolus, non aliter atq; subditi nouerunt



runt tyrannum: quanquam cum Christo alia res sit, qui nihil tyrannicè, hoc est, præter officium facit. Nouit prædicatores uerbi, non aliter atq; extremos hostes, qui sedulo inuigilant, ut euertatur diabolus unà cum suo re-  
gno. Vos autem qui estis &

Satan tutus est ab illis, qui nomine Iesu aut uerbo Dei abutuntur, nec quicquam ab illis sibi timet. Cōmen-  
dat ergo his Satanas suam potentiam aduersus omnes, qui uerbo in prætextum malè utuntur.

Et insiliens homo in eos, in quo  
erat malum dæmonium.

Deo sic uolente & disponente, quò sic puniretur impietas in impijs exorcistis, nomen Dei in uanum acci-  
pientibus contra secundum præceptum.

Insiliens: poena impietatis & abusus nominis uerbi Eadem poena timenda est omnibus, qui uerbo dei quæ-  
sus gratia abutuntur. Item considera hic præmia, quæ solet Satanas dare suis cultoribus.

Præualuit ambobus & supe-  
rauit eos.

Ecce potentiam Satane, quam exercet permittente deo.

Ita ut nudi & uulnerati effu-  
gerent de domo illa.

Exaggeratio potentiae Satanae, & praemiorum, quibus persoluit suos cultores, questus gratia nomine Dei abutentes.

**Hoc autem notum factum est.**

De natura potentiae uerbi est, eam notam fieri & uulgari late fuisse; Et sane potens uerbum esse oportet cuius opera statim nota sunt omnibus?

Notum factum est: ut discipuli de ueritate Euangelij confirmarentur, & nondum credentes ad fidem erga Euangelium inuitarentur: item, ut innotesceret exorcisnum esse demonum imposturam.

**Omnibus Iudaeis atque gentibus.**

Quia Euangelium est uniuersalis doctrina pro omnibus: ergo & effectus seu opera Euangelij, uniuersalia esse decet. **Qui habitabant Ephesi.**

Certas personas notat.

**Et accidit timor super omnes illos,  
& magnificabatur nomen domini Iesu.**

Communes & uulgares effectus, qui sequi serè ad omnia uerbi miracula solent. Timere est suam indignitatem pra uerbo cognoscere, se ut indignum pra uerbo accusare & damnare. Magnificare nomen domini Iesu: est fide rursus resurgere ex sua indignitate ad

gratiam, & est de uerbo multum sentire, & gratias agere domino pro tam potentibus uerbi miraculis & beneficijs. Commendant hi effectus potentiam uerbi & miraculorum, quod si non plus efficiat in suis auditoribus tamen eos ad minus timere facit, & magnificare nomen domini Iesu. Magnificatio nominis Iesu fidei effectus est. Vides & hic duas poenitentiae partes adumbratas, timere & magnificare nomen domini Iesu: altera contritionis est: altera fidei.

**Multi credentium ueniebant cōfiteres & annunciantes facta sua.**

Et haec agunt de effectibus miraculorum uerbi, qui sunt homines ad credendum uerbo inuitare, & facere eos confiteri & annunciare sua facta. Multi: commendantur miracula uerbi à sua potentia, qua potens est uerbum multos conuertere. Credentium: qui ad factum miraculum crediderant. Veniebant, potentia uerbi & miraculi moti. Confiteres & annunciantes facta sua: id est, accusantes & damnantes se propter sua peccata. Inuersio est hic locus, qui in dualibus poenitentiae partibus consistit. Contritionis sunt: confiteri & annunciare facta sua. Fidei est rursus fide fugere ad gratiam.

Vel confessio & annunciatio factorum suorum facta dei effectus est, quae non aliud nouit quam suam indignitatem

nitatem & humiliationem prætere. Primus gradus ad salutem est, cōfiteri & annunciare facta sua: secundus est, è suis factis atq; peccatis erigere se fide ad remissionem peccatorum.

Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt eos coram omnibus.

Veri pœnitentes etiam factis declarant se uerè pœnitere. Congregatio librorum et combussio, in pœnitentibus certa sunt facta, quibus pœnitentes se uerè pœnitere testantur. Nota non satis esse ad pœnitentiam uerbis confiteri sua peccata, nisi & factis te uerè pœnitere ostendas. Sic multi hodie uerbis confitentur suos errores: interim se errasse factis non declarant. Habes hic integræ pœnitentiæ descriptionem. Curiosa sectati τὰ περιεργα περιεργων: id est, qui curiosas artes exercuissent. Intelligit per hos, qui fuerunt curiosa sectati eos, qui magicis artibus & superstitiosis exorcismis dederunt operã. Curiosa uocat ea, quæ superuacanea sunt quibus aliquis consultius carere potest quàm ea habere.

Coram omnibus: ut publicè testarentur se se uerè pœnitere, & ueram pietatem amplecti.



Et computato precio illorum, inuen-  
runt pecuniam denariorum  
quinquaginta milium.

Exaggeratio ueræ poenitentiae in poenitentibus, qui  
non dubitant etiam cum magno rerum familiarum sua-  
rum incommodo, poenitere. Monent hi poenitentes nos,  
ut charissima quæq; nomine Euangelij postponamus, si-  
cut & Christus docet, Matthæi. 10.

Ita fortiter crescebat uerbum dei &  
preualebat.

Q. d. Lucas adco adficiēbantur amore & studio  
uerbi, quod etiam priuata sua commoda præ uerbo ne-  
gligerent, et uerbo postponerēt. Fortiter: quia fortis ani-  
mi est priuata commoda uerbi nomine negligere. Cres-  
cebat: non uno impetu surgit uerbū, sed sensim ac sens-  
sim, non aliter atq; granum in terram proiectum, sens-  
sim ac sensim excrescit. Verbum Dei: cuius autor est  
Deus, & cuius intellectum Deus reuelat Et preualebat  
contra omnes suos hostes, & quanto magis persecutio-  
nem patiebatur uerbum, tanto magis crescebat, & feli-  
cius procedebat. Commendatur potentia uerbi Dei.

His autem expletis. Scilicet Ephesi.

Proposuit Paulus in spiritu.

Id est consilio, motione, & instigatione spiritus an-  
ti

Et secum constituit. Notat peregrinationem sequentem non temere contigisse.

**Transita Macedonia & Achaia, ire Hierosolymam.**

Vt ibi fratres confirmaret exhortareturq; ut in fide permanerent, quemadmodum supra audiuimus cap. 24

Dicens. In spiritu & ex spiritu.

**Quod postquã fuero ibi, oportet me & Romam uidere.**

In hoc, ut confirmem fratres, eosq; exhorter, ut in fide permaneant. Cõmendatur studiũ & diligentia in Paulo, quam habuit pro ecclesie incremento & conseruatione. Oportet urgentibus charitate & necessitate, ut causis motus.

**Mittens autem in Macedoniã duos ex ministrantibus sibi.**

Quò Macedonienses de ueritate Euangelij confirmarentur, & exhortarentur, ut in fide constantes permanerent. **Timotheum & Erastum.**

Nomina addit propter historie certitudinem.

**Ipse remansit ad tempus in Asia.**

Vt & ipse Asiaticos confirmaret de ueritate Euangelij, ad constantiam confortaret, & nondum credentes de Euangelio institueret &c.

• **Facta**

Facta est autem illo tempore turbatio  
non minima de ista uia.

Confessionem urrti sequitur crux, cuius usus est, ut  
illa piorum fides exerceatur.

Facta est autem turbatio : turbationis huius causa  
non est in Euangelio, sed in incredulitate mundi, qui nō  
uult Euangelio credere, & quia non uult illi credere,  
quare cogitat de turbatione, qua Euangelium & huius  
confessores perdat.

Illo tempore : notat certum turbationis exorte tem  
pus ut significet tum turbationes fieri, quando prædi  
catur Euangelium, quod quia mundus suscipere detre  
ctat, ideo ad turbationes & seditiones se accingit.

Rogo diligenter notes eos, qui tempore prædicati  
Euangelij soleant turbationes & seditiones ciere : nimi  
rum increduli erga Euangelium. Non minima : ex  
aggeratio turbationis, ut scias omnium maximas esse tur  
bationes & seditiones, quæ contra Euangelium excitantur.  
De ista uia : Lucas in personis aduersantibus Eu  
angelio, de euangelio contemptim loquitur . De ista  
uia: q. d. Lucas, de qua sic cōtemptim loquitur mundus  
de ista uia : de prædicatione Euangelij, quæ est ad uitā  
uia Demetrius enim quidam nomine  
argentarius.

Hic Demetrius illorum typus est, qui propter priuatum quæstum, qui ad Euangelij prædicationem perire solet, excitanturbationes & seditiones contra Euangelium, quibus extinguatur. Simile exemplum supra habuimus cap. 16 in dominis, qui magnum quæstum faciebant ex puella, quæ erat spiritu pythonico obsessa. Extat & simile exemplum Mathæi 9 in Gaderenis, qui propter diminutionem uictus abigunt Christum. Nec hodie uia exempla similia in mundo desunt, proh dolor, quam plurima. Nomen addit unà cū conditione, propter historie certitudinem, et ut causam turbationis seu seditionis in Demetrio ostendat, qui quia argentarius fuit, igitur & uidit sibi minui uictum ad Euangelium, non potuit, non turbationem contra Euangelium excitare.

Faciens ædes argenteas Dianæ,  
prestabat artificibus non modicum quæstum.

Designat Lucas certum argentarium à suis operibus seu effectibus. Aedes argenteas: enallage specterunt. Nam æles ponit pro ædiculis, id est, pro thecis in quibus reponerantur statuæ Diane.

Præstabat artificibus magnum quæstum: hæc signanter addit ut insinuet causam ex qua Demetrius motus fuit unà cum alijs opificibus persequendi Euangelium



ut doctrinā, quæ nō est de pane lucrando. Non modicā  
exaggeratio quæstus, qui prouenit ex ficticia religione

Quos conuocans et reliquos talium  
rerum opifices.

Impietas non est contenta, ut ipsa persequatur Euan-  
gelium, nisi & alios ad persequendum illud prouocet.  
Conuocationis finis est, ut perdatur Euangeliū & eius  
professores. Et reliquos talium rerum opifices quos De-  
metrius sciuit propter interitum priuati quæstus facile  
contra Euangelium commoueri posse. Viri scitis.

Vehementes impiorum adfectus, non permittunt iusta  
exordia. Oratio Demetrii suasoria est & plausibilis  
quia suadet contra doctrinam, quæ incommodat priua-  
to quæstui. Summa & efficacissima est suadendi ratio  
quæ ab utilitatibus priuatis sumitur. Enthymemata.

Euangelium incommodat priuato quæstui :

Ergo Euangelium persequendum est et proscrībendū

Item. Prædicatores Euangelij incommodant pri-  
uato quæstui : Ergo prædicatores Euangelij damnandū  
& delendū sunt.

Quod ex hoc artificio est nobis  
quæstus.

Insinuatio à priuatis commodis.

Summa orationis Demetrii est. Euangelium nobis in-  
commodat

commodat : ergo persequendum est & proscribendum  
 Item predicatorum Euangelij, incommodant nobis: ergo  
 delendi sunt & fugandi. Incidit in consultationem, Eu-  
 uangelium non esse doctrinam de pane lucrando.

Ex hoc artificio : magna inest pronomini emphasis.

Q. d. Ex hoc artificio nobis questus est : ergo prospi-  
 ciendum est, ut hoc artificio defendamus. Argumenta  
 Demetrii suasoria sunt ab effectu ad causam, ut:

Questus perit ad euangelium : Ergo & questus cau-  
 sa ipsum artificio. Verum hic fiunt dicta. Honos alit ar-  
 tes. Questus seruat artificio.

Et uidetis et auditis.

Id est, certo scitis. Suadet Demetrius persecutionem  
 Euangelij non producendam. Persuasio autem est ab  
 oportunitate temporis seu à necessario.

Quod non solum Ephesi, sed penè in  
 tota Asia.

Exaggeratio incommodorum, quæ adiungit Euange-  
 gelium artificio, à circumstantia locorum.

Paulus hic suadens auertit multam  
 turbam.

Accusatio Pauli, qua accusatur tanquam ille, qui sua  
 predicatione obsit priuato questui.

Dicens quod nō sunt dñi qui manibus  
 fiunt.

Pecca

Peccatum Pauli & malefactum, propter quod accusatur à Demetrio, in hoc consistit: non esse Deos qui manibus fiant. Nota quod Demetrius malefactum in Paulo iudicat, id coram Deo esse rectissimum factum. Verum id iudicij cœcitat̃is & ignorantie effectus est in Demetrio. Sic omnia ferè facta propter quæ ab impijs accusantur pij, coram Deo rectissima sunt. Non pauci his nostris temporibus accusati & damnati fuerunt, tantum quia rectissimum hoc dogma coram Deo professi sunt. Solam fidem in Christum Iesum iustificare. Ioannes idem docuit, quando dixit Deus spiritus est, ergo non est creatura.

Non solum autem hæc pars periclitabitur ne reprobetur, sed et magnæ Dianæ templum nihil fiet.

Nota non postremas causas esse odij & persecutio- nis erga Euangelium, privati questus ambitionem, curam uentris, et studium uictus. His causis nec hodie quidem in mundo aliquid aliud frequentius est. Demetrius eorum typum gerit, qui aliquid incommodi in uentum agunt propter Euangelium: at omnia priuata incommoda Euangelio postponere non possunt. Hæc pars: priuatus questus in Asia reliqua, ut leuior. Sed & magnæ Dianæ templum nihil fiet: timor maioris incommodi pretextum

prætextum pietatis Demetrius hypocrita prætendit ut  
 facilius persuadeat. Exemplum hypocriseos in De-  
 metrio, qui prætextū pietatis prætendit, ut priuatū suū  
 quæstū tegat. Gerit Demetrius illorū typū, qui ad excu-  
 sandū priuatū quæstū suū, & auaritiā suā prætendunt  
 pietatem. Valde emphatica sunt hæc uerba: sed & mag-  
 ne Dianæ templum nihil fiet: quæ loquitur Demetrius  
 quasi cum commiseratione. Enthymema suasorium à  
 pietate. Timendū est, ne ad Euangelij prædicationē ni-  
 hil fiat templum Dianæ magnæ: Ergo resistere Euan-  
 gelio pium est.

Et destrui incipiet maiestas eius, quā  
 tota Asia & orbis colit.

Exaggeratio incommodi à multis periculis, quæ om-  
 nia, (q. d. Demetrius) hortari nos debent, ut Euangelio  
 resistamus. De Diana Ephesina uide Coelium libro. 10.  
 cap. 6. Macrobiū & alios. De templo Dianæ & tem-  
 pli maiestate Solinum cap. 53. Per Dianā intelligit illā  
 quam Græci, πολύμησον, id est, multimammam uo-  
 cant. Asia Diana est illa iaculatrix. His auditis.

Oratio Demetrii suasoria fuit, & plena eloquentia

Sequuntur nunc fructus seu effectus orationis suaso-  
 riæ apud auditores: itē effectus eloquentiæ, qui est per-  
 suasio. Commendantur suasoriæ orationis à sua effica-



cia: item, cōmendatur eloquentia à sua efficacia: tandem significatur, quæ sint ad persuadendum efficacissima argumenta: nimirum illa, quæ ab utili petuntur. Id quia uerum est in ciuilibus, longè maximè uerum est in persuasionibus contra Euangelium, contra quod facile commouentur, qui audiunt illud esse doctrinam nocentem uictui. His auditis; Euangelium non esse doctrinam de pane lucrando. Specta effectum odij & persecutionis contra Euangelium.

**Repleti sunt ira.** Effectus audite orationis de Euangelio nocenti priuato quæstui, ipsa ira et exclamatio. Repleti: Euangelium non leuiter ledit eos, quos ledit: imò acerbissimos adfectus incitat in aduersarijs suis. Magna Diana Ephesiorum.

Prætextus pietatis, ut seruetur priuatus quæstus.

Vox magna ostendit, quod cum Diana magnam idolatriam exercuerint Ephesi.

**Et impleta est ciuitas tota confusione**

Vide quid non efficiat prætextus pietatis in uulgo, quod caret omni iudicio, & hypocrisi facilimè decipitur. Descriptio seditionis, quæ est incredulitatis erga Euangelium effectus: item incredulorum animorum, qui priuatum quæstum pluris faciunt, quàm Euangelium.

Seditio ex hoc loco describitur confusio cum impe

tu in innocentes. Et sanè in seditione nihil sit certa ratio  
ne neq; consilijs certis.

Et impetum fecerunt uno animo  
in theatrum.

Impetus hic effectus seditionis est, ostendens in se-  
ditione omnia agi ex tyrannide.

Rapto Caio & Aristarcho Mace-  
donibus comitibus Pauli.

Et raptio hæc seditionis effectus est, in qua non dis-  
cuntur aut assumuntur homines, sed rapiuntur. Locus  
est de cruce piorum.

Paulo autem uolente prodire ad pe-  
lum, non permisit discipuli.

Constantie est in Paulo, uelle prodire ad populum.

Charitatis est in discipulis, non permittere Paulo,  
ut prodeat.

Quidam autem, & de Asiæ  
principibus.

Et in his principibus charitatis exemplum est. Con-  
solatoriū est, deum tamen in ipsa seditione habere suos,  
qui se suorum assumunt, & illis bene uolunt.

Monentur Principes, ne frigidam aquam ut dicitur  
suffundant ad seditionem uulgi contra Euangelium.

Qui erant amici eius.

Fauebant & personæ & doctrinæ Pauli.

Miserunt ad eum rogantes.

Ecce philanthropiam principum.

Ne prodiret in theatrum. Id est, ne temerè & præter necessitatem inijceret se periculis.

Atq; autem aliud clamabant.

Sicut fieri solet in seditione.

Erat enim concio cõfusa, & plures nesciebant, qua ex causa conuenissent.

Viuacissima hypotyposis seditionis, in qua nihil consilijs neq; ratione agitur: umò omnia in illa aguntur ex confusione & ignorantia. De proprietate seditionis sunt, ad eam confusam concionem confluere, & homines ipsos confluentes nescire, qua ex causa conueniant.

Idem dicunt de seditionis proprietatibus Poëta, & historiographi, quorum scripta huc referri debent. Exstat inter alias descriptiones seditionis, insignis lib. 1. Aeneidos apud Vergilium. Ac ueluti magno in populo cū saepe coorta est Seditio, seuitq; animis ignobile uulgus.

Iamq; faces, & saxa uolant, furor arma ministrat.

Ex turba autē produxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudæis.

Studium pacis in Iudæis est, qui producunt Alexandrum, ut per eum sedetur & componatur seditio.

Propellentibus: in hoc, ut sedaret & componeret  
 seditionem.

Alexander autē manu silentio postu-  
 lato uolebat rationē reddere populo.

Exemplum ciuilibus prudentiæ & pacifici animi in  
 Alexandro est. Prudentiæ ciuilibus est, prospicere seditio-  
 nis futura incommoda. Pacifici animi est, laborare pro  
 pace & seditione. Manu silentio postulato: in hoc  
 ut posset commodius loqui. Enthymema. In seditione  
 Alexander manu postulauit silentiū: Ergo in seditione  
 omnia aguntur clamoribus. Volebat rationē reddere po-  
 pulo: scilicet iniusti cōkursus et malè cœptæ seditionis.

Quem ut cognouerunt Iudæum esse,  
 uox facta est unā omnium.

Facile offenduntur seditiosi, ut non audiant eos, qui  
 student seditiones componere. Siquidem hic offendun-  
 tur seditiosi genere seu conditione Alexandri.

Enthymema. Alexander Iudæus est: Ergo Ale-  
 xander non est audiendus.

Vox facta est unā omnium: & hæc qualitatem sedi-  
 tionis depingunt, in qua non unus aut alter clamat, sed  
 unā omnes.

Quasi per horas duas clamantium.

Exaggeratio clamoris à circumstantia temporis.



## Magna Diana Ephesiorum.

Id clamant, de quo incoepa est seditio, & propter  
quod. Et cum sedasset scriba turbas.

Reprobato Alexandro ut homine suspecto, hic scri-  
ba progreditur sedandæ seditionis gratia.

Vide Ciceronem lib. 1. Officiorum, de rebus seu vir-  
tutibus, quibus oporteat præditum esse eum, qui uult cū  
cōmuni populo agere. In hoc scriba similiter exem-  
plum est ciuilibus prudentiæ & pacifici animi in hoc la-  
borantis, ut componatur seditio.

Oratio scribæ dissuasoria est ab iniustis seditionis  
causis, & à periculis sequentibus seditionem ex temeri-  
tate incoepam. Ab altera parte suasoria est ad pa-  
cem & ciuilem iusticiam, iuxta quam omnia disponere  
æquum est. Commendatur imprimis in hac oratio-  
ne eloquentia à suo effectu, qui est persuasio.

Vergilius lib. 1. Aeneidos præcedentibus de seditio-  
ne uersibus, adiicit et hos quibus eloquentiæ fructus in-  
sinuat in componendis seditionibus.

Tum pietate grauem, ac meritis, si forte uirum quem  
Conspexere, silent, arrectisq; auribus adstant.

Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Sedasset: ad silentium.

Viri Ephesij.

Insinuatio à patria.

Quis est hominū, qui nesciat Ephesiorū ciuitatē cultricē esse magnæ Dianæ, & simulachri cœlitus delapsi?

Insinuatio à rebus, quas libenter audiunt Ephesij, et de quibus nemo dubitat. Nota in sedandis seditionibus ita agendum esse, ut primum maxime dicas & urgeas ea, quæ putas seditiosos libenter audire, ut hac ratione tibi ingressum facias, attentosq; auditores tibi pares. Quis est hominum: extenuatio causarum seditionis. Magnæ Dianæ: multimammis, non iaculatricis.

Et simulachri cœlitus delapsi: à loci circumstantia opifices & alij, qui questum ex simulachro fecerunt, addiderunt simulachro auctoritatem, & finxerunt illud è cœlo delapsum esse.

Cum ergo his nemo contra dicat, oportet uos sedatos esse, & nihil temerè agere.

Status orationis in syllogismum includi potest.

Quicumq; contradicit Ephesiorum ciuitatem esse cultricem magnæ Dianæ, et simulachri cœlitus delapsi contra illum tumultuandum & agendum est.

Nemo autem contradicit Ephesiorum ciuitatē esse cultricē magnæ Dianæ & simulachri cœlitus delapsi:

Ergo contra neminem tumultuandū & agendū est.

Et sicut hic Petrus ait, oportet uos sedatos esse, et nihil temere agere. Ostendit scriba Ephesios non habere iustas ac sufficientes seditionis causas. Adduxistis enim homines istos neque sacrilegos, neque blasphemantes deam uestram.

Excusatio eorum propter quos orta est seditio.

Enthymema. Adducti neque sunt sacrilegi, neque blasphemantes deam uestram: Ergo cum adductis temere agitis. Adduxistis enim: etiologia cur oporteat a seditione desistere et sedatos esse ab innocentia eorum, propter quos incepta est seditio.

Quod si Demetrius & qui cum eo sunt artifices.

Ab equo et iusto consulit scriba, ut priuatae causae in foro discernantur, non per seditionem tractentur: item consulit indecorum esse, ut tota ciuitas propter priuatas causas concurrat. Enthymemata. Forum iusticiae habemus

Ergo non est tumultuandum. Item. Priuatae sunt causae Demetrii et artificum: Ergo priuatis se admiscere totam ciuitatem non decet.

Habent aduersus aliquem causam. Priuatam. Conuentus forenses aguntur.

In quibus componuntur lites, et discernuntur causae

Et proconsules sunt.

Ciuilis

*Civilis magistratus, cuius est componere causas.*

**Accusent inuicem.** *Sicut decet eos, qui aliquid aduersus aliquem habent. Si quid autem de alijs rebus postulatis.*

*Pro conseruatione honoris magnæ Dianæ, & simul Iachri coelitus delapsi.*

**In legitima concione poterit absolui**

*Nota ne quidem propter publicas causas excitandas esse seditiones, sed in legitima concione absoluendas. Item, nota hic quid sit seditio: nimirum illegitima concio. Legitimam concionem uocat, in qua secundum iusticiam, & leges agitur.*

**Nam periculū est, ne accusemur seditionis hodiernæ.**

*Dissuasio à periculis, quæ sequi solent seditionem. Ne accusemur hodiernæ seditionis: id est, cuius non habuimus iustas causas, sicut & sequitur.*

**Cū nulla causa sit, unde possimus reddere rationem concursus istius.**

*Scilicet iusta legitima. Et cum hæc dixisset missã fecit concionẽ. Orationi colophonẽ imposuit.*

C A P V T XX.

**C** *Ohæret historiæ series. In fine præcedentis capituli scriba suæ orationi contra seditionem finem*



imposuit : sequitur in initio huius capituli , orationis finis, qui est persuasio, quæ quoque eloquentiæ fructus est.

Postquam autem cessauit tumultus.

Cohærentia ex circumstantia temporis. Cessauit tumultus: cessatio tumultus seu seditionis, orationis scribæ & eloquentiæ effectus est. Spectant huc carmina Vergilij paulo ante producta de eloquentiæ fructibus.

Vocatis Paulus discipulis, & exhortatus est eos, ualedixit.

Monet Paulus sua uocatione discipulorum, non satis esse suscipere Euangelium, nisi & apud Euangelium ad finem usque permanere possint discipuli, exhortatur eos & ualedicit illis. Exhortatus est eos : ut in fide constantes permanerent. Ualedixit : id est, precatus est illis omne bonum, incrementum in cognitione rerum spiritualium &c. Et profectus est.

Ecce curam Pauli pro ecclesijs, ut in fide constantes maneat. Et profectus est : non timore crucis, quæ illi apud Ephesios imminerebat : uerum ut ecclesias in Macedonia & alijs regionibus de doctrina ueritate confirmaret, & exhortaretur, ut permanerent in fide. Quia Paulus subinde legitur reuissitasse cõfirmationis gratia ecclesias, unde credendum est annuam uisitationem ecclesiarum à ueteribus fuisse institutam.

Vt iret in Macedoniam.

Propter nunc sepe dictas causas.

Cum autem peragrasset partes illas.

In verbo peragrasset exprimitur diligentia Apostoli. Illas partes : Macedoniae.

Et eos exhortatus fuisset multo sermone. In hoc, ut constantes & apud synceram doctrinā & fidē verā permanerent. Habuit Paulus grauissimas causas suae exhortationis. Nā non minor labor est tueri Euangeliū, quā acquirere. Multo sermone: nota Apostoli diligentiam. Sermone: id est, uerbo Dei, non suis somnijs. Venit in Graeciam.

Ad quam facilis est ex Macedonia transitus.

Vbi cum fuisset menses tres.

Et haec tēporis circumstantia cōmendat diligentiam Pauli. Facte sunt illi insidiae à Iudæis nauigaturo in Syriam.

Confessionem uerbi sequitur crux.

Insidiae: quibus Paulum in suo officio impedirent:

A Iudæis: hi eorum typum gerunt qui struunt insidias, ut Euangelium in felici suo cursu impediatur.

Decreuitq; reuerti per Macedoniam.

Disponit homo de uia sua.

Comitatus est autem eum Sosis pater  
Berrhœensis, Thessalonicen-  
sium uerò Aristarchus, &c.

Hi omnes comitati sunt Paulum, non ut otiose uaga-  
rentur, sed ut simul inuiterent Paulū in cōfirmandis ec-  
clesijs. Nomina fratrum, & circumstantiæ locorum,  
faciunt ad certitudinem historiæ.

Hi cum præcessissent.

Fortassis recta uia, cum Paulus indirecta uia pro-  
pter distantiam ecclesiarum uteretur.

Expectauerunt nos Troade.

Que est Asiæ ciuitas.

Nos uerò nauigauimus post dies azy-  
morum à Philippis.

Fœlix peregrinatio Pauli, referenda est ad locum cō-  
munem de prouidentia dei, qua deus ubiq; Pauli curam  
egit. Post dies azymorum: nō fit uerisimile, quod Pau-  
lus iudaico more ipsos dies azymorū celebrārit, aut si  
celebrārit, fecit id propter infirmos. Philippis: que  
est Macedoniae urbs.

Et uenimus ad eos Troaden.

Apparet & Lucam in ea peregrinatione fuisse, quia  
ait: Venimus. In diebus quinque.

Circumstantiæ temporum faciunt ad certitudinem hi-  
storiæ

storiæ, & reddunt peregrinationem uisibilem.

Vbi cōmorati sumus diebus septem.

Vt eò melius confirmaremus ecclesiam & exhortaremur ad constantiam in fide : uel ut lassas uires longa peregrinatione repararemus.

Vna autem sabbati, cum uenissemus ad frangendum panem.

Id est, festo die, & sic fortassis die Dominico, sicut quidam putant. Ad frangendum panem : rectè fregit panem Paulus in signum mutue consolationis & charitatis, qui nunc erat abiturus. Per fractionem panis hic intelligo cœnam Dominicam.

Causæ quibus motus fuit Paulus frangere panem, hæc & similes narrari possunt : ut ecclesiam & sic seipsum cœnæ dominicæ signo confirmaret & solaretur de fauore & gratia dei, ut admoneret ecclesiam & seipsum promissionum dei, ut erigeret ecclesiam & seipsum ad fidem, ut exhortaretur ecclesiam & seipsum ad mutuam charitatem. Siquidem cœna dominica signum est fauoris & gratiæ Dei, admonens nos de promissionibus Dei, erigens nos ad fidem in tentationibus, & inuitans nos ad mutuam charitatem.

Verum quia disputatur circa cœnam Dominicam



& prædicatur tantum: quare necesse est omnes papist  
 cas ceremonias, ritus & abusus, tunc temporis non  
 dum fuisse inuentos, quemadmodum id etiam certū est  
 ex historijs, quæ de inuentione singularum partiū Papi  
 sticæ missæ satis testantur. Multi laborant hodie refor  
 mare Missam, dum quædam deradūt, quædam uerò ad  
 dijiunt: at cur ex hoc loco non reformemus Missam  
 ad ceremonias quibus usus est Paulus in primitiua ec  
 clesia? Ceremoniæ itaq; primitiuae ecclesie circa cœ  
 nam Dominicam, hæ fuerunt tantum: disputatio et præ  
 dicatio uerbi. De quibus ceremonijs tantum loquitur et  
 Apostolus, 1. ad Corinth. 11. Hoc facite in mei commemo  
 rationem. Ibidē. Quotiescunq; enim comederitis pa  
 nem hunc & de poculo hoc biberitis, mortē domini an  
 nunciatis, donec uenerit. Ibidem. Probet autem homo  
 seipsum &c. Apertus locus Cœnam domini hoc temp  
 re nondum fuisse sacrificium pro uiuis & mortuis, aut  
 quale postea esse cœpit abominandum & destabile. At  
 Cœnam domini esse sacrificium laudis & gratiarū acti  
 onis, facile ex hoc loco concedimus, propter disputati  
 onem & prædicationem uerbi quibus exercitijs eccle  
 sia gratias egit deo. Paulus disputabat cū eis  
 • Conferebat cum eis de uero Cœnæ usu sicut & fe  
 cisse legitur, 1. ad Cor. 11. Item docebat eos uerbū dei  
 &c.

Profecturus

**Profecturus in crastinum.**

*Aetiologiam disputationis & doctrine haec continent, quia Paulus in crastinum profecturus erat.*

*Enthymema. Paulus in crastinum profecturus erat.*

*Ergo Paulus disputabat cum eis.*

**Protraxitq; sermonem usq; ad media noctem.**

*specta diligentiam Pauli in docenda ecclesia, quae magna est ex circumstantia temporis.*

**Erant autem lampades copiosae in coenaculo, ubi eramus congregati.**

*Occupatio, ne putes ecclesiam in tenebris sedisse, aut aliquid aliud mali de ecclesia suspiceris. Vetus hanc lampadarum fuit, ut caliginem noctis illuminarent, non ut aliquid ad pietatem aut sanctitatem facerent. In coenaculo: ecclesia liberè uti potest commodis & honestis locis, loco templorum.*

**Sedens autem adulescens.**

*Euentus qui dum esset congregata ecclesia, accidit. Sed pulchrè sequitur hic euentus circa institutionem ecclesiae de uerbo, ut per illum ecclesia de ueritate uerbi confirmaretur, sicut et sequetur. Adduxerunt autem puerum uentem, & non mediocrè consolationem coeperunt. Vnde discimus usum quendam miraculorum, qui est ut per illa*  
• *confir-*

944 ERASMI SARCERII SCHOLAE  
confirmentur credentes de ueritate uerbi, & consolatio-  
nem accipiant. **Nomine Eutyclus.**

*Nomen addit, ut certam reddat historiam.*

**Super fenestram.** Loci circumstantiam adijcit  
ut historiam reddat uerisimilem: nam quia super fene-  
stram sedit Eutyclus: igitur cadere potuit.

**Cū disputante diutius Paulo, profun-  
do somno grauaretur, depressus som-  
no.** Euentum reddit uerisimilem & probabilem  
multis circumstantijs, quibus fit uerisimile & probabi-  
le Eutyclus cadere potuisse. Cecidit de tertio  
coenaculo deorsū, & sublatus est mor-  
tuus. Exaggeratur periculum, ut postea potentia  
uerbi magis inclarescat, quo potuit Saulus Eutyclus  
de tertio coenaculo delapsus, & mortuum sublatus,  
restituere sanitati, imò uitae.

**Ad quem cum descendisset Paulus.**

*Exemplum charitatis & misericordiae in Paulo.*

**Incubuit super eum, & complexus.**

Gestus quidam hi sunt, nihil tamen facientes ad sani-  
tatem seu uitam, quae solius uerbi effectus est, & fidei  
erga uerbū. Sic et Christus circa restitutionē infirmorū  
saepe uarijs usus est gestibus: sanauit autem solo uerbo  
teste Matthaeo cap. 8. Et eiecit spiritus uerbo, & male  
habentes sanauit.

*Incubuit*

Incumbere super Eutychum, & complecti, possunt et fidei gestus esse, quæ certo statuit de restitutione Eutychi.

Dixit.

Et hoc dicere fidei effectus est, quæ quia certò statuit de restitutione Eutychi, igitur dixit.

Vides ergo ad miracula requiri fidem, quæ impetrat, quod petit. Marci 16. Credentes sequentur hæc miracula: demonia eijcient, &c. Matthæi 17. Si habueritis fidem ut granum synapis, & dixeritis monti huic, &c.

**Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est.**

Consolatio à spe uitæ. Enthymema.

Anima Eutychij in ipso est. Ergo nolite tristari.

Nolite: uerba fidei uehementis, quæ nihil de restitutione Eutychi dubitauit.

Restitutio Eutychi non est opus uirium Pauli, sed uerbi & fidei ipsius Pauli erga uerbum. Supra cap. 3. ait Petrus. Viri Israëlita, quid miramini in hoc, quasi nostra uirtute aut pietate fecerimus hunc ambulare, &c. Ibidem. Et per fidem nominis eius, hunc quem uos uidetis & nostis, confirmauit nomē eius, & fides quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium uestrum, &c. Anima posita est causa pro uitæ effectū.



Ascendens autem frangensq;  
panem & gustans.

Frangensq; panem: idest, frangendo distribuens.  
Et gustans: non inquit uorans aut abliguriens: ut ad  
moneat nos modestiæ & reuerentiæ circa Cœnam.

Diu collocutus est cum eis usq; ad  
lucem, & sic profectus est.

Quid collocutus sit Paulus cum ecclesia, supra monui,  
& ipse indicat, 1 ad Corinth. cap. 11. quid circa  
Cœnam colloquendum sit.

Vsq; ad lucem: circumstantia temporis commendat  
diligentiã Pauli in docendo ecclesiã: item, diligentiam  
in ecclesia, in audiendo uerbo.

Adduxerunt autem puerũ uiuentem.

Addit hæc Lucas, ne quis de integra Eutychi resti-  
tutione dubitet. Et non mediocrem conso-  
lationem cœperunt. Effectus hic unus & præ-  
cipuus miraculorũ est, ut per illa confirmetur creden-  
tes de ueritate uerbi, & consolationem accipiant.

Nos autem ascendentes nauem,  
nauigauimus in Asson.

Cohæret historiæ series.

Asson ciuitas hic est in Epyro minore, Cleantis philo-  
sophi patria, eadem & Appolonia dicta.

Inde

Inde suscepturi Paulum

*In sodalitiū & consortiū.*

Sic enim disposuerat ipse per terram iter factururus.

*Aetiologia cur ipsi ascenderunt nauem, non assumpto Paulo: sumpta à dispositione Pauli, qua disposuerat per terram ire.*

Cum autem conuenissemus in Asson, assumpto eo uenimus in Mitylenem.

*Quæ est insula contra Asiam.*

*Placet & hic monere lectorem de usu circumstantiarū locorum, quorum usus seruit ad certitudinem historie*

*Idem usus est & circumstantiarum temporum.*

Et inde nauigantes sequenti die, uenimus contra Chium.

*Quæ est insula inter Cycladas & Bithyniam*

Et alia die applicuimus Samum.

*Samus insula est Aegæi maris.*

Et mansimus in Trogyllio

*Trogyllium oppidum Siciliae. Plinius Trogylias insulam facit ad Samum Mileto uiciniorē.*

Proxima deinde die uenimus Miletum.

Ecce quantā peregrinationē subierunt Apostoli et

948 ERASMI SARCERII SCHOLÆ  
fratres reliqui, pro plantatione Euangelij, et confirmat  
tione ecclesiarum, quæ peregrinatio commendat studi  
um pietatis in Apostolis & fratribus unà cum charis  
tate. Miletum est ciuitas in Asia maritima.

Videtur Lucas tantum obiter percurrere historiam,  
& ex peregrinatione multa colligendum relinquere  
Lectori, ea quæ præstiterunt Apostoli & reliqui fra  
tres in tanta peregrinatione.

Proposuerat enim Paulus præ  
ter Ephesum nauigare

Actiologia cur Paulus Miletum appulerit.

Nequa mora illi fieret in Asia

Hæc continent ætiologiã, cur Paulus proposuerat  
præter Ephesum nauigare.

Festinabat enim, si possibile sibi esset,  
ut diem Pentecosten age  
ret Ierosolymis.

Alia ætiologia, qua explicat Lucas, cur Paulus no  
luerit sibi moram fieri in Asia: quia festinabat Ierosoly  
mam. Si possibile sibi esset: pro uoluntate dei.

Vt diem Pentecosten ageret Hierosolymis: scilicet  
ut fortassis cum Hierosolymitana ecclesia conferret sui  
per quibusdam articulis: uel, ut ecclesiam illam confir  
maret de doctrina, & exhortaretur ad constantiam in  
fide, uel

*fide, uel propter alias causas.*

**A Mileto autem mittens Ephesum  
uocauit seniores ecclesiæ.**

*Exemplum curæ in Paulo, ut Mileti conseruetur sa-  
na doctrina, & omnia rectè atq; suo ordine fiant. Vo-  
cauit seniores ecclesiæ: & etate, & doctrina, & pru-  
dentiã seniores uiros, quanq̃ hic per seniores intelligen-  
di propriè ueniant episcopi & pastores.*

**Qui cum uenissent ad eum**

*Exemplū obedientiæ erga superiores, hoc est erga  
fratres plura dona habentes.*

**Dixit eis.**

*Oratio Pauli pro prima parte adhortatoria est, qua  
à suo exemplo in genere hortatur seniores ecclesiæ ad  
strenuam commissi sui officij expeditionem: item, ad  
humilitatem, patientiam in cruce, & diligentiam in  
cõmissõ officio &c. Pro secunda parte didactica est,  
qua docet Paulus, qui sint ueri episcopi & pastores.*

*Epilogus rursus hortatorius est ad uigilantiam pro  
utilitate ecclesiæ.*

**Vos scitis**

*Narratione longa suam humilitatem, patientiã di-  
ligentiam &c. enarrat Paulus, ut seniores, humiles,  
patientes, diligentes &c. faciat et suis uirtutibus pro-  
positis, in seniores reiiciat culpam: si quid porrò mali*

**Pp 3 in ecclesia**



in ecclesia acciderit. Enthymema exprimens scopum primæ partis orationis. Ego humilitatem secutus sum, patientiam, diligens sui & c. in custodienda recta doctrina & uitæ moribus rectis custodiendis:

Ergo & uos esse debetis & c.

Vos scitis: summa & omnium maxima sunt testimonia, quæ à nobis ipsis ducuntur. Enthymema.

De mea diligentia uos ipsi scitis:

Ergo de mea diligentia nullum est dubium.

A prima die.

Cōmendat suam diligentiam Paulus à circumstantia temporis. Qua ingressus sum in Asiam.

Vocatus à Deo uisione.

Qualiter uobiscum per omne tempus fuerim.

Tam in doctrina, quàm in uitæ moribus.

Seruiens domino cum omni humilitate.

- Tam in doctrina recta, quàm in uitæ moribus rectis
- Seruire domino cum omni humilitate, est hic sine omni arrogantia aut fastu sequi uoluntatem domini, & in doctrina, quæ præcepit dominus, & in uitæ moribus à domino præceptis. David orauit dominus, ut possit illi seruire in humilitate, quando dixit ne ueniant tibi

mihî pes superbiæ. Satisfecit & suæ doctrine Paulus, quæ extat ad Rom. 12. Dico enim uobis per gratiam, quæ data est mihi, cuilibet uersanti inter uos, ne quis arrogâter de se sentiat supra quàm oportet de se sentire: sed ita sentiet, ut modestus sit & sobrius, ut cuiq; Deus partitus est mensuram fidei. Adhortatur Paulus suo exemplo seniores ad humilitatem, nec inconsulto. Nam scientia (inquit Apostolus) inflat, id est, cognitio Euangelij efficit sæpe inflationem & arrogantiam.

Enthymema. Ego humilitatem in omnibus secutus sum: Ergo & uos sequi humilitatem in omnibus debetis. Humilitatem opponit arrogantiae seu inflationi, quo uitio non est aliud perniciosius in ministro uerbi quare Paulus rectè adhortatur seniores ad humilitatem.

**Et multis lachrymis & tentationibus.**

Adhortatur Paulus à suo exemplo seniores ad patientiam in cruce & tentatione.

Enthymema. Ego in multis lachrymis & tentationibus patiens fui: Ergo & uos in lachrymis & tentationibus patientes esse decet.

**Quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum.**

A circumstantia personarum exaggerat Paulus suam

952 ERASMI SARCERII SCHOLÆ  
cruce[m] & sic patientiam suam. Enthymema. Mihi  
à Iudeis acciderunt insidiæ: Ergo mea crux non fuit  
parua, & sic nec patientia mea.

**Et quod nihil omiserim eorum, quæ  
in rem uestram erant.**

Ahortatur Paulus suo exemplo seniores, ad dili-  
gentiam. Enthymema. Ego nihil amisi, quod fuit in  
rem uestrã: Ergo & uos nihil amittere debetis, quod  
est in rem ecclesiæ. Nihil: tam in doctrina, q̄ in uitæ  
moribus. **Quò minus annunciarẽ uo-  
bis, & docerem uos publice.**

Præcipuè urget diligentiam in doctrina, quam pu-  
blice & sine timore confessus est. Et docerem: singu-  
lariter exprimit Paulus suam diligentiam, qui nõ sim-  
pliciter annunciauit, sed & docuit doctrinam.

Publicè: sine timore.

**Et per domos testificans Iudæis atq;  
gentibus ad deum pœnitentiam.**

His maxime exprimit Paulus suam diligentiam,  
qui nec tantum simpliciter annunciauit, nec docuit do-  
ctrinam, sed testificatus est. Iudæis atq; gentibus;  
quia Euangelium est uniuersalis doctrina.

**Ad deum pœnitentiam.**

• Pœnitentiam simpliciter hic intelligit contritiõem,  
•

quæ

qua ex corde dolemus de peccatis, cum proposito desistendi à peccatis. Est uerò pœnitentiæ uocabulum, non tam de externis uitijs hic intelligendum, quàm de interna animi impietate. Rectè igitur pœnitentiã hic agunt, qui contritionẽ habent de internis animi peccatis, de impietate, de fiducia in opera, de sanctimonia propria, &c. & postea etiam de externis uitijs contritionem habent. **Et fidem in dominum nostrum Iesum Christum.**

Contritioni addit alteram pœnitentiæ partem, fidem in dominum nostrum Iesum Christum, qua conscientie peccatorum cognitione conterrita, rursus erigunt se è peccatis ad remissionem peccatorum.

Summa ergo est doctrinæ Pauli, quod docuerit contritionem & fidem in dominum nostrum Iesum Christum, ad remissionem peccatorum. Potest hic locus quartus esse adhortationis ab exemplo Pauli, qua hortatur seniores ad eandem doctrinam, & docendam, & retinendam, quam ipse docuit, & adhuc retinet. Enthymema. Ego annunciaui uobis, & docui uos dolere de peccatis: & credere in dominum nostrum Iesum Christum, ad remissionem peccatorum.

Ergo & uos annunciare ecclesijs debetis, & illas docere, ut doleant de peccatis, ut fide se rursus erigant



erigant in dominum nostrum Iesum Christum, ad remissionem peccatorum.

**Et nunc ecce ego alligatus spiritu,  
uado in Ierusalem.**

*Causam hæc continent adhortationis Pauli ad seniores. Enthymema. Ego breui incidam in crucem & consummabo cursum meum: Ergo me decet, nunc hortari uos, ut diligenter uestræ uocationi inseruiatis. Alligatus spiritu: qui ducor spiritu ad id, quod me sequetur. Enthymema. Ego alligatus sum spiritu: Ergo ego non temerè uado Ierusalem, nec temerè incidam in crucem.*

**Quæ in ea uentura sunt mihi, ignorans.** Ex parte uel specialiter.

**Nisi quod spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi testatur.**

*Correctio priorum de ignorantia, quam excusat, dum dicit Paulus in genere non ignorare se, quæ sibi uentura sint in Ierusalem. Mihi testatur: intus reuelando*

**Quod uincula & tribulationes me manent.**

*Vnde timendū est, quod ad uos non rediturus sim.*

**Sed nihil eorum moror.**

*Consolatio in ipsa cruce, qua rursus Paulus & se & seniores*

Et seniores consolatur contra scandala crucis. Ad Philip. 1. similis est per omnia locus. Nam mihi uita Christus est, et mors lucrum, etc. Fidei effectus est haec cōsolatio, quae nō dubitat in cruce de praesidio dei.

**Nec duco uitam meam praeciosior-  
rem quam me.**

Id est, satius est me mori seu ferre crucem, quam animae iacturam facere. Et Christus dixit, Matth. 16. Qui enim uoluerit animam suam seruare, perdet eam: rursum qui perdidit animam suam mea causa, inueniet eam. Ibidem. Quid enim prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit, animae uero suae iacturam fecerit? Quam me: scilicet ut reprobus aut negligens, aut inobediens inueniar.

**Dum modo ego consumam cursum  
meum cum gaudio.**

Hoc est, modo seruem conscientiam rectam in conspectu domini, et satisficiam commissio officio. Docemur hic exemplo Pauli, ut nostrum ministerium praepo-  
namus omni cruce. Cursum meum: quem perficere debeo, ut portem nomen domini coram gentibus, regibus, et filiis Israël, ut supra capite 9.

Cum gaudio: bona conscientia, posito effectu, pro causa.

**Et ministe**

## Et ministerium.

Ministerium intelligit totam suam uocationem. A ministerio prædicatores ministri dicuntur, qui seruiant conscientijs, non qui in eas dominantur.

Quod accepit à domino Iesu.

Iuxta illud quoq; ad Gal. 1. Paulus apostolus non ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum ac deum patrem.

Testificari Euangelium gratia dei.

Exponit Paulus, in qua re consistat cursus suus, & ministerium suum: nimirum in hoc, ut testificetur Euangelium gratia dei. Discimus hic quid sit Euangelium: scilicet doctrina de gratia dei, seu letum de gratia dei nuncium. Item, discimus quod officium sit prædicatorum: nimirum testificari Euangelium gratia dei. Pulchrum enthymema. Euangelium est doctrina de gratia dei: Erga Euangelium nõ docet nos iustificari operibus aut meritis. Gratia dei: quæ gratuita offertur. Potest hinc sumi quintus locus adhortationis, qua à suo exemplo hortatur Paulus seniores, ut nihil faciant crucem, nec crucis nomine negligant, aut oscitantius curent suam uocationem. Enthymemata, Ego nihil curo crucem: Ergo nec uos curare debetis. Item, Ego propter crucem non negligo meum ministerium

ministeriū: Ergo nec uos negligere uestrū ministeriū debetis. Item, Ego pluris facio meū ministeriū, quā crucē: Ergo & uos pluris facere debetis ministerium uestrum. **Et nunc ecce ego scio.**

Epilogus adhortationis Pauli à suo exemplo, cuius summa est, ut seniores suam uocationem strenuè expediant, & sicut decet: quippe se Paulū habere rectam conscientiam, quod eos doctrina sana instituerit, & sanis uitæ moribus eos præcesserit. Ego scio: reuelante spiritu sancto. **Quod amplius non uidebitis faciem meam uos omnes.**

Quia ex reuelatione spiritus sancti mihi patiendū est Ierosolymis & alibi. Vos omnes: correctio.

**Per quos transiui.**

Cum quibus conuersatus sum.

**Prædicans regnum dei.**

Ab effectu, quia credentes regere facit in spirituales hostes. Regnum dei ut totum ponit pro Euangelio ut parte. Est enim Euangelium pars regni dei.

**Quapropter testor uos hodierna die.**

Obtestatio pathetica & plena adfectibus, qua à se culpam transfert Paulus in seniores ecclesiæ, ut si postea in negligentia inciderint, id suo malo ferant, nec erit, quo se excusare poterunt.

**Quod**



Quod mundus sim à sanguine  
omnium.

Scilicet eorum, qui uestra aut negligentia, aut seductione peribunt. Similis propemodum obtestatio domini est, uel cōminatio potius apud Ezechielem cap. 33.

A sanguine: à perditione atq; interitu.

Non enim subterfugi, quò minus annunciarer omne consilium  
Dei uobis.

*Aetiologia mundicie à sanguine omnium: sumpta à doctrina sana et sanis uite moribus, quibus diligenter praeiuit Paulus senioribus.*

*Enthymema.* Ego non subterfugi, quò minus annunciarer uobis omne consilium Dei: Ergo ego mundus ero à sanguine omnium. Omne consilium Dei: tam in doctrina recta quam in rectis uite moribus.

Cauete uobis.

*Instituit nunc Paulus uehementem adhortationem, qua hortatur seniores ad commissi sui officij strenuam expeditionem, ad sanam doctrinam, et rectos uite sanæ mores, idq; à periculis.*

*Adhortationis scopus in hoc sequenti enthymemate consistit.* Ego scio quod post meum abitum uenient falsi doctores: Ergo uobis cauendum est.

OIECTIO

OBIECTIO. Vnde Paulus sciuit falsos doctores post abitum suum uenturos ?

RESPONSIO. Ex reuelatione spiritus sancti. Priore ad Timoth. 4. Spiritus autem certò loquitur, quod in posterioribus temporibus, quidam desciscant à fide, &c. Cauete uobis : doctores ecclesie primum sibi cauere debent.

Et uniuerso gregi.

Postea doctores & ecclesie cauere debent.

In quo uos spiritus sanctus posuit  
episcopos.

Nota spiritum sanctum elegisse ministros uerbi, quos ecclesia legitime uocauit & elegit. Magna igitur ecclesie autoritas in uocandis ministris æstimanda est. Enthymema. Spiritus sanctus posuit uos episcopos ecclesie : Ergo contra spiritum sanctum peccabitis, si negligenter curaueritis ministerium uerbi.

Episcopos : speculatores. Episcopatus nomen officij est, non dignitatis aut domini in conscientias.

Regere ecclesiam dei.

Sana doctrina pascere, & tueri gregem à noxia doctrina, & non sana. Siquidem pastoris hæc duo sunt officia. Ut pascat sano pabulo gregem, deinde, ut defendat à lupis.

• Reger

Regere ecclesiam dei est sana doctrina eam pascere,  
 & à falsis doctoribus defendere. Regere nō est domi-  
 nari in conscientias, à quo uitio Apostolus dicit se alicui  
 num esse. 2 ad Corinth. 1. quando ait. Non ut domine-  
 mur uobis nomine fidei. Ecclesiā dei: quæ deum auto-  
 rem habet & protectorem. Dei: scilicet Christi. Aper-  
 tus locus, Christū esse deū. Pertinent huc loci, qui do-  
 cent Christū esse caput ecclesiæ & similes. Ad Ephes.  
 1. Et eum dedit caput super omnia ipsi ecclesiæ &c.  
 Ad Col. 1. Et ipse est caput corporis ecclesiæ.

Quam acquisiuit sanguine suo

Quod ecclesia est, & quicquid est, id est per Chri-  
 stum & per sanguinem eius. Ad Ephes. 5. Viri dili-  
 gite uxores uestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam,  
 & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret.

Hæc pars orationis Pauli didactica est. Docet enim  
 quid sint prædicatores: scilicet episcopi, quos ecclesiæ  
 posuit spiritus sanctus, ut regant ecclesiam, quā Chri-  
 stus suo sanguine acquisiuit

- Item, docet, quid sit ecclesia: nimirum congregatio,  
 quam Christus suo sanguine acquisiuit.

Ego ideo. Ex reuelatione spiritus sancti.

Quod post discessionem meam.

- Adhortatio ad cauendū & uigilandū à periculis.

Lupi

**Lupi rapaces** id est falsi doctores, quos lupos uocat, ab effectibus luporum, qui sunt, rapere, dilaniare, occidere, fugare conscientias &c. Ab iisdem effectibus luporum, & Christus falsos doctores lupos uocat, Math. 7.

**Irruent.**

Exaggerat periculum. Item, uerbo irruent notat Lucas felicem falsæ doctrinæ, & falsorum doctorum successum.

**Non parcentes gregi**

Falsa doctrina & suis somnijs.

Et hæc pars orationis Pauli didactica est. Docet enim quid sit doctrina falsa & doctores falsi. Doctrina falsa est, quæ irruat in homines, nec parcet gregi. Doctores falsi sunt lupi rapaces, qui irruunt in homines, non parcentes gregi.

**Et ex uobis ipsis surgent uiri loquentes peruersa**

Exaggeratio periculi à falsis fratribus, cuius usus est, ut uel inde commoueat Paulus seniores, ut sibi caueant. Enthymema. Ex uobis ipsis surgent, qui loquentur peruersa: Ergo uobis ualde cauendum est.

Ex uobis ipsis: ualde emphaticus. Prima Ioannis 2. E nobis profecti sunt, sed non erant ex nobis.

Surgēt: nō uocati. Est igitur surgere seipsum ingerere & currere non uocatum: & est hoc surgere signū falsorum



falsorum doctorū, sicut et Christus monet Matthæi 7. quando ait. Qui ueniunt ad uos &c.

Loquentes peruersa: id est, docentes doctrinā naturā peruersam, & alios peruertentem.

Ut abducant discipulos post se

Finalis effectus falsorum doctorum & falsæ doctrinæ, qui est abducere ad se discipulos à uera doctrina & ueris doctoribus. Enthymemata. Falsa doctrina abducit post se discipulos: Ergo est potens doctrina.

Item. Falsi doctores abducunt post se discipulos:

Ergo falsi doctores potentes sunt. Et sanè falsa doctrina unā cum falsis doctoribus, perpetuo serè scelerem habet progressum, atq; doctrina uera unā cum ueris doctoribus. Propter quod uigilate

Epilogus constans adhortatione ad uigilantiam.

Epilogus pars enthymematis est. Enthymema. Venient lupi rapaces, surgent uiri peruersa loquentes, & abducent discipulos: Ergo uigilate. Propter quod: quia ueniunt lupi rapaces &c. Vigilate: ne lupi rapaces perdant gregem, ne falsa doctrina abducant ab ouili &c. Memoriam retinētes, quod per triennium nocte & die non cessauī cū lachrymis mouere unū quēcūq; uestrū.

● Et ex his uerbis constat epilogus abhortatorio enthymemate.

hymemate, quod tale est. Vos non cessavi lachrymis  
 mouere per triennium nocte atq; die: Ergo uos uigilate.  
 Memoria retinentes: quia facile incihere potestis in  
 securitatem, ex qua fieri potest, ut obliuiscamini me &  
 adhortationis ad uigilantiam. Quod per triennium  
 nocte ac die: exaggeratio periculi à circumstantia tem-  
 poris, per quod Paulus diligenter monuit seniores ad uig-  
 ilantiam. Cū lachrymis. pathos à rebus. Vnum  
 quemq; uestrū, quisq; pro se opus habuit admonitione.

Et nunc cōmendo uos fra:res Deo.

Valedictionis locus, cuius summa est, ut Deus cum  
 suo uerbo & uisitet seniores ad omne bonum & custodiat  
 at eos à falsa doctrina & doctoribus falsis, & conser-  
 uet eos usq; ad eternam uitam. Constat ualedictio uo-  
 to pro more Pauli, sicut quoq; passim est uidere in eis  
 epistolis. Deo: qui potens est uos custodire ab omni  
 malo. Cōmendatio hæc fidei effectus, quæ certò statuit  
 Deum seruaturū et custoditurū seniores ab omni malo.

Et uerbo gratiæ ipsius.

Quod similiter potēs est uos custodire à falsa doctrina.  
 Verbum gratiæ Euangelium uocat, quod est doctrina  
 de gratia Dei. Qui potēs est ædificare,  
 & dare hereditatem uobis cum san-  
 ctificatis omnibus.

Recte subijcitur locus de potentia dei. Siquidem nihil magni esset, Paulum commendare seniores deo, nisi & tali deo comendaret, qui potens esset eos edificare ad omne bonum, & in omni bono conseruare.

Aedificare: ut in doctrina sana crescatis.

Pulchra metaphora est in uerbo edificare. Nam sensim ac sensim contingit cognitio sanæ doctrinæ. Et dare uobis hereditatē cum sanctificatis omnibus: id est, conseruare immobiles & constantes usq; in æternā uitam.

Hereditatem uocat uitam æternam, quia sicut hereditas non obuenit filio propter suos labores, ita nec uita æterna obuenit nobis aut propter labores aut merita nostra. Habes hic quid sit uita æterna: nimirum hereditas, quam dat deus nobis cum omnibus sanctificatis. Duo hic peculiariter nota: alterum, quod progredimur in cognitione uerbi & edificamur, id donū dei est: alterū quod pertingamus ad uitam æternā, & ad illam usq; constantes simus, id etiam donum dei est.

Ad Romanos. 6. Vita æterna donum dei est. Cum sanctificatis omnibus: quos Christus sanctificauit qui est sanctificatio nostra, 1 ad Corinth. 1 et 6. ad Ephes.

Argentum & aurum, aut  
uestem nullius concupiui,

● Abiturus Paulus nec rediturus propter imminētē

● crucem,

cruce[m], decuit eum & sue famæ rationem habere, quã hic defendit, dum se ab omni auaritia alienum fuisse prædicat. Locus est dehortatorius, quo à suo exemplo dehortatur Paulus seniores ab aueritiæ uitio quo nõ est aliud in ministro uerbi deformius. Eandem dehortationem facit Christus ad suos Apostolos, Matthæi 10.

Hanc dehortationẽ necessitas postulauit, quia auaritia omnium malorum radix est, & facit homines deuiare à fide, 1. ad Timoth. 6.

Concupiui: scilicet quemmadmodum concupiscunt auari, ex doctrina facientes quæstum. Ostendit Apostolus se gratuito prædicasse Euangelium, & nihil pro illius prædicatione ambiuisse: tandem quod hominum salutem, non pecuniam quæserit. Concupiscere hic auaritiæ effectus est. Sicut ipsi scitis

Firmissimum testimoniũ, quod ab illis ipsis petitur, coram quibus agimus.

Quoniam ad ea, quæ mihi opus erant

Aetiologia, quod non concupiuerit argentũ &c. sumpta à proprijs laboribus, quibus sustentauit se Paulus. Et his, qui mecum erant

Summæ charitatis opus est, de proprijs laboribus, et sumpto ex proprio labore acquisito, impartiri alijs.

Quantũ Apostolus ad illam munificentiam inuadet &c



- nos suo exemplo, & ad Ephes. 4. sic scribat. Qui su-  
rabatur nõ amplius firetur: magis autẽ labore operando manibus quod bonum est, ut possit ei impartiri, qui opus habuerit.

### Ministrauerunt manus istæ.

Dei. *ἰκῶσ*. Magna est hæc gloriatio quæ tamen non tollit præcepta de alendis uerbi ministris.

- Prærogatiuã Pauli hic specta, quam habuit præ alijs uerbi ministris: sed illa prærogatiua, non præiudicat Apostolus reliquis ministris, teste nono capite ad Cor. 7. epistola: nec tollit illa locus de alendis ministris: alioqui ordinationẽ Christi tolleret. Nam Paulus ipse ait. 1. ad Cor. 3. quod ordinatio Christi sit alere ministros: itẽ, Paulus sua propria scripta euerteret si hæc prærogatiua sua niteretur tollere alimoniã ministrorũ uerbi. Ad Gal. 6. Communuet autẽ qui catechizatur sermone, ei qui catechizat in omni uobis bonis. Et addit: deũ irrideri quando ministris uerbi negatur alimonia. Sequitur enim. Ne erretis, deus non irridetur.

- Omnia ostendi uobis, quod sic laborantes oportet sustentare infirmos.

Continent hæc causam, cur laborandum sit: nimirum propter infirmos, qui non sunt grauandi sumptibus, & offendantur & à fide desciscant. Alia ratio est cur illis,

illis, qui amplius infirmi non sunt, & qui uerbo satis sunt instituti, quod alendi sint ministri ecclesie.

Nam ubi sic instituti, negant ministris alimoniam & sustentationem, illi pertinaces sunt, irrident Deum, & nolunt obedire ordinationi Christi, quæ sanè non leuia peccata sunt. Infirmos; non institutos satis in uerbo, non pertinaces &c.

Ac meminisse uerbi domini Iesu.

Sensum uerborum Iesu exprimit Paulus, non uerba Non enim legitur hæc sententia Christi esse, quantum ad uerba attinet. Beatius est dare, quam accipere, quanquam interim longè grauissimæ adhortationes Christi ad munificentiam & liberalitatem extent, Lucæ 6. & 24. Beatius est dare, quam accipere.

Videlicet cum habes. Nam qui non habet, non obligatur, ut det, 2. ad Corinth. 8. Vbi uult Apostolus nostram copiam aliorum succurrere inopie.

Beatius est: id est, honestius est, & minus offendit infirmos. Et cum hæc dixisset, positus genibus suis orauit cum omnibus illis.

Finales orationis causæ sunt, ut Deus det senioribus uires seruandi ea, de quibus illos admonuit Paulus: item, ut Deus dignetur fœlix incrementum & felicem progressum dare ecclesie &c.

Magnus autem fletus factus est  
omnium.

Magnam charitatem omnium hic spectata erga Paulum, cuius gestus & signa sunt, flere, procumbere super collum Pauli, & osculari eum.

Dolentes maximè in uerbo, quod dixerat: quoniam amplius faciem eius non essent uisuri.

Testatur & hic dolor de uehementi charitate.

Quoniam: ætiologia doloris maximi.

Et deducebant eum ad nauem.

Et hoc deducere charitatis opus est, et de illa testatur.

C A P V T XXI.

**P**rosequitur Lucas peregrinationem Pauli, quam perpetua et cohærente orationis serie describit.

Cum autem solueremus abstracti ab eis.

Scilicet senioribus, quos uocauerat ab Epheso Miletum. Abstracti: notat quod egre dimiserint Paulum & alios.

Recto cursu uenimus in Cou.

Nobilissimam insulam non procul ab Halicarnoso sitam

Et sequenti die Rhodum.

Rhodus Cycladium insularum nobilissima est.

Et inde Pataram.

Ciuitas est Patara Lyciæ regionis in Asia.

Et cum

Et cum inuenissemus nauem trans-  
fretantem Phœniciam.

Phœnicie Syriæ pars est, in qua Sydon & Tyrus  
urbes. Cum autem apparuisset  
nobis Cyprus.

Quæ est insula in sinu maximo, qui Ibsicus circa Cili-  
ciam dicitur. Relinquentes eam ad  
sinistram, nauigauimus in Syriam.

Syria ad aquilonem Iudææ sita, regio inter flumen  
Euphraten, & mare magnum usq; ad Aegyptû per-  
tingens. Inter cetera & hoc scire hic refert Cosmo-  
graphiæ studium & Theologis utile esse.

Et uenimus Tyrum.

Quæ est Phœnicie ciuitas.

Ibi enim nauis expositura erat onus.

Aetiologia cur Tyrum uenerint, ne quis miretur  
ferè retrogradam nauigationem.

Inuentis autem discipulis.

Deus ubiq; habet suam ecclesiam.

Mansimus ibi diebus septem.

In hoc, sine dubio manserunt in Tyro, ut docerent  
Euangelium, confirmarent fratres de Euangelij ueri-  
tate, exhortarentur ad constantiam in fide, & ut re-  
pararent lassas uires, &c.

¶ Qui



Qui Paulo dicebant per spiritum, ne  
ascenderet Ierosolymam.

Per spiritum: qui fratribus in Tyro reuelauerat  
crucem Pauli, quam esset laturus Ierosolymis. Spiritus  
non dixit, neque prohibuit, ne Paulus ascenderet Ie-  
rosolymam: si enim spiritus prohibuisset, male fecis-  
set Paulus, qui spiritui non obedisset. Exemplum in-  
firmitatis in fratribus, qui certi facti de cruce Pauli  
per spiritum, dicunt illi, ne Ierosolymam ascendat.

Et expletis diebus profecti ibamus.

Docet Paulus suo exemplo, ne metu crucis, desista-  
mus diuulgare ueritatē, idcō nō obedit Tyrijs fratrib.  
Deducentibus nos omnibus, cū uxo-  
ribus & filijs foras ciuitatem.

En charitatem in fratribus Tyrijs, uxoribus &  
filijs. Deducere charitatis opus est.

Et positis genibus in littore  
orauius.

Pro scelici Euangelij progressū, pro incremento  
ecclesie, pro scelici nauigatione, &c.

Ponere genua effectus est quidam orationis, sicut  
& tollere manus, .i. ad Timoth. .2. Gestus hi oratio-  
nis, signa sunt animorum serio orantium & humili-  
antium se coram deo.

Etcum

Et cum ualedixissemus inuicem.

Omnia bona inuicem essemus precati.

Ascendimus in nauem; illi autem  
redierunt ad sua.

Quia non omnes ligamur, ut per orbem currendo  
prædicemus aut cōfiteamur Euangelium, igitur hi ad  
sua redeunt, id quod facit contra Anabaptistas, qui ad  
susceptum Euangelium uolunt nos discurrere per or-  
bem prædicando & confitendo Euangelium.

Nos uerò expleta nauigatione à Ty-  
ro, descendimus Ptolomaidem,

Quæ est ciuitas Galilææ maritima propè montem  
Carmelum. Et salutaus fratribus.

Deus ubiq; suam ecclesiam habet, nec est ecclesia  
certo alicui loco alligata.

Mansimus die una apud illos.

Vt illos confirmarem de ueritate Euangelij, &  
exhortarem, ut permanerent constantes in fide.

Alia autē die hi, qui cum Paulo erant  
profecti, uenerunt Cæsaream.

Non soli, sed unà cū Paulo. Loquendi forma ob-  
scurior est. Cæsarea maritima urbs est Palestina.

Et intrātes domū Philippi euāgeliste.

Qui singulare donū habebat prædicandi & inter-  
pretandi

pretandi Euangelium: item, consolandi alios Euangelio. Nam tales dicuntur Euangeliste.

Qui erat unus de septem.

Certam notat personā. De septē: scilicet Diaconis.

Manimus apud eum.

Vt cum illo conferremus de Euangelio, inuicem solaremur nos Euangelio, &c.

Huic autem erant quatuor filiaē uirgines prophetantes.

Satisfecit Philippus Pauli doctrine, de educatione liberorum, quos habent episcopi & doctores ecclesie. Priore ad Timoth. 3. Qui suae domui bene praesit: qui liberos habeat in subiectione cū omni reuerentia. Quod si quis propriae domui praesesse non nouit, quomodo ecclesiam Dei curabit? Item, satisfecit doctrine Pauli de honesto sacerdotum coniugio Episcopus sit unius uxoris maritus. Enthymemata. Philippus in pietate educit suos liberos. Ergo Philippus nouit propriae domui bene praesesse. Item. Philippus filios habuit. Ergo Philippus uxorem habuit. Exemplum apertum hic habes episcopalis seu sacerdotalis coniugij, contra demoniorum doctrinā, quae negat sacerdotibus honestū coniugium. Virgines prophetantes: in uerbo piæ enutrite atq; doctæ. Prophetare enim hic est se in uerbo & pietate exercere,

exercere, & uerbum unà cum pietate confiteri. Erant, qui filios Philippi docuisse in ecclesia adserunt, contra doctrinam Pauli, 1. ad Corinth. 14. Mulieres uestrae in ecclesijs sileant. Quanquam illas non dicam errare admodum, qui sentiunt filios Philippi donum uaticinandi futura habuisse.

Et cum moraremur per dies aliquot.

Propter praedictas causas.

Superuenit quidam uir à Iudæa propheta, nomine Agabus.

Superuenit: ex consilio & ordinatione dei. Nam nihil hic fit temerè. Propheta: habens donum uaticinandi de futuris. Nomine Agabus: nomen addit, ut certam faciat historiam.

Is cum uenisset ad nos, tulit zonam Pauli, & alligans ei pedes & manus.

Ufus huius ligationis est, ut per eam significet Agabus crucem Pauli. Finalis autem usus est ligationis huius, ut cognitione crucis, Paulus animum concipiat, instructiorq; reddatur ad ferendam crucem. Siquidem praedicta pericula minus feriunt.

Hæc dicit spiritus sanctus.

Pij nõ temerè patiuntur, sed uoluntate & consilio



dei, Matthæi 10. Omnes capilli capitis uestri numerati sunt, nec unus cadit in terram sine uoluntate patris. Spiritus sanctus: quia prophete ex instinctu Spiritus sancti loquuntur, & prophetia est donum Spiritus sancti.

Virum cuius est zona hæc, &c.

Prophetia de cruce Pauli, Paulo in consolationem, non in terrorem.

Quod cum audissemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne ascenderet Ierosolymam.

Charitatis & infirmitatis exemplum in his qui rogant Paulum, ne ascendat Ierosolymam. Charitatis est bene uelle Paulo. Infirmitatis est uelle impedire Paulum à cruce, quam Spiritus sanctus disposuit Paulo.

Nota ergo hic infirmitatem carnis circa crucem.

Tunc respondit Paulus.

Consolatur Paulus fratres contra pericula crucis, & ex certa fide statuit se omnem crucem superatum. Sunt namque fidei uerba. Ego autem non solum alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen domini Iesu.

Est quoque obedientie exemplum in Paulo, qui Spiritui sancto, uaticinanti de cruce statim obedit, id quod

quod fidei est, quæ nihil moratur crucem. Similes sunt loci in epistolis Pauli. Ad Roman. 8. Verum in his omnibus superamus per eum, qui dilexit nos. Nam mihi persuasum habeo, quod neq; mors, neq; uita, neq; angeli, nec principatus, &c. neq; ulla creatura alia poterit nos separare à dilectione dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. ad Philip. 1. Nam mihi uita Christus est, & mors lucrum, &c.

Summa est responsi Pauli, in cruce pro nomine domini Iesu Christi, gloriandum esse, non tristandum. Unde totum hoc Pauli responsum referendum est ad formam ferendi crucem, de qua sic loquitur Apostolus. Ad Roman. 5. Nec id solum, uerumetiam gloriamur super adflictionibus. Ad Coloss. 1. Ad omnem tolerantiam ac patientiam cum gaudio. Ad Philip. 2. Omnia facite sine murmuratione, &c.

### Quid facitis flentes.

Quasi dicat, cum in cruce gaudendum sit. Flere est contra ueram formam ferendi crucem.

### Et affligentes cor meum?

Qui non estis contenti, ut uos male agatis contra ueram formam ferendi crucem, nisi & me male agere faciatis, ut agam contra ueram formam ferendi crucem.

Adfugi corde in cruce est contra ueram crucis ferendam formam.

● Égo

Ego autem non solum alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen domini Iesu.

Hæc uerba exprimunt, quæ sit uera forma ferendi crucem, & quomodo ad crucem & in cruce parati esse debeamus. Vera ergo forma est ferendi crucem, in cruce gloriari: uerè parati sumus ad crucem & in cruce, quando gloriamur & gaudemus.

Ast hæc forma fidei effectus est, quæ sibi certo persuadet de uictoria in cruce. Non solum alligari: fides æquè bene sibi persuadet in magna & parua cruce.

Propter nomen domini Iesu: hæc monent de materiali causa crucis, quæ est nomen domini nostri Iesu Christi. Consentiunt cum hoc loco de materiali crucis causa & hi, Matth. 5. Propter iusticiam. Ioannis 16. Propter nomen meum. Matth. 10. Mea causa.

Contrariatur huic materiali causæ, de merito patiti, aut ex insufficiente causa, qua de re uide Petrum, 1. Petri cap. 4. Si quis uestrum adfligatur, ne adfligatur ut fur, aut homicida, &c.

Et cū eum persuadere non possemus, quieuius, dicentes: Domini uoluntas fiat.

Incipiunt et fratres ex fide resignare deo Pauli crucem.

Quiescere

Quiescere fidei effectus est, committentis Deo crucem Pauli & certò statuentis de presidio dei circa Paulum

Domini uoluntas fiat: rectè præponunt fratres uoluntatem domini, uoluntati sue, & rectè orant. Fiat uoluntas domini. Est & obedientiæ exemplum in fratribus, qui obediunt uoluntati Dei, & postponunt suam uoluntati diuine, id quod fidei est, quæ incipit se committere Deo in cruce, ubi prius desperauit ratio.

Post dies autem istos preparati ascendebamus in Ierusalem.

Magnæ constantiæ exemplum in Paulo, qui obuiam itæ cruci suæ: item, uehementis & magnæ fidei exemplum quæ nihil moratur crucem.

Venerunt autem quidam ex discipulis à Cæsarea nobiscum.

*Charitatis exemplum in his discipulis.*

Adducentes Mnasonem quendam Cyprium, antiquum discipulum, apud quem hospitaremur.

Exemplum hospitalitatis in Mnassone, qui quod hospitalis fuerit non est mirum: quia antiquus discipulus et ideo fide præditus, & per consequens bonis operibus Antiquum discipulum: signanter commendat Mnasonem ab antiquitate, quæ fuit discipulus. Nam discipulum



fieri non est mirum: at antiquum esse discipulum et diu manere discipulum, id dignum est admiratione.

Et cum uenisset ierosolymam, libenter exceperunt nos fratres.

Exemplum hospitalitatis in ierosolymitanis, quæ fidei effectus est, quos fides se presentem esse, declarat.

Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad iacobum.

Iacobus hic aliàs & iustus, & minor & frater Domini dictus est, ecclesie Hierosolimitanæ antistes triginta annis, de cuius sanctitate & integritate, uide iosephum & Platinam. Introibat: non pudet Paulum suorum fratrum, igitur ad eos ingreditur. Est & humiliationis erga proximum exemplum in Paulo, qui accedit alios ipse magnus Apostolus. Humiliatio hæc effectus est humiliationis coram Deo. Qui enim humiliat se coram Deo, is etiam humiliat se coram proximo.

Omnesq; collecti sunt seniores.

Vides seniores seu presbyteros ferè non alios fuisse à pastoribus et ministris uerbi. Enthymema. Hierosolyma multos habuit seniores: Ergo ecclesie singule pluribus ministris opus habent. Quos cum salutasset

Exemplum comitatis & philanthropie in Paulo, qui non agit austerum ac durum Demeam, sed salutat fratres.

tres. Salutasset: precatus esset illis omnia bona.

Narrabat per singula.

In hoc, ut per facta in gentibus per ministerium, de ueritate Euangelij confirmarentur: maxime autem de uocatione gentium, qua non mediocriter fuerant offensi Iudei. Per singula: id est, ut singula erant gesta.

Quæ deus fecisset in gentibus.

Donum Dei est, gentes receptos esse in gratiam, & pertinere ad Euangelium.

Deus fecisset: ergo ministerium uerbi non est efficax, nisi Deus det incrementum.

Per ministerium suum.

Ad quod ipse Deus dat incrementum 1. ad Corinth. 3. & quod non est efficax sine Deo.

At illi cum audissent, magnificabant dominum.

Gratiarum actio, qua Hierosolymitana ecclesia agit Deo gratias, pro uocatione gentium ad Euangelij cognitionem. Est autem hæc gratiarum actio fidei effectus, quæ non potest ingrata esse deo pro suis beneficijs.

Magnificare est hic gratias agere.

Dixeruntque ei. Orationem hanc suo & aliorum nomine habuit Iacobus, teste & Augustino in epistola ad Hieronymum de legalibus obseruationibus.

Oratio suasoria est, ut aperto facto declaret atq; testetur Paulus, se leges Mosaicas nō damnare, ut res indifferentes. Loquitur uerò de illis, quæ non consentiunt cum natura. Sententia Iacobi est & aliorum, leges Mosaicas, ut res indifferentes, propter infirmos seruandas adhuc esse aliquamdiu. Non ut causas aut res necessarias ad iusticiam, sed ut res indifferentes, ad hoc utiles, ut illis liceret infirmos lucrari Euangelio, & ne illi qui iam Euangelium susceperant, infirmi rursus deficerent.

Interim gentes non uult cogi ad leges Mosaicas, sed tantum, ut seruent leges cum natura consentientes, et ab illis se abstineant, quæ sunt cōtra leges naturæ. Leges autem naturæ illas seruare uult, non ut causas iustificatio nis, sed ut testimonia, quibus declarant se fide in Christum iustificatos esse. Errant, qui putant Iacobum & alios, iusticiam in lege Mosaica posuisse.

Errant, qui sentiunt Iudæos uoluisse gentes ad leges Mosaicas ligare. Errant tandem, qui scribunt Paulum se subiecisse legibus Mosaicis, ut suo exemplo ostenderet leges Mosaicas ad iusticiam coram deo esse necessarias res aut causas.

Locus ergo præsens de indifferentibus est, quibus uti licet, quando illis infirmos lucrari possumus deo, modo in illis non ponamus iusticiam, nec peccatum. Vide ea,

quæ

que supra dixi, in 16 cap. Actorum & in 18.

Vides fratre.

Insinuat se Iacobus fratris appellatione.

Quot milia sunt in Iudæis, qui  
crediderunt.

Suadet à numero credentium, ut Paulus aperte ostendat se leges Mosaicis, ut res indifferentes, non damnare, sed quod illis liceat uti propter infirmos.

Enthymema. Multa milia crediderunt è Iudæis:  
Ergo multa illa offensione perire malum est.

Hæc milia fuerunt de reliquijs, quæ ex Iudæis conuerti debuerunt, de quibus ait Esa. cap. 1. & 10.

Qui crediderunt: scilicet iusticiam gratuito dari credentibus, sine operibus legis. Nam fides credit se gratuito iustificari, sine operibus legis.

Crediderunt: hanc uocem signanter adijcit Iacobus, tanquam per occupationem, ne putet Paulus eum loquenturum de legibus Mosaicis, ut causis iustificationis.

Et omnes sectatores sunt legis.

Scilicet propter infirmos, ut eos lucrentur Euangelio, quando Mosaicis legibus utuntur, ut rebus indifferentibus, in quibus nec iusticia, nec peccatum inest.

Sectatores sunt legis: non ut per illam iustificentur sed ut per illam lucrentur Euangelio infirmos.



**OBIECTIO.** Num leges Mosaicæ, quæ uerbo Dei præceptæ fuerunt, indifferentes res sint?

**RESPONSIO.** Sub regno Mosaico non fuerunt leges Mosaicæ indifferentes res, sed sub regno Christi seu Euangelio res indifferentes sunt factæ: nec mirū, quid etiam sub Mose typicæ, cum Decalogi nouem præceptis alia res est, quas nunquam docuerat Paulus, non esse seruandas loco gratiarum actionis & testimonij. Audierunt autē de te, quod discessionem doceas à Mose omnes Iudæos.

Etiam ueri ac sancti prædicatores, mendacijs obrui possunt, & falsò traduci. Suspicio de prædicatione Pauli sic est intelligenda, quod docuerit Paulus, leges Mosaicæ non esse seruandas ut res indifferentes, idq; propter infirmos. Siquidem certum est Iacobum et alios non requirere leges Mosaicæ, ut causas & res necessarias ad iusticiam. Discessionem doceas à Mose: quod non sint leges Mosaicæ, ut res indifferentes, propter infirmos seruandæ. Qui inter gentes sunt.

Notat certos Iudæos. Dicens non debere eos circumcidere filios suos, neq; secundum consuetudinem ingredi.

Summa est auditorum de Paulo, quod audierint eum docuisse

docuisse, quod leges Mosaicae non sint seruandae, ut res indifferentes. **Quid ergo est?**

*Quaerit Iacobus, qui ipse non credit rumori.*

**Vtiq; oportet conuenire multitudinem.**

*Ne si non conueniat, & tu rursus hinc discesseris, aliquid mali suspicetur. Oportet: propter uitanda scandala, & ut componatur pax in ecclesia, &c.*

**Audient enim te aduenisse.**

*Aetiologia, cur oporteat conuenire multitudinem: sumpta à praesentia Pauli, quae latere non poterit.*

*Enthymema. Multitudo audiet te aduenisse: Ergo multitudinem conuenire oportet.*

**Hoc ergo fac, quod tibi dicimus.**

*Consilium pro seruanda ecclesiae pace, aut pro ecclesiae pace refarcienda. Exemplum studij pro pace ecclesiae in Iacobo est & alijs.*

**Sunt nobis uiri quatuor uotum habentes super se.**

*Consilium à facili sumptum, ne grauetur Paulus suspicionem falsam à se amouere.*

*Enthymema. Viri quatuor praesentes sunt, habentes uotum super se: Ergo non erit tibi difficile, te iam publico facto excusare.*

His assumptis, sanctifica te cū illis, & sumptū fac cum illis, ut radant capita.

Pro more legis, quæ extat Numeri. 6. Hoc te monitum uolo Lector, hic de ceremonialibus legibus præcipue fieri mentionē, quæ maximè sub Euangelio res in differentes sunt: quippe & olim typicæ.

**Et sciant omnes, quod de te audiuerūt falsa sunt.**

Nimirum te docere, non licere uti Mosaicis legibus ut rebus indifferentibus, idēq; propter infirmos.

**Sed quod ambulas, & ipse custodiens legem.**

Id est docens uti licere legibus Mosaicis, ut rebus indifferentibus, propter infirmos.

**De his autem qui crediderunt ex gentibus.**

Occupatio, ne putet Paulus Iacobum uelle & gentes alligare ad leges Mosaicas, uti ad res indifferentes seruandas propter infirmos. Gentibus relinquuntur leges Decalogi, quas & natura docet in omnium hominū animis, non ad iusticiam, sed ut illis testentur de gratuita iusticia per fidem accepta, & agant gratias Deo.

**Nos scripsimus. Ne putes, nos uelle gentes ad leges Mosi ligare. Decernentes.**

Ex uerbo, sicut patet & supra ex. 13. cap. Actorum  
**Vt abstineant se idolothyto, & sanguine, & suffocato, & scortatione.**

Id est, ab omnibus illis, quæ Decalogo seu legibus nature repugnant, ueluti sunt: idololatria, cædes, ira, rixæ & libido moechandi, quæ intelligit iacobus, sub idolothyto, sanguine, suffocato, & fornicatione, sicut supra cap. 15 ostendi. Abstineant: in hoc, ut testentur se gratuitam iusticiam accepisse, & gratias agant Deo pro illa dum benè operantur, ex utraq; tabula quã sub quatuor his uitijs dictis comprehendunt.

**Tunc Paulus assumptis uiris postera die purificatus cum illis intrauit in templum.**

Paulus uictus fratrum precibus, in tantam seruitutẽ se demisit. Sed cur hoc fecerit tantus Apostolus, quod se in tam puerilia demiserit, ipsum audi loquentẽ. 1. ad Corinth. 9. Etenim cum liber sim ab omnibus, omnibus me ipsum seruum feci, quò plures lucrificiam et factus sum Iudeis, quasi Iudeus, ut Iudeos lucrificiam: his qui sub lege sunt, quasi sim sub lege, ut eos qui sub lege sunt, lucrificiam: his qui sine lege sunt, tanquàm sim sine lege cum nõ sim sine lege Deo, sed obnoxius legi Christi, ut lucrificiam eos, qui sunt sine lege. Factus sum infirmus

R r 5 quasi



quasi infirmus, ut infirmos lucrifaciam. Omnibus factus sum omnia, ut omnino aliquos seruem. Hoc autem facio propter Euangelium, ut particeps illius sim.

**Annuncians expletionem dierum purificationis.**

In hoc, ut notum fieret, se non docuisse, quod legibus Mosais ut indifferentibus rebus uti liceat, propter infirmos.

**Donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio.**

*Iuxta legem.*

**Cum autem septem dies penè complerentur.**

*Cohærentia pendet ex circumstantia temporis.*

**Iudæi, qui de Asia erant.**

*Sequitur executio prophetiæ spiritus sancti de cruce Pauli, quæ nunc incipit.*

**Cum uidiissent eum in templo.**

- Visum ut remotam causam facit commotionis in Iudæis. Iudæi hi eorum typum gerunt qui seditiones excitant, ut Euangelium & eius professores perdantur. Obserua præterea qui sunt autores seditionum sub Euangelio, non pij, sed impij increduli. Seditionis ergo tempore prædicati Euangelij causa est incredulitas mundi,*
- qui*

qui non uult credere Euangelio, nec illud acceptare.

Concituauerunt omnem populum.

Cōcitatio hæc effectus est uisi Pauli in templo. Omnē populum: hyperbole, pro magna populi parte.

Et iniecerunt in eum manus.

Iniectio manuū in Paulum, effectus est concitationis.

Clamantes. Sicut fieri solet in seditione, in qua omnia aguntur sine certa ratione & consilijs certis.

Viri Israëlitæ. Insinuatio à gente.

Adiuuate. Imploratio præsidij, ut perdatur Euangelium, & eius professores.

Hic est homo, qui aduersus populum & legem, & locum hunc omnes ubiq; docet.

Accusatio falsa est, quia Paulus non docuit aduersus populum, neq; aduersus legem, neq; aduersus locum sanctum, sed docuit uerum populi Iudaici usum, uerum legis & templi usum.

Nota accusationes Euangelij & piorum, esse mendaces semper, & mundum non nisi mendacia proferre contra Euangelium & huius professores.

Rectè dixit Christus, Matthæi. 5. mentientes &c.

Hic est homo: per contemptum.

● Magnus

Magnus error est, dicere Paulum docere contra legem, qui legis uerum usum tantum exponit.

Omnes ubiq; docet: exaggeratio malefacti Pauli à circumstantijs locorum & personarum, qua grauant causam Pauli.

Insuper & gentiles introduxit in templum, & uiolauit sanctū locum istum.

Et hæc pertinent ad exaggerationem malefacti in Paulo, qua grauant causam Pauli.

Locum sanctum: en prætextum falsæ accusationis à pietate, contra quam egit Paulus.

Viderant enim Trophinum Ephesinum in ciuitate cum ipso.

Aetiologia accusationis de uiolatione templi sancti, à uiso Trophino gentili, quem putabant à Paulo in templum introductum esse.

Quem putabant in templum à Paulo introductum esse.

- Hec signanter adijcit Lucas, ut ostendat accusationē falsam. & quo fundamento utantur impij, contra pios.

Commotaq; est ciuitas tota, & factus est concursus.

- Effectus concitationis & falsæ accusationis, nunc sequitur

sequuntur, qui sunt: commotio & concursus.

Testantur uerò hi effectus, quàm fortia sint ad comouendum animos hominum argumenta, quæ à uiolatione pietatis ducuntur.

Et apprehendentes Paulum trahebant eum extra templum.

Hæc apprehensio effectus est cōmotionis et cōcursus.

Et statim clausæ sunt ianuæ.

Vt harū occlusionem tolleretur Paulo occasio docendi.

Quærentibus autem eum occidere.

Non cessant impij, nisi donec uideant piorum sanguinem. Nota Euangelij & piorum poenam esse extremam perditionem. Quærentibus studij uerbum est.

Enthymema. Iudæi querunt Paulum occidere: Ergo Iudæi nunciant Tribuno, quod Ierusalem cōturbata est.

Nunciatum est Tribuno cohortis, quod Ierusalem conturbata esset.

Vt hoc nuncio commodius possint Paulum occidere, tanquàm hominem seditiosum, & conturbationis autorem. De Tribunis & illorū dignitate, uide Fenestellam.

Qui statim assumptis militibus, & centurionibus decurrit ad illos.

Officium magistratus hic spectat, quod est seditiones compescere, & publicam pacem conseruare.

Qui



990 ERASMI SARCERII SCHOL.  
Qui cum uidissent tribunum & milites, cessauerunt percutere Paulum.

*Timore magistratus territi, & ne uiderentur præter officium facere.*

Tunc accedens Tribunus, apprehendit eum.

*Etiam impijs sepe utitur Deus in solatium piorum, sic hic Tribuno utitur, qui si non uenisset, non cessassent Iudæi percutere Paulum, nec destitissent ab iniurijs.*

Et iussit eum alligari cathenis duabus.

*Impietatis comes est hypocrisis, huius res cognata est timor: & quia timet hic tribunus, Paulum cathenis duabus alligari iubet ne aufugiat. Vel in gratiam ac fauorem populi iussit Tribunus alligari Paulum, ut sic apud populum captaret auram popularem.*

Et interrogat quis esset et quid fecisset

*Questio de persona & facto persone.*

Alij autem aliud clamabant in turba

*Sicut fieri solet in seditione, cuius natura hic describitur.*

Et cum non posset certum cognoscere præ tumultu.

*In seditione nihil certi proponitur, quia omnia sunt sine certa ratione & consilio.*

*Iussis*

Iussit duci eum in castra.

*Donec certum cognosceret.*

Et cum uenisset ad gradus.

*Per quos ingrediendum esset in castra.*

Contigit ut portaretur à militibus,  
propter uiam populi.

*Et hæc seditionem nobis depingunt: item, rectè ait:*

*propter uim populi, quia in seditione.*

Sequebatur enim multitudo populi  
clamans: Tolle eum.

*Aetiologia, cur portatus fuerit Paulus à militibus:*

*sumpta à populi multitudine, quæ sequebatur. Tolle eum:*

*& hic clamor seditionis naturam exprimit. Nam in se-*

*ditione iubentur tolli homines, nondum certò cognita*

*causa propter quam tolli debent.*

Et cum cœpisset duci in castra Paulus

dixit Tribuno: licet ne mihi aliquid

ad te?

*Num loqui liceat cum Tribuno, querit Paulus, ne*

*intempestiue & præter decorum loqui incipiat.*

Qui dixit Græce nosti?

*Philantropiæ exemplum in Tribuno, qui tamen dig-*

*natur Paulum colloquio.*

Nonne tu es Aegyptius?

• *Questio*

Questio de persona est, & personæ patriæ & factio. Per Aegyptiū Tribunus intelligit Paulum illū seditiosum, de quo scribit Iosephus lib. 2. de bello iudaico cap. 12. Ille Paulus Aegyptius, falsus propheta & homo magus, arte magica consciuit sibi aliquot milia, & uenit in Iudæā, ut Hierosolymam ui teneret, sed à Felice fugatus & extinctus est.

Et dixit ad eum Paulus.

Ostendit suo responso Paulus se nō esse illum Aegyptiū seditiosum hominem.

Ego homo sum Iudæus, à Tarso Ciliciæ non ignobilis ciuitatis ciuis.

Responsum Pauli est de persona & de patria personæ. Ego homo sum Iudæus: ergo non Aegyptius. A Tarso Ciliciæ urbe: de qua uide Nicolaū Leonicensē de uera historia lib. 3. cap. 80. ubi originem & laudem Tarso inuenies. Non ignobilis ciuitatis: de qua Leonicensis sic ait. Tarsus celebris Ciliciæ uiros & c. Ciuis: signanter hanc uocem addit Paulus, ut Tribunum placabiliorem efficiat. Monet Paulus quia se ciuem esse allegat, ut nos Christiani, non detrectemus ciuilia priuilegia & iura, imò illis liberè pro necessitate utamur.

Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum.

Rogat Paulus Tribunum, ut permittat ei loqui ad populum, ut suam innocentiam exhibeat, & simul ex charitate lucretur errantes Iudæos.

Et cum ille permisisset.

Ecce philanthropiam Tribuni.

Paulus stans in gradibus.

Qui ante castra erant.

Annuit manu ad populum.

Vt essent silentes. Et magno silentio facto.

Fortassis quia putauerunt Iudæi, Paulum confessurum suam culpam.

Allocutus est lingua Hæbreæ, dicens:

Patria lingua, ut intelligerent Iudæi.

C A P V T X X I I.

**O**RATIO Pauli apologetica est, in qua duo agit: primum defendit se contra Iudæorum accusationem, quod non doceat contra populum, legem et locum sanctum, quia cum ipse Iudæus sit et in lege institutus, non potest contra Iudæicum populum, legem, & locum sanctum docere: imò se uerum & populi, & legis, & sancti loci usum interpretari: quod sine dubio prophetarum testimonijs probasset, nisi in ipsa oratione fuisset oppressus. Deinde enarrat suam cōuersionem ad Euangelium, quæ præter suum meritum, & præter



suam expectationem accidit: quare quod nunc Euange-  
liū doceat, & uerum populi iudaici, legis, & sancti loci  
usum explicet, id nō ex priuato agere eum, sed ex singula-  
rari uocatione, quæ sibi cœlitus contigit.

### Viri fratres

Insinuat se Paulus fratrum appellatione, sicut &  
patrum. Audite. Et postea iudicate.

Quam apud uos nunc reddo rationē.

Meæ innocentie, quæ est, quod non doceam contra  
populum iudaicum, legem, & locum sanctum.

Cum audissent autem, quod Hebræa  
lingua loqueretur ad eos, magis  
præstiterunt silentium.

En quàm adficiat patria lingua, & sic ipsa patria,  
& quicquid est patriæ.

### Ego sum uir Iudæus.

Primum argumentum defensionis Pauli est ab eadē  
dem gente. Enthymema. Ego uir Iudæus sum:

Ergo ego nō doceo contra iudaicum populum &c.

- Argumentum ex natura est, quia secundum naturam  
nemo potest odisse suos conterraneos. Porro quàm nō  
oderit Paulus suos Iudæos, satis indicat, ad Ro. 9. Vbi sic  
inquit. Optarim enim ego ipse anathema esse à Christo  
pro fratribus meis, cognatis meis secundum carnem qui  
sunt Israël &c.

Natus

## Natus in Tarso Ciliciæ.

Secundum argumentum defensionis Pauli à patria.

Enthymema. Tarsus Ciliciæ ciuitas, ubi multi Iudæi sunt, & mei parentes Iudæi habitant, mea patria est:

Ergo ego non doceo contra Iudaicum populum, inò pro illo doceo.

## Nutritus autem in hac ciuitate

Tertiū argumentū defensionis Pauli à circumstantia loci, in quo nutritus fuit. Enthymema. Ego Hierosolymæ nutritus sum: Ergo non doceo contra populum Iudaicum etc. Iuxta pedes Gamalielis.

Quartum argumentum defensionis Pauli à præceptore. Ego præceptorem habui Gamalielē Iudæū: Ergo ego non doceo contra populū Iudaicum, contra legem.

## Diligenter institutus in patria lege

Quintum argumentum defensionis Pauli ab institutione in lege. Enthymema.

Ego diligenter institutus sum in patria lege:  
Ergo ego non doceo contra populum Iudaicum, contra legem.

## Sectator legis

Sextum argumentum defensionis Pauli, à uita, qua expressit legem & uixit secundū legem. Enthymema.

Ego sectator legis sum et fui: Ergo ego nō doceo contra Iudaicū populū, contra legem, et contra locum sanctum.

Sicut & uos estis hodie.

Occupatio, ne putent Iudaei, Paulum alium sectatorum legis fuisse, quam reliqui Iudaei sunt.

Qui hanc uiam persecutus sum,  
usque ad mortem.

Q. d. Paulus: ergo non mirum est, & uos eam persequi. Septimum argumentum defensionis Pauli, à persecutione Euangelij, & à zelo pro patria religione.

Enthymema. Ego persecutus sum Euangelium usque ad mortem: Ergo ego non doceo contra Iudaicum populum, legem, & locum sanctum.

Usque ad mortem exaggeratio studij & zeli Pauli pro patria religione.

Vinciens ac tradens in custodias  
uiros ac mulieres, &c.

Quae sequuntur omnia pertinent ad exaggerationem studij & zeli in Paulo, pro Iudaico populo, patria lege & loco sancto. Usus autem est huius exaggerationis, ut omnino contrarium probet à facta accusatione, et ostendat omnem suam operam eò tendere, quò Iudaicum populum, legem, patriam, & locum sanctum ad uerum usum & intellectum ducat atque reuocet.

Sicut & princeps sacerdotum mihi  
testimonium reddit.

A testibus.

*A testibus confirmat sua Paulus. Princeps sacerdotum: à persona testis addit auctoritatem testimonio.*

**Et omnes maiores natu.**

*Et his personis auctoritatem addit testimonio.*

**A quibus & epistolas accipiens  
ad fratres, &c.**

*Sicuti dixi omnia pertinent ad exaggerationem zeli in Paulo, pro Iudaico populo, patria lege, & loco sancto.*

**Accidit autem eunte me & appropinquante Damasco.**

*Altera orationis Pauli pars sequitur, qua docet, quomodo ad Euangelii cōuersus sit, præter suam expectationem, & cur cœperit uerum usum de Iudaico populo, de lege, & de loco sancto, docere.*

*Pars orationis hæc simplex narratio facti est, id est conuersionis Pauli ad Euangelium. Nec discrepat hæc narratio à superiori quã in Capite nono audiuiimus, nisi in quibusdam uerbis, sensus idem manet.*

*Accidit: quasi dicat præter spem, expectationem, & meritum meum.*

*Excusat se facilitatis Paulus, ne putent Iudæi, illum faciliter aut ex leui occasione ad Euangelium desciiisse.*

*Vsus narrationis totius de conuersione Pauli est, ut innotescat Iudæis, quod non faciliter neq; temerè ad Euangelium*



Euangelium defecerit imò quod habuerit grauissimas causas: nimirum cœlestem ad Euangelium uocationem &c. Hanc narrationem conuersionis Pauli, ego obiter tantum percurrã, quia supra cap. 9. copiose omnia profecutus sum. Eunte me & appropinquante Damasco: idem sibi hæc uoces uolunt atq; uerbum accidit.

Ut media die Circumstantia temporis certam reddit historiam. Subito.

Hæc uox singulariter commendat gratiam præuenientem, & excludit meritum, De cœlo.

A loco commendat uocationem.

Enthymemata obiter hic ludentia sunt.

Accidit ut uocarer ad euangelium: Ergo non faciliter nec temerè Euangelium suscepi. Item.

Eunte me & appropinquante Damasco circumfulsit me lux: Ergo ego non faciliter &c. Item.

Ego media die & subito uocatus sum ad Euangelium Ergo non faciliter &c. Item.

Me de cœlo circumfulsit lux.

• Ergo ego non potui resistere deo uocanti.

Circumfulgeret me lux copiosa.

Hypotyposis uocationis Pauli. Copiosa: exaggeratio lucis. Et decidens in terram.

• In signum me non potuisse tanto domino resistere.

Audiui

Audiui uocem dicentem mihi:

Paulus uocali & audibile uerbo e' caelo uocatus fuit  
ut commendaretur uocale & audibile uerbum ex ore  
fratris. Saule Saule.

Patheticōs uocat Saulum Christus, ut scias Christi  
tristari ad nostram cœcitatē.

Quid me persequeris?

Q. d. Christus, cum nihil talium de te meritis sum,  
qui ueni te saluare, & magna beneficia tibi conferre.

Ego autē respondi. Quis es domine?

Verbi potentia hic commendatur, quod fecit Paulū  
respondere. Quis es domine? Ostendit Paulus ex igno-  
rantia se peccasse. Dixitq; ad me

Confabulatio Christi & Pauli, comendat nobis phi-  
lanthropiam Christi, qui tantum persecutorem benignē  
tractat, donec eū lucretur. Ego sum Iesus Na-  
zarenus, quem tu persequeris.

Cruce Christi, cruce piorum est, et quod subditi Chri-  
sti patiuntur, patitur & rex Christus.

Et qui mecū erant, lumē quidem uide-  
runt & perterriti sunt, uocem autē nō  
audierunt eius, qui loquebatur mecū.

Confirmat rem gestā à testibus. Sed quomodo hæc in-  
telligenda sint, supra cap. 9. dixi. Et ordo hic inuersus  
est.

Et dixi, Quid faciam domine.

*Fidei uerba, quæ obedit uocanti domino, & querit  
quæ sit uoluntas domini.*

Dominus autem dixit ad me.

*Ergo uera sunt, quæ ego narro.*

Surge, uade Damascum.

*Mandatum Dei est, audire uocale & audibile uer-  
bum ex ore fratris.*

Et ibi dicetur tibi de omnibus quæ te  
oporteat facere.

*Id est, quæ sit uoluntas Dei. Diligenter nota uolun-  
tatem Dei & huius cognitionem ex uocali & audibile  
uerbo discendam esse.*

Et cum non uiderem præ claritate lu-  
minis illius, manu deductus à comiti-  
bus, ueni Damascum.

*Ad Euangelium oportet nos cæcos fieri in carne, ne  
oculus humane sapientiæ nos ab Euangelio impediat.  
Vide ea quæ supra dixi cap. 9.*

• Ananias autem quidam uir pius.

*Ananias typus est omnium ministrorum uerbi, qui  
per uocale et audibile uerbum ducunt homines ad Euan-  
gelij cognitionem. Cōmendatio Ananiæ eò spectat, ut sci-  
amus quales esse oporteat ministros uerbi: scilicet pios  
qui*

Qui alios de pietate insituere debeant, habentes bonum testimonium de doctrina uera &c.

Veniens ad me. Ex præcepto Dei.

Stans dixit mihi.

Vocali uerbo uocantur homines ad Euangelij cognitionem. Saul frater.

Insinuatio fratris appellatione.

Respice. *Supra*: dominus misit me, ut uideat, & implearis spiritu sancto.

Et ego eadem hora respexi in eum.

Recepi uisum. Circumstantia temporis commendat potentiam uerbi.

Deus patrum nostrorum præordinauit te, ut cognosceres uoluntatem eius, & uideres.

Signanter adijcit: Deus patrum nostrorum &c. ut attentos faciat Iudeos, & simul commendet causas sue uocationis. Enthymema.

Me Deus patrum nostrorum præordinauit.

Ergo ego non temerè suscepi Euangelium.

Ananiae functio in duobus consistit, ut doceat Paulum uoluntatem Dei, & ut restituat ei uisum.

Quod est iustum. Hæc explicant, Paulum non solum uisum corporis, sed & animæ accepisse.



Quod est iustum: id est, gratuitam iusticiam, quam prius ignorabas.

Et audires uocem ex ore eius.

Ad Gal. 1. Paulus apostolus non ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum, ac deum patrē.

Quia eris testis illius &c.

Aetiologia cur debuit Paulus uidere iusticiam, & audire uocem Dei ex ore eius. Testis illius apud omnes homines: supra cap. 9. Ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israël.

Que uidisti & audisti.

Et diuina & humana reuelatione cognouisti.

Et nunc quid moraris.

Enthymema. Mihi dixit Ananias, quid moraris: Ergo ego morari non potui, quin susciperem Euangelium, et baptizarer. Exurge & baptizare.

Ut habeas signum gratiæ & fauoris Dei erga te &c

Ablue peccata tua.

Id est, crede te fide in Christum, accipere remissionē peccatorū in baptismo. Supra cap. 3. Baptizetur unusquisq; in remissionem peccatorum.

Inuocans nomen domini.

Correctio ne ablutionem peccatorum ipsi aque tri-  
 buat. Nam fidem ut causam sequitur remissio peccato-  
 rum in baptismo, ut effectus.

Inuocans

Inuocans : ex fide. ad Rom. 8. Quomodo inuocabunt  
in quē non crediderunt ? Inuocans nomen domini. id est  
fide credens tibi remitti peccata propter nomē domini.

Accidit autem, reuertenti mihi in  
Ierusalem.

Ad Gal. 1. & supra cap. 9.

Et oranti in templo.

Pro incremento & cognitionis & fidei meae.

Vt fierem in extasi.

Incertum est an raptum illum in tertium caelum in-  
telligat, de quo meminit, 2. ad Corinth. 12.

Et uiderem illum dicentem mihi :

Visionum effectus est, ut ex illis cognoscatur uoluntas  
Dei. Festina & exi uelociter ex Ierusalē

Vocatio Pauli ad gentes se extendit, unde & genti-  
um Apostolum se alicubi uocat. Ad Gal. 1. Ast ubi deo  
qui segregauerat me ab utero matris meae, & uocauit  
per gratiam suam in hoc, ut reuelaret filium suum per  
me, uisum est, ut predicarem ipsum inter gentes.

Quoniam non recipient testimoniū  
tuum de me.

Aetiologia cur Paulus festinare debeat, & exire ē  
Ierusalem: sumpta à notitia Pauli, qua notus fuit Ieroso-  
lymitanis, ut persecutor.

Et

Et ego dixi: Domine, ipsi sciunt, quod ego solebam in carcerem cōſſere, &c.

Confirmat Paulus causam, ob quam non audient eū Hierosolymitani. Hæc & sequentia pertinent ad confessionem indignitatis & peccatorū Pauli, ut commendetur gratia & misericordia Dei erga Paulum immensa. Enthymema. Ego persecutus sum ecclesiā Dei.

Ergo ego non merui meam uocationem.

Et dixit ad me: Vade quoniam ego in gentes procul mittam te.

Ad Gal. 1. Verba Pauli paulo ante citauit.

Audiebant autem eum usque ad hoc uerbum.

Confessio ueritatis odiosa est. Gentium autem nomen odiosissimum in auribus Iudeorum est.

Iudei eorum typum gerunt, qui propter sua opera, aut merita, credunt gratiam Dei, ad se solos pertinere, unde odio habent alios. Ligant hi Iudei regnū Dei ad obseruationes & circumstantias, & faciunt gratiā particularem pro Iudeis tantum.

Tolle de terra talem.

Qui gentes gratiæ participes facit. Gloriantur Iudei in sua prærogatiua, de qua agit Paulus, ad Rom. 9. & ad Ephes. 2.

Non

Non enim phas est eum uiuere.

*Quia contra legem, gentium consortium admittit.*

Vociferantibus autem eis.

*Nihil æquè displicet iusticiarijs operum, atq; peccatores nudos recipi gratuito in gratiam.*

Iussit Tribunus induci eum  
in castra.

*Prudentiæ ciuili exemplum in Tribuno, ut caueatur seditio. Et flagellis examinari eum.*

*Pro more gentium.*

Vt sciret. *Causa flagellationis.*

Et cum astrinxisset eum loris, Paulus  
astanti Centurioni, dixit: Num  
hominē Romanum &c.

*Quæ ad expositionem huius loci pertinere uidebuntur, inuenies supra Cap. 16.*

Quo audito, Centurio accessit ad Tribunum

*Exemplum timoris in Centurione & Tribuno.*

Accedens autem Tribunus

*Ex timore ut causa.*

Dic mihi num tu Romanus es?

*Quæstio de ciue & ciuilibus priuilegijs.*

At ille dixit: etiam



Suum ius & sua priuilegia ciuilia, quæ quis habet non sunt tacenda. Ego magna summa ciuitatem illam consecutus sum.

Videtur exemplum ostentationis esse in Tribuno.

Et Paulus ait: Ego autem & natus sum ciuis.

Q. d. ergo ego præ alijs, qui non sunt nati merito ciuium priuilegijs utor.

Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant.

Quàm mirabiliter Deus sæpe solet liberare suos.

Tribunus quoque timuit.

Quia contra libertatem ciuium Romanorum peccauerat. Hic timor poena est impiorum, qui aut imprudenter, aut nondum cognita causa, ledunt pios.

Postea autem die &c.

Laborat Tribunus pro causa accusationis, ut habeat, quò aliquando se excuset, quod nõ immeritò uirgis cædi iusserit Paulū. Et iussit sacerdotes conuenire &c. Prudentiæ ciuilis est in tribuno, causas ad suum forum non pertinentes, à se reijcere.

C A P V T X X I I I.

**H**istoria coheret, & tanquàm certò ac perpetuo quodam filo ducitur, id quod commendat nobis eruditi

eruditionem Lucae & peritiam, quam habuit in conscribendis historijs. Intendens autem oculos in concilium Paulus.

In fine precedentis capituli audiuiimus, per Tribuni conuocatum esse concilium: nunc audiemus, quid in concilio conuocato actum sit. Exemplum constantie in Paulo, qui non timet oculos suos intendere in concilium id quod signum est constantie & bonae conscientiae in Paulo, de qua sequetur. Ait. Oratio Pauli apologetica est, qua defendit se, quod nihil mali docuerit, neq; fecerit, attestante sibi hoc conscientia sua. Oratio imperfecta est, quia Ananias princeps sacerdotum inter orandum iussit os eius percutere. Viri fratres: insinuat se fratris appellatione. Ego omni conscientia bona conuersatus sum coram deo.

Summū bonū est in prae dicatore, habere bonā conscientia, nihil sibi de doctrina falsa, aut mala uita consciā. Idem serē locus extat 1. ad Corinth. 4. Mihi uerò pro minimo est, ut à uobis iudicer, aut ab humano iudicio, imò nec me ipsum diiudico. Nullius enim rei mihi conscius sum, sed non per hoc iustificatus: scilicet coram Deo. Adhortatur Apostolus Timotheum suum ad bonam conscientiam. 1. ad Tim. 1. Hoc praeceptum com-menda tibi, filij Timothae, iuxta prophetias, quae de te praecesserunt.

præcesserunt, ut milites in eis bonam militiam, habens  
fidem & bonam conscientiam. &c. Conuersatus sum  
tam in doctrina, quàm in uitæ moribus. Coram Deo quæ  
scit: nam mundus nescit.

Vsq; in hodiernum diem.

Exaggeratio bonæ conscientie à circumstantia tem  
poris, Inducere uult Paulus ex principio hoc suæ ora  
tionis. Ego bonam habeo conscientiam coram Deo:

Ergo ego immeritò à uobis includor uinculis. In sum  
ma orationis hæc pars debuit esse defensio innocentie  
Pauli, quæ non fuit dissimulanda.

Princeps autem sacerdotum, præcipit  
astantibus sibi, percutere os eius.

Exemplum tyrannidis in iniquo iudice specta, qui  
præter omne ius iubet percuti Paulum, in iudicio uolen  
tem se excusare, & profiteri suam innocentiam. Vides  
contra pietatem ueram, id esse summam iusticiam, quod  
aliàs in ciuilibus causis esset summa iniusticia.

Tulit Ananias hoc suo facto tyrannico libertatem  
concilij seu iudicij, in quo aliàs liberum est & accusare  
& defendere. Nota itaq; causas ueræ religionis sortiri  
inquissimos iudices. Percutere os eius: contra omnia  
iura, contra libertatem iudicij &c.

Tunc Paulus dixit ad eum.

Exemplum

Exemplum patientiæ in Paulo est, qui percussus, non repperit: fortitudinis autem est tueri ius suum contra iniquum & tyrannum iudicem.

Adhortatur nos suo exemplo Paulus ad duo. Alterum est, ne ius nostrum sinamus nobis eripi, inò tyrannide & uiolentia ereptum, pacificè uerbis defendamus. Alterum, ut contumelia seu uerberibus adfecti, non è contra factò readficiamus.

Enthymema. Paulus ius suum tutatus est uerbis.

Ergo & nos tutari ius nostrum debemus.

Errant Anabaptistæ, qui negant Christianos non debere ciuili iure uti, nec iuxta illud expedire suas causas ciuiles. Paulus hic nihil alieni fecit à Christo, qui Ioannis 17. ait ad illum, qui ei alapam inflixerat. Si malè locutus sum, testare de malo: si benè, cur me cedis.

Percutiet te Deus, paries dealbate.

Verba hæc non sunt priuatae uindictæ, quia illis Paulus Deo uindictam resignat, iuxta illud Deute. 32. Mihi ultio & ego rependam, dicit dominus. Item, Paulus illis uerbis nò peccauit, quia iuxta uoluntatem Dei rectè agit, qui Deo uindictam resignat. Priuatae uindictæ fuisset, si Paulus repperussisset, &c.

Paries dealbate: id est, tu hypocrita, qui foris æquus & iustus iudex uideri cupis, cum interim cruentos ad-



Etus & sanguinolentum animum habeas. Vis ergo scire, quid sit hypocrita, is sic describi potest. Hypocrita est, qui foris dissimulat se æquum & iustum, cum intus cruentum & omni furore ac tyrannide plenum animum habeat

Hypocrita in scripturis propriè est, qui foris fingit se amicum esse ueritatis, & illorū, qui illam profitentur, in hoc, ut postea & ueritatem, & pios persequatur & perdat. Talis hypocrita fuit Herodes, Iudas, qui osculo prodidit Christum, Laban Ge. 32. & alij.

Hanc descriptionē hypocritæ, confirmat & Christus, Matthæi 23. quando clamat. Væ uobis & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris apparēt speciosa, intus uerò plena sunt osibus mortuorum omniq; spurcitiæ. Sic & uos foris quidem apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis fictione & iniquitate & c. Finis hypocritarum est exercere tyrannidē & furorem, quemadmodū sequentibus probat Christus apud Mattheum.

Hypocrisis est pallium cruentorum adfectuum & sanguinolentorum animorum in hypocritis.

Et tu sedens iudicas me secundū legē.

Sicut tu uideri uis.

• Exponit his Christus aliquo modo, quem uocārit parietem

rietem de albatum: niuirū talem, qui uult uideri, iudica-  
re secundum legem & equitatē, & interim nihil minus  
præstat. Et cōtra legē iubes me percuti?

Quia leges libertatem iudicij iubent seruari, et manu-  
dant, ut non solum accusatores audiantur, sed ut &  
accusati se purgent.

Et qui astabant, dixerunt

In his exemplum eorū est, qui in gratiam magnorum  
hominum defendunt tyrannidem & iniusticiā, contra  
ueritatem & huius professores.

Summo sacerdoti dei maledicis?

Q. d. cū id lex prohibeat. Nota impios in prætex-  
tum suæ impietatis & tyrannidis ubiq; abuti scriptura

Questio est de iniuria contra scripturam facta.

Dixit autem Paulus: Nesciebā fratres  
quod princeps est sacerdotum.

Ironia, q. d. Paulus. Si est princeps sacerdotum:  
ergo decuit eum equitas & iusticia: sed quia contra illa  
egit, non putauit eum esse principem sacerdotum.

Scriptum est enim: Principi po-  
puli tui non maledices.

Ætiologia, qua astantes accusant Paulum, quod  
præter legem, principi sacerdotum maledixerit. Paulus  
ipse non allegat scripturam

Ti . . . Sciens

## Sciens autem Paulus.

Docet nunc Paulus suo exemplo, quid Christianos facere oporteat, quando uident se spoliari omni iusticia & equitate: debent tamen omnem mouere lapidem, & querere quaecunq; honesta diuerticula, ne temere incurrant in pericula, imò debent suspendere impios & impiorum tyrannidem, quocunq; tandem modo, ne in effusionem iusti sanguinis incidant, id Christianis pro se utile est, ne seipsos occidant, aut in pericula se temere inijciant, & simul pro impijs est, ne lauent manus suas in sanguine piorum, aut ad minus ad tempus impediantur, id quod charitatis est in christianis.

Quod una pars esset Sadducæorum,  
& altera Phariseorum.

Vnde sciuit Paulus, possibile esse, ut hac uice liberaretur à tyrannide Iudæorum, aut ad minus impediret eos per hac uice, in sua tyrannide. Sadducæi & Pharisei, fuerunt de præcipuis sectis Iudæorū, quibus quamquam alias non conueniat, tamen contra Euangelium facile illis conuenit. Docemur exemplo Pauli, licere nobis quocunq; diuerticulo uti modo honesto, ut tyrannidem impiorum aut impediamus omnino aut producamus. Voco autem honesta diuerticula, que ueritate constant. Sic Paulus hic non mentitur, quia dicit se Pharisæum esse, etc.

Exclama-

Exclamauit in concilio.

Vt hoc suo consilio & sibi & impijs prodesset: si-  
bi ne temere tyrannide impiorum periret: deinde quò  
impios à sua tyrannide impediret, sub spe, quid si inte-  
rim redirent in uiam?

Viri fratres.

Insinuat se fratris appellatione.

Ego Phariseus sum.

Veritatem dicit Paulus, unde monemur, diuerticula  
nostra in cruce debere è ueritate proficisci. ad Philip.  
3. Hebræus ex Hebræis, iuxta legem phariseus.

Filius Pharisei.

Exaggerat se non esse simplicem Phariseum, sed  
Phariseum in genere. Vfus est exaggerationis huius, ut  
facilius commoueat Phariseos.

De spe & resurrectione mortuorum  
ego iudicor.

Id est, propter doctrinam, quam sequuntur Phari-  
sei. Accipit Paulus præcipuam partem doctrine Phari-  
seorum, & eam, quæ ad commouendos Phariseos ma-  
ximè uidetur facere. De spe: quam habent & uiui &  
mortui. Et cum hæc dixisset, facta est

dissensio inter Phariseos &  
Sadducæos.



Ostendunt hæc, quid Paulus sua oratione effecerit: effectus est uerborum Pauli dissensio unâ cum solutione multitudinis. Sadducæi autem dicunt nō esse resurrectionem mortuorum, neq; angelum, neq; spiritum.

A doctrina Sadducæorum & Phariseorum Lucas probabile reddit, dissensionem unâ cum solutione fieri potuisse. Enthymema.

Pharisæi et Sadducæi in doctrina non conuenerunt: Ergo potuerunt in dissensionem incidere, & sic in dissolutionem. Neq; angelum, neq; spiritum: id est, dicunt nec angelos esse, nec spiritum sanctum esse. Vel negant esse angelos & spiritus.

Pharisæi autem utrumq; confitentur.

Tam resurrectionem esse, quàm angelos.

Factus est autem clamor magnus.

Pertinent hæc ad exaggerationē dissensionis factæ.

Et exurgentes scribæ quidam ex Phariseis, pugnabant, dicentes:

Non minimum mediū est, per quod sæpe pij aut omnino liberantur, aut in pace relinquuntur, quando impij inter se dissentiunt: imò hæc dissensio unū ex illis medijs est, quibus deus subinde solet impedire conatus impiorū

Nihil

Nihil mali inuenimus in homine isto.

Magna piorū laus est, eos accipere suæ innocentie testimonia, ab aduersarijs ueræ pietatis.

Isto: cum contemptu personæ. Notat fastū pharisæi cum. Sic & adhuc hodie fit, quod multi iustificent doctrinam, cū interim cōtemnant personas doctrine professores. Vnde hæc sentētia. Doctrina recta est, si à magnis personis procederet. De doctrina nō dubitatur, sed de personis, quæ non sunt illius dignitatis ac æstimationis, ut tantæ doctrine præesse possint &c.

Quod si spiritus locutus est ei, aut angelus non repugnemus deo.

Quia calcitrare contra stimulum & repugnare deo, impium est & impossibile.

Pietatis exemplum in Pharisæis est: & nota etiam Pharisæos sæpe pia locutus esse.

Et cum magna dissensio facta esset.

Et hæc spectant ad exaggerationē dissensionis, quam magnam fieri oportet, ut interim bene habent pij.

### Timens Tribunus

Exemplum carnalis prudentiæ in Tribuno

Ne discerperetur Paulus ab ipsis

Sequitur quid timuerit Tribunus. Timere Tribunū pro Paulo, pertinet ad philanthropiæ cōmendationē in Tribuno.

Tt 4 • Iussit

Iussit milites descendere, & rapere de medio eorum, ac deducere in castra.

Ecce quàm mirabiliter sæpe conseruantur pij. Nã Paulum hic conseruari, pro primo aspectu fuit impossibile.

Sequente autem nocte assistens ei dominus.

*Consolatio contra scandala crucis, ne Paulus in cruce de fauore & gratia Dei addubitare incipiat. Consolatorium est Deum in cruce, pijs presentem esse consolatorem. Confide Paulo.*

*Id est, ne dubita, aut de fauore meo, aut praesidio erga te: itẽ ne dubita de doctrina mea. Locus est promissio: ergo consolatio in cruce non contingit ex opere operato. Sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet & Romæ testificari.*

*Actiologia confidentiæ, à rebus quas porro expedire debet Paulus pro gloria Euangelij.*

Facta autem die.

*Cohærentia ex circumstantia temporis.*

• *Conspirauerunt quidam ex Iudæis.*

*Hi conspiratores eorum typum gerunt, qui summis obtestationibus et deuotionibus, & obtestantur, & deuotent se, ut prorsus perdant ueritatem, & huius professores.*

fessores, sed consilio Dei impediuntur in suo proposito, ut uerum maneat. Homo cogitat de uia sua: Deus autē disponit gressus eius. Commendantur & in hoc sequenti euentu media illa, quæ Deus disponit pro conseruatione piorum et ueritatis. Recte dixit Dauid, Psal. 2. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania.*

Consolatoriuū est deum potentem esse, impios in suis conatibus contra ueritatē & pios impedire posse. Conspirauerunt quidam: ex odio ueritatis & professorum eius. Et deuouerunt se.

Exaggeratur conspiratio iudeorum, ut postea magis innotescat potentia Dei, quæ potuit tantam conpirationem impedire.

**Dicentes: neq; manducatuos se esse  
&c.**

Et hæc pertinent ad exaggerationem conpirationis, propter eundem finem, de quo prius.

**Donec occiderent Paulum.**

Finalis causa conpirationis impiorum, ut perdatur ueritas & ueritatis professores.

**Erant autē plusquā quadraginta &c.**

Exaggerant quoq; hæc à circumstantia personarum conpirationem, propter finē paulo ante dictum, ut potentia Dei postea magis inclarescat.

Tt      Qui



Qui accesserunt ad principes  
sacerdotum.

Quid hic noui est, conspiratores contra ueritatem  
& pios accedere principes sacerdotum & seniores ?

Nihil hic noui est. Siquidem fucatae religionis homi-  
nes & sapientes in mundo extremè oderunt gratuitam  
iusticiam.

Et dixerunt: Deuotione deuoui-  
mus &c.

Exponunt conspiratores suam deuotionem, ut grati-  
ficentur principibus sacerdotum & senioribus.

Nunc ergo uos significate  
Tribuno

Contra Euangelium & pios non ex aperto agitur,  
sed ex insidijs & dolo, id quod signi est Euangelium esse  
certam & potentem doctrinam.

Tanquam aliquid certius cognituros  
de eo.

Eccè insidias & dolum impiorum.

Nos uerò priusq̃ accesserit, parati su-  
mus eum interficere.

Consilium certum est, sed ex dispositione dei infeli-  
cem sortitur euentum.

Cum.

Cum autem audisset filius sororis  
Pauli insidias strui.

*Hic filius illorum typus est, per quos Deus sepe maxima & prudentissima coram ratione mundi impij consilia contra Euangelium & pios impedit.*

*Terrori est impios habere magna consilia: at consolationi est, Deum potentem esse illa impedire posse.*

Vocans autem Paulus unum ex  
Centurionibus, &c.

*Pijs innotescunt insidiae impiorum, ad probationem fidei illorum: uerum illas insidias, quantum possunt ipsi impedire simul debent per legitimum magistratum.*

Et ille quidem assumens eum, duxit  
ad Tribunal, &c.

*Philanthropiae & humanitatis exemplum in Centurione est.* Apprehendens autem Tribunalis manum illius, &c.

*Decet magistratum philanthropum esse.*

Quid est, quod habes indicare mihi?

*Questio de indicandis, ut uocant.*

Ille autem dixit: Iudaei conspirant, &c.

*Nota potentiam Dei, qui secretissima impiorum consilia, manifestare potest.*

Tu

Tu uerò ne credideris illis.

*Quia ex insidijs agent tecum, ut opprimatur Paulus.*

*Insidiantur enim ei ex illis &c.*

*Aetiologia cur nõ credat Tribunus conspiratoribus, sumpta à deuotione, qua deuouerunt se, pro oppressione Pauli.*

Et nunc parati sunt, expectantes  
promissum tuum.

*Monet adolescens à circumstantia temporis, cauendum esse Tribuno. Enthymema.*

*Nunc parati sunt &c. Ergo tibi cauendum est.*

*Tribunus igitur dimisit adolescentẽ.*

*Prudentiæ ciuilibus exemplum in Tribuno, ne adolescens proditiõne facti in periculum incidat &c.*

*Parati milites ducentos &c.*

*Vides impios frustrari suis consilijs, id quod ualde consolatorium est pro pijs.*

*Iustitiæ ciuilibus exemplum in Tribuno, qui non uult Paulum per seditionem opprimi.*

*Numerus armatorum exaggerat iusticiam in Tribuno qui satis armatorum ordinat, ut tutior sit Paulus.*

*A tertia hora noctis.*

*Circumstantia temporis & iusticiam & prudentiam in Tribuno exaggerat.*

Et

Et iumenta præparate, ut imponētes  
Paulum, saluum perducant ad  
Fœlicem præsidem.

*Finis omnium armatorum & iumentorum, ut Paulus saluus perducatur ad Fœlicem præsidem.*

Et scripsit ei epistolā continentē hæc.

*Nihil non facit Tribunus pro salute Pauli, ut iudeas clementiæ exemplum in illo erga uinctum Paulum.*

Claudius Lyfias optimo præsidī  
Fœlici salutem.

*Inscriptio epistolæ continens salutationem, & exprimens nomen salutantis. Summa epistolæ consistit in hoc, ut narret quomodo Paulus in uincula uenerit, & qua de re accusatus fuerit, cū absolutione Pauli per Tribunalum, ad placitum Fœlicis præsidis.*

*Epistola narratoria est facti.*

Virū hunc comprehensum à Iudæis.

*Tribunus gentilis de Iudæo contemptim loquitur.*

Cum eum iam interfecturi essent.

*Causa capti Pauli, à necessario, ne per seditionē opprimeretur. Superueniens eum exercitu eripui, ubi cognoui quod*

*Romanus est.*

*Causa cur Paulum Iudæis eripuerit, quia Romanus*

*erat.*



Volensq; scire causam,

In hoc, ut possem sedare seditionem.

Quem comperi accusari de quaestio-  
onibus legis ipsorum,

Qua de re accusatus fuerit Paulus.

De quaestionibus legis ipsorum: per contemptum haec  
effert homo gentilis.

Neq; crimen ullum habere dignum  
morte aut uinculis.

Testimonium innocentiae Pauli.

Cum autem ad me perlatum esset.

Causa ablegati Pauli ad Felicem.

Denuncians & accusatoribus, ut si  
quid aduersus eum habent,  
dicant apud te.

In hoc, ne haberent accusatores, quod queri possent  
Milites uero secundum praecipitum  
sibi assumentes Paulum

Exemplum obedientiae in militibus, erga magistratum.

• Illi cum uenissent Caesaream, & tradi-  
dissent epistolam praesidi &c.

Executio commissi & delegati à Tribuno.

• Cum legisset praeses autem & interro-  
gasset ex qua prouincia.

Philantropiæ cuiusdã est in Felice, interrogare Paulum de patria, nec statim eum antequam ei loqueretur, in carcerem proijcere.

Audiam te, inquit, cum accusatores tui uenerint.

Nam æquum est audire utramq; partem. Iusticiæ ciuiliis est exemplum in Felice, qui ante cognitionem causæ, non opprimit Paulum.

## CAPVT XXIIII.

**S**ERIES historie perpetua est.

Post quinq; autem dies.

Cohærentia ex circumstantia temporis.

Ascendit princeps sacerdotum Ananias, cum senioribus quibusdam, & Tertullo quodam oratore.

Princeps sacerdotum & seniores, eorum typum gerunt, qui ueritatem mendacibus accusant, ut eam extinguant. Tertullus orator illorum imago est, qui quæstus gratia suscipiunt malas atq; sic impias causas defendere.

Et uocato Paulo accepit Tertullus, dicens:

Oratio Tertulli generis iudicialis, continens accusationem Pauli, ut hominis seditiosi, & religionis inter-

● turbatoris

turbatoris. Oratio ad Rhetoricæ præcepta elaborata est, elegans & facunda, qualem esse oportet orationem mendacem, ut uerborum lenocinio, et prætextu eloquentiæ, fallat incautos. Consolatur & confirmat mendax hæc Tertulli oratio, omnes pios, scientes aduersarios ueritatis, non nisi mendacijs contra illam agere.

Cum in multa pace agamus per  
te &c.

Exordium constat commemoratione beneficiorum Felicis, ut ea sibi fauorabilem iudicem paret Tertullus. Hoc exordio habent opus, qui proposituri sunt malam causam. Videtur exordium enthymemate explicari posse. Enthymema.

Tu Felix semper multa in nos contulisti beneficia et seruasti nobis pacem: Ergo & nunc conferes in nos beneficia, & seruabis nobis pacem.

Ne diutius autem te protraham &c

Docilem reddit Felicem, quia promittit se breuiter dicturum.

Inuenimus hunc hominem pestiferum

Narratio constans accusatione Pauli, quem multis uitijs grauat Tertullus, ut Felicem erga Paulum inflammet. Hunc hominem: per contemptum. Pestiferum: exaggeratio cause Pauli.

Et

IN ACTA APOSTOLORVM. i ois

Et concitantem seditiones.

*Accusatur Paulus seditionis, quia Euangelium apparet ad ferre seditionem, quia contraria mundo & rationi docet.*

Omnibus Iudæis.

*Aggrauatio causæ Pauli, à circumstantia personarū.*

In uniuerso orbe.

*A circumstantia loci aggrauat Tertullus causam Pauli*

Et principem esse lectæ Nazarenorū.

*Et hæc pertinent ad aggrauationem causæ Pauli.*

*Accusatur Paulus prophanate religionis.*

Qui etiam templum prophanare conatus est.

*Omniū maxima aggruatio causæ Pauli, à prophanatione religionis. Vides Tertullum oratorem omnium maxima persuasionis argumenta proferre, ut discas homines eloquentes, non iocari, quando eloquentia sua abuti uolunt.*

Quem & apprehensum, uoluimus secundum legem nostram iudicare.

*Quam habemus de prophanatoribus & blasphematoribus nominis Dei, & religionis nostræ*

Superueniens autem Tribunus

Lysias &c. *Causa impediti iudicij in Paulum.*

Iubens accusatores eius ad te uenire.



Occupatio, ne putet Felix accusatores ex se uenisse.

Ex quo poteris ipse facta inquisitione  
omnia deprehendere.

Ex quo: *Lysia.* Adiecerunt autem Iu-  
dæi, dicentes: hæc se ita habere.

Confirmatio eorum, quæ dixit Tertullus, uel potius  
approbatio.

Respondit autem Paulus.

Oratio Pauli apologetica est: defendit enim se neq;  
seditiosum esse, neq; religionis prophanatorem, de qui-  
bus eum accusauerant.

Cum annuisset ei præses, ut diceret.

Paulus non prius respondet, quàm habet à iudice re-  
spondendi facultatem, id quod modestiæ est in Paulo,  
qui ad tam mendacem accusationem se cohiberi potuit.

Cum sciat te multos annos huic genti  
præfuisse.

Artis est, ea posse pro se adducere, & in suum usum,  
quæ aduersarij summa arte pro se adduxerunt. Sic Pau-  
lus non minus gratulatur sibi Felicem contigisse iudi-  
cem, quàm prius gratulatus est Tertullus. Captat bene-  
uolentiam Paulus à persona iudicis.

Enthymema. Tu Felix multos annos huic genti præ-  
fisti: Ergo de tua æquitate non dubito.

Exordium

Exordium est à congratulatione. Aliud enthymema.

Ego scio te Felicem multos annos præfuisse genti Iudaicæ: Ergo ego æquiore animo pro me causam dicā.

Potes enim dicere.

Narratio incipit ab ætiologia, qua monet iudicem prius scire causam, antequàm ipse narret: uel, qua monet se iustam habere causam, quia cum ante duodecim dies Ierosolymam ascenderit, non potuit in tam breui tempore, aut prophanare admodum templum, aut seditionem excitare. Enthymemata. Ego primū ante duodecim dies ascendi Ierosolymā: Ergo non potui prophanare templum, aut seditionē excitare. Aetiologia est à circumstantia temporis.

Et neq; in templo inuenerūt mecum aliquo disputantem.

Secundum ergumentum defensionis à circumstantia loci. Enthymema. Me in templo non inuenerunt cum aliquo disputantem. Ergo templum non prophanauī, neq; seditionem excitauī.

Aut concursum facientem turbæ.

Tertium argumentum à negatione facti. Enthymema. Me non inuenerunt concursum facientem turbæ: Ergo ego non excitauī seditionem.

Neq; in synagogis, neq;  
in ciuitate.

Alia argumenta defensionis à circumstantia loci.

Me neq; in synagogis, neq; in ciuitate inuenerunt me  
concursum facientem:

Ergo ego seditionem non excitauit.

Neq; probare possunt tibi de quibus  
me nunc accusant.

Epilogus defensionis, cuius summa est, se neq; seditio  
sum esse, neq; templi aut religionis prophanatorem.

Confiteor autem hoc tibi.

Postq̄ defendit et expurgauit se Paulus de accusatio-  
ne falsa, incipit nunc urgere defensionem, & confiteri  
ueritatem, ut declaret se non accusari, propter illa, quæ  
ueritati sunt contraria, sed accusari propter ipsam ueris-  
tatem. Pertinent hæc ad confessionem uerbi, quæ nõ est  
neganda: interim licet exemplo Pauli de mendacijs se  
excusare, Quòd secundum uiam, quã  
dicunt hæresin.

Ethoc artis est, adfirmare aduersarios hoc idem  
sentire quod nos.

Oratio Tertulli ad artem elaborata fuit, facunda  
& eloquens: at sanè oratio Pauli non minus aut artis,  
aut facundie, aut eloquentie habet.

Quod

IN ACTA APOSTOLORVM. 1019

Quod secundū uiam, quam dicunt haresin: periphra-  
sis Euangelij. Quam dicunt: non uerè.

Maximè his urget Paulus, se non esse prophanatorem  
religionis. Sic seruiio patrio deo.

Enthymema defensionis. Ego seruiio patrio deo:  
Ergo ego non prophano religionem.

Credens omnibus, quæ in lege  
& prophetis scripta sunt.

Enthymema defensionis. Ego credo omnibus &c.  
Ergo ego non prophano religionem.

Spem habens in deum. Enthymema.

Ego spem habeo in deum: Ergo ego nõ sum prophe-  
nator religionis. Quam et hi ipsi expectāt,  
resurrectionem fore mortuorū, iu-  
storum & iniquorum

Emphaticōs hæc dicta sunt, quibus maximè euincit ad-  
uersariorum accusationem falsam esse. Enthymema.

Ego expecto resurrectionem, quam aduersarij mei ex-  
pectant: Ergo ego non sentio contra religionem illorū  
Habet hic definitionē resurrectionis, quæ est in qua iu-  
sti & iniqui æquè resurgent. Ad eundem modum defi-  
nit Christus resurrectionē mortuorum, Ioannis 6. Noli  
mirari hoc, quia ueniet hora &c.

In hoc & ipse studeo sine offendiculo  
V u 3 consentiam



1020 ERASMI SARCERII SCHOL  
conscientiam habere erga deum &  
homines semper.

Obestatio à propria conscientia, qua cōfirmat Paulus se nō esse prophanatorē religionis: imō defensorem & interpretem. Enthymema. Ipse in hoc studeo &c.

Ergo non sum prophanator religionis. Sine offendiculo: salua mea conscientia. Vnica hæc piorum gloria est, quod habeant coram deo & hominibus bonam conscientiam. Sic gloriatur & Apostolus, 1. ad Cor. 4 Sic, 1. ad Timoth. 1 ad bonam conscientiam Paulus hortatur suū Timotheū. Post annos autē plures

Occupatio, ne obijciant aut aduersarij, aut iudex,

Paule tu non primū ante duodecim dies ascendisti Ierosolymam: ergo seditionem excitare potuisti, et patriā religionem prophanare? Respondet Paulus occupatione. Post annos &c. Post annos autē plures: scilicet, à primo meo aduentu, aut ab alijs (ut ita loquar aduentibus meis) in Ierosolyā. Sūma est sequentis defensionis Pauli, & illius tertie ( quia tertia uice nunc defendit se Paulus ) quod non potuerit seditionem excitare, aut prophanare religionem Ierosolymæ, quia in gentē suam contulit beneficia, & in templo purificatus est, non cū turba, neq; cum tumultu.

Eleemosynas factururus genti meæ &  
oblaciones.

Eleemosynas

Eleemosynas quas ecclesia Antiochiensis collegerat  
ut supra Cap. 11. Enthymema.

Ego ueni Ierosolymam facturus genti meae eleemosy-  
nas: Ergo ego nõ uolui perdere gentem meam seditione.

Item. Ego ueni Ierosolymam facturus oblationes:  
Ergo ego non sum prophanator religionis.

Tum inuenerunt me purificatum in tem-  
plo, non cum turba, neque cum tumultu.

Idem sibi uult his uerbis, quod proximo argumento.

Quidam autem ex Asia Iudaei.

Ostendit accusationem, si quid mali fecisset, potius Asia-  
ticorum et Iudaeorum esse, quam Ierosolymitanorum: quia  
apud Asiaticos longius uersatus est. Enthymema.

Ego apud Asiaticos Iudaeos longius uersatus sum:

Ergo me longe potius accusarent Asiatici Iudaei, quam  
Ierosolymitani.

Quos oportebat apud te praesto esse

Quia apud illos longius et crebrius uersatus sum.

Aut accusare, si quid ad uersum  
me haberent

Scilicet mali, aut seditionis, aut prophanationis reli-  
gionis. Aut hi ipsi dicant, num quod in-  
uenerint in me crimen, cum

sto in Concilio.)

Optima defensio est, quæ ab ipsis accusatoribus petitur, quod ipsi cogantur nos excusare, & dare nostræ innocentie testimonia.

Enthymema. Me Asiatici Iudæi non accusarunt,  
Ergo nec Ierosolymitani Iudæi accusare debent.

Cum sto in Concilio: supra cap. 23.

An de una hac solum uoce accusor?  
qua clamaui.

Purgatio ab inconuenienti. Ego clamaui de resurrectione mortuorum: Ergo non docui contra religionem Iudæorum.

Cum hæc audisset Felix distulit illos.

Id est, causam distulit in aliud tempus.

Certissimè sciens de uia hac.

Aetiologia cur distulerit causam iudex: sumpta à cognitione doctrine seu religionis Iudæorum, quam habuit Felix.

Enthymema. Felix certissimè scit de uia Iudæorum,  
Ergo differt causam. Sine dubio cognouit Felix, Paulum innocentem esse, neq; quicquam diuersi docere à Iudæorum religione. Cognoscere autem potuit, quia sciuit uiam Iudæorum.

Cum tribunus Lysias descenderit,  
• audiam causam uestram,  
•

Altera causa dilatationis, quia accusatores ipsi uoluerunt, ut Felix ex Lysia omnia cognosceret, ut supra Iussitq; Centurioni custodire Paulum ut haberet requiem &c.

Exemplum clementis & misericordis iudicis in Felice. Sed deus ita clementes & misericordes iudices mittit pijs in solatium. Post aliquot autem dies.

*Historia coheret ex circumstantia temporis.*

Veniens Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Iudæa.

De uxore Felicis, et quomodo illa potitus est, uide doctissima commentaria D. Bullingeri super hunc locum.

Vocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem quæ est in Christum Iesum.

Felix & Drusilla illorum typum gerunt, qui dissimulant se amicos ueritatis, ut inde questum faciant. Multi sunt hodie Felices, & Drusillæ multæ.

Disputante autem illo, de iusticia, & temperantia, & iudicio futuro.

Vt de præcipuis Christianismi articulis. De iusticia quia in hoc omnis salus sita est. De temperantia, quia sine dubio, intemperantia, luxu, scortatione perditus fuit Felix unâ cum uxore. De iudicio futuro, ut uel à supplicio inuitaret Felicem unâ cum uxore ad poenitentiam.



Si fiat complexio, sensus est Paulum prædicasse pœnitentiam & remissionem peccatorum.

**Tremefactus Felix respondit.**

Exemplum seruilis timoris in Felice, qui non in hoc tremefit, ut seriò pœnitentiam agat, et conuertatur, sed timore pœnæ. Quod ad præsens attinet abi

De natura serè magistratus est, ut nõ ferat diu prædicationem pœnitentiæ.

Simul autem sperans, quod pecunia ei daretur à Paulo

Causa cur miscuerit colloquium Felix cum Paulo, non ut per illum ad fidem conuerteretur, sed ut ab illo pecuniam acciperet. Exemplum auari iudicis in Felice, qui non tam iusticiam & æquitatem diligit, quàm pecuniam.

**Biennio autem expleto.**

Ab initio captiuitatis Pauli.

Volens autem gratiã præstare Iudæis Felix reliquit Paulum uinctum.

Exemplum captatæ auræ popularis in Felice.

C A P V T X X V.

**H**ISTORIA coheret sine ulla digressione, id quod raro fit in tam prolixis historijs, Vestus ergo cū uenisset in prouinciã.

Postquã

Postquam Felix secundo anno Neronis esset Romanam reuocatus.

Post triduum ascendit Ierosolymam  
à Cæsarea.

*Causa ascensus non exprimit Lucas, studens breuitati.*

Audieruntq; eum principes sacerdotum, & primi Iudæorum aduersus Paulum.

*Impij non cessant persequi pios nisi uideant piorum sanguinem. Nota qui sint precipui hostes Christi & ueritatis, atq; adeò sic omnium, qui Christum atq; ueritatem confitentur: nimirum homines fucate religioni dediti, & qui in mundo primi sunt, hoc est, qui maxime sunt aestimationis & dignitatis.*

Et rogabant eum.

*Studium impiorum nota pro extirpanda ueritate & pijs.* Postulantes gratiam aduersus eum.

Id est, ex fauore iudicis sperantes Paulum Ierosolymam rediturum. Hi principes sacerdotum & primi Iudæorum, eorum typum gerunt, qui ex fauore magnorum hominum, sperant oppressionem piorum.

Arma impiorum contra ueritatē et huius profectores  
sunt

sunt, doli, insidiæ &c. Est & exemplum hypocriseos in principibus sacerdotum & primis Iudeorum, qua tegunt cruentos suos adfectus et sanguinolenta proposita  
**Vt iuberet perduci eum in Ierusalem.**

*Prætextus hypocriticus, quo tegunt suas insidias.*

**Insidias tendentes, ut interficerent eum in uia.**

*Finis hypocriseos in impijs, ut perdatur ueritas & unâ cum ueritate pijs. Enthymema.*

*Tendunt insidias: Ergo sunt hypocrite.*

**Festus autem respondit seruandum esse Paulum in Cæsarea.**

*Vides hic impiorum conatus & insidias, non semper sorti felicem euentum, sed Deum potentem esse, impiorum insidias & conatus impedire posse, id quod consolatorium est.*

*Prudentiæ est in Festo, cognoscere & præuidere Iudeorum insidias, & nihil temerè committere.*

*Quod hic Festus non temerè assentiatur Iudæis, id sine dubio fit ex dispositione Dei singulari, qui ex ipsis hostibus sæpe disponit pijs tutores.*

**Se autem maturius profecturum esse.**

*Occupatio, ne querantur de iniuria, quia Festus nõ uult Paulum perduci Hierosolymam.*

Primarij ergo inter uos unà, inquit,  
descendant, accusaturi cum  
sicubi reus est.

*Iusticia ciuilis exemplum in Festo, qui Iudæos uult  
recto ordine, & secundum iura agere contra Paulum.  
Sicubi reus est: q. d. Fieri enim potest, quod quis sepe  
pro reo iudicetur, cum tamen reus non sit.*

Commoratus autem inter eos dies nō  
amplius quàm decem.

*Circumstantia temporis ostendit. Festum seruasse  
suam promissionem, qua promiserat se maturius profecturum esse.*

Et altera die sedit pro tribunali, &  
iussit Paulum produci.

*Et hæc sessio commendat in Festo ciuilem iusticiam  
qui prius accusationem audire uult, & cognoscere causam,  
antequàm damnet Paulum.*

Qui cum productus esset, circumsteterunt eum Iudæi.

*Verbum circumsteterunt, studium & sitim opprimendi Paulum, declarat.*

Qui ab Ierosolymis descenderant.

*Circumstantia loci certos notat Iudæos, q. d. illi circumsteterunt Paulum ad accusandum & opprimendum*



eum, qui ut homines religiosi, & ab illo loco ubi, debuit esse cura uerae religionis, potius Paulum defendere debuerunt. Multas & graues causas obijcientes.

Quae quales fuerint, ex sequentibus cognoscere licet. Graues: in speciem.

Quas non poterant probare.

Terrori est multas & graues causas obijcere impios contra pios. At consolationi est, illos non posse probare multas & graues suas causas. Vides hic iterum contra ueritatem non nisi mendacis agere impios.

Paulo rationem reddente, quod neque in legem Iudaeorum, neque in templum, neque in Caesarem quicquam peccasset.

Defensio Pauli ostendit de quibus capitibus, accusatus fuerit à Iudaeis. Cōsistit autem defensio in hoc quod neque contra legem, neque templum, neque Caesarem peccauerit, neque religionis prophanator fuerit, neque seditiosus: imò quod docuerit uerum legis & templi usum, & seditiones quantum fieri potuerit, compresserit. Habent omnes pij hanc Pauli accusationem cōmunem quare et defensionem. Sic omnes pij propter duas causas potissimum accusantur: uel quia praesumuntur esse prophanato-

res religionis, uel quia seditiosi proclamantur.

Festus autem uolens gratiam præstare Iudæis, respondens Paulo dixit.

*Exemplum captatæ auræ popularis in Festo.*

**Vis Ierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari apud me?**

*Questio de loco iudicij in causa Pauli.*

**Dixit autem Paulus.**

*Ius ciuile quod habet Paulus pro se cōstanter illo utitur*

**Ad tribunal Cæsaris sto, ibi oportet me iudicari.**

*Enthymema. Ego sto ad tribunal Cæsaris:*

*Ergo me ad hoc iudicari oportet.*

*Cernis hoc Pauli responso, improbos iudices sepe confundi propter suam improbitatem.*

*Oportet: modo iusticia seruanda sit, & libertas tribunalis. Iudæos non læsi.*

*Ergo non est mihi ascendendum Ierosolymam.*

**Sicut tu melius nosti.**

*Quanquàm dissimules: Ecce in probitatem iudicis, quem Paulus tacite confundit & modestè. Exemplum modestæ & patientiæ in Paulo, qui non acerbius agit cum improbo iudice, captante auram popularem à Iudæis.*

Si enim læsi aut dignū morte aliquid  
feci &c.

*Summum testimonium innocentiae Pauli, qui non de-  
tractat iuxta sua merita puniri.*

Si uerò nihil est eorum, quorum hi ac-  
cusant me.

*Summa horum est se innocentem, non esse in gratia  
am iudeorum aut damnandum, aut in periculum mit-  
tendum. Nemo potest me illis donare.*

*Modo seruanda sit iusticia, quæ monet innocentes  
dimittendos esse, non damnandos &c.*

Ad Cæsarem prouoco.

*Exemplum prouocationis & appellationis ad supe-  
riorem magistratum in Paulo: qui monet suo exemplo.  
ut homine Christiano uti liceat & ciuili magistratu, &  
iure ciuili. Enthymema. Appellare licet Christiano, ex-  
emplo Pauli: Ergo & magistratu uti & ciuili iure  
Christiano uti licet.*

Tunc Festum cum concilio locutus.

*Deliberauit cum concilio.*

• Respondit Cæsarem appellasti, ad Cæ-  
sarem ibis.

*Inferior iudex non potest nec debet appellanti ad su-  
p̄iorem negare appellationem.*

*Inferior*

Et cum dies aliquot transacti essent.

*Cohærentia historie ex circumstantia temporis.*

Agrippa & Berenice descenderunt  
Cæsaream ad salutandum Festum.

Agrippa Herodis Agrippæ, quem Cæsareæ extinxerat angelus, ex Bernice filius. Quamquam alij Bernicen matrem Agrippæ fuisse censeant: alij filiam, alij sororem. Vide Iosephum lib. 20. Antiq. cap. 9.

Et cum dies plures ibi morarentur.

*Circumstantia temporis reddit Lucas sequentia de indictione Pauli, uerisimilia.*

Festus regi indicauit de Paulo.

*Fortassis consilij gratia, aut ut iactaret suam iusticiam & æquitatem in conseruando Paulo.*

Vir quidã est relictus à Felice  
uinctus, &c.

*Narratio facti de accusatoribus Pauli, & iudicis æquitate contra Pauli accusatores iniquos, qui petierunt sententiam, nondum audita causa.*

Quibus respondi. Exemplum arrogantiæ seu iactantiæ in Festo. Quod non est Romanis consuetudo, donare aliquem hominem, ut perdatur, &c.

*Summa est consuetudinis huius, audire utramq; partem,*



tem, & neminem damnare ante cognitionem cause exactam. Cū ergo huc conuenissent, &c.

Pergit iactare suam diligentiam pro conseruanda iusticia & equitate. De quo cū stetissent accusatores, nihil eorum obijciebāt, de quibus ego suspicabar.

Vtputa de ciuilibus negotijs, quorū tractatio ad me ciuilem iudicem spectat, aut de rebus magis serijs, &c. Quæstiones uerò quasdam de sua superstitutione habebant, &c.

Homo gentilis contemptim loquitur de religione Iudeorum. Et de quodam Iesu defuncto.

Valde contemptim hæc effert Festus: nec mirum quia Iesus stultitia est Iudæis. Hæsitans autem ego de huiusmodi questione, &c.

Prætexit Festus suam improbitatem, nec confitetur in gratiam Iudeorum quæsiisse, num uellet Paulus ire Ierosolymam, &c. Paulo autem prouocante ad Augusti cognitionem, iussi seruari eū, donec mittam eū ad Cæsarem.

Et hinc laudem querit Festus, quia appellanti concessit appellationem. Agrippa autem dixit ad Festum. Volebam & ipse hominē audire. Exemplū curiositatis in Agrippa, qui Pau-

lum uidere uult, non ut eius conuersatione conuertatur, sed ut illo se tanquàm spectaculo oblectet.

Cras (inquit) audies eum.

Paulus fit hic magnis in mūdo hominibus spectaculū. Altera autē die cū uenissent Agrippa  
Eccē pompā magnorū hominū in mundo, qui suo magno apparatu tantū negotij habent, quod nequeant curare salutis uiam. Et dixit Feitus: Agrippa rex & omnes, &c. Oratio Festi ad Agrippam & reliquos presentes, cuius summa in tribus consistit: in uehementi & acri Pauli accusatione à Iudeis facta, in excusatione Pauli, qua eum ipse iudex excusat, & in petitione consilij, quomodo scribendum sit Cesari, ad quem appellauit Paulus. Propter quod produxi eum ad uos, &c. Causa producti Pauli coram Agrippa & alijs. Absurdū enim mihi uidetur, &c. Actiologia cur petat ab Agrippa consiliū, ut habeat, quod scribat Cesari, sumpta ab absurdo. CAPVT XXVI.

Historia sine ulla digressionē coheret.

Agrippa uerò ait ad Paulū, permittitur tibi loqui pro temetipso. Cōcedit Agrippa Paulo, ut loquatur pro se, ex curiositate potius, quàm ut cause Pauli innocentis patrocinetur. ●

Tūc Paulus extēta manu, p se dicebat.

Extensio manus gestus quidam est dicentis Pauli, et uel manu demonstrantis sua.

Beatum me esse duco, rex Agrippa.

Oratio Pauli didactica est: docet enim quæ sua uita sit, cuius cōditionis p̄sona, et quæ sua religio: postea apologetica est generis iudicialis: quia defendit se nō esse prophatorem religionis, neq; seditiosum contra Iudæos, sicut accusatur: tandē incipit rursus didactica esse: nā docet Paulus de sua cōuersione, postquā excusat se facilitatis in suscipiendo Euangelio. Exordiū sumptū est à congratulatione, quemadmodū etiam ubiq; exorditur suas epistolas Paulus. Captat hoc exordio Paulus beneuolentiā à persona Agrippæ, quam ualde eleuat, ut se cōmodius insinuet Paulus. Cum apud te rationem reddere hodie contigit &c.

Apud te: ualde emphaticōs ait: apud te,

Maximē cū scias omnes cōsuetudines, et quæstiones, quæ sunt apud Iudæos.

• *Causa, cur beatū iudicet se Paulus, quod corā Agrippa rationem reddere debeat suæ accusationis: sumpta à peritiis iudicis. Propter quod obsecro patienter me audias. Petitione attentum reddit Agrippam. Et quidem uitam meā è iuuetute &c.* •

Narratio

Narratio qua exponit atq; docet Paulus, quæ sua uita sit, quæ personæ suæ conditio, & quæ sua sit religio.

Enthymemata hic scitu necessaria. Mea uita ut irreprehensibilis nota est omnibus Iudeis: Ergo ego nō sum prophanator religionis Iudæorū, neq; seditiosus contra gentem meam. Item. Ego Phariseus sum: Ergo non sum prophanator religionis Iudæorum, neq; seditiosus contra gentem meam. Item. Mea religio non dissentit à religione Iudæorum: Ergo ego non sum prophanator religionis Iudæorū, neq; seditiosus cōtra Iudæos.

Ex his argumentis uult inferre Paulus, se præter meritum accusari à Iudeis. Quid incredibile iudicatur apud uos, si deus mortuos suscitaret? Epiphonema, quo concludit Paulus, se iniustissimè accusari à Iudeis. Enthymema. Omnes boni uiri credibilem statuunt resurrectionem mortuorum: Ergo ego immerito accusar. Et ego quidem æstimaueram me aduersus nomē Iesu Nazarenī debere multa contraria agere

Occupatio, qua aliquantū excusat Paulus ignorantes Iudæos, qui quod persequantur Christi amicos, id non esse mirum: nam ignorantia & Paulum sefellit, quod aliquando persecutus sit Christum et doctrinā ueram: item, docet hac occupatione, se non faciliter,



neq; ex leuibus causis ad Euangeliū defecisse. Oratio-  
nis pars didactica est. Siquidē docet de sua cōuersione  
Paulus. Et ego quidem &c: ergo non est mirum &  
Iudeos nunc agere contra Christum. Item.

Ego Iesum Nazarenum persecutus sum olim:

Ergo quod ego nunc amo Iesum Nazarenum, non fit  
sine grauisimis causis. Item. Ego olim Euange-  
lium odi: Ergo ego non temerē nunc suscepi Euangeli-  
um. Aestimaueram: ex ignorantia motus.

Quod & feci Ierosolymis

Exaggeratio odij Pauli contra Euangelium à circū-  
cūstātia loci, ut inclarescat causæ cōuersionis ad Euā-  
gelium, quas grauisimas esse oportuit. Enthymema.

Ego Ierosolymis persecutus sum Euangelium.

Ergo quod ego nunc amo Euangeliū, non temerē facio

Et multos sanctorum &c.

Omnia exaggerant odium Pauli contra Euangeliū,  
ut postea innotescāt magis causæ, propter quas ab odio  
contra Euangelium conuersus est.

• Aē dū irem Damascū. Propius accedit  
ad causas suæ conuersionis quam nō faciliter neq; teme-  
rē contigisse dicit Paulus, sed ex singulari dei uoluntate  
et uocatione. Enthymemata. Me uocauit deus ad Euangeli-  
um: Ergo nō temerē Euangelium suscepi. Item.

Nemo

Nemo debet deo uocati resistere: Ergo nec ego uocanti deo resistere debui. At dum irem Damascum: declarat Paulus se præter meritum et expectationem ad Euangelium uocatum esse. Die media in uia &c.

Hypotyposis conuersionis Pauli.

Dumque omnes nos cecidissimus in terram, audiui uocem loquentem ad me.

Enthymemata. Ego diuina uoce uocatus fui ad Euangelium: Ergo ego non temere suscepi Euangelium.

Ego sum Iesus, quem tu persequeris, sed exurge & sta super pedes tuos

Enthymema. Me Iesus ipse uocauit ad Euangelium. Ergo ego non potui resistere, quin susceperem Euangelium. Ad hoc enim apparui tibi &c.

Enthymema. Ego à Iesu ipse constitutus sum minister & testis Euangelij: Ergo ego non possum non Euangelio seruire, & de illo testari. Habes hic descriptionem prædicatoris Euangelij, qui est minister & testis, ad testandum, ut aperiatur oculi hominum, ut conuertantur à tenebris ad lucem, & de potestate Satane ad deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortentur inter sanctos per fidem, quæ est in Christum.

Item, cernis hic definitionem Euangelij, quæ est doctrina testans, ut aperiatur oculi hominum &c.

Vnde rex Agrippa non fui incredulus cœlesti uisioni.

Epilogus quo concludit Paulus, se præter meritum à Iudeis accusari, & pati persecutionem, quia à lege et prophetis nihil docuit alieni: imò quod lex & prophete docent. id quoq; se docuisse ait. Vnde: quia non docuit cœlesti uisioni resistere. Non fui incredulus cœlesti uisioni: id est, obediui uisioni cœlesti. Syllogismus.

Quicūq; obedit uisioni cœlesti, rectè agit. Ego obediui uisioni cœlesti: Ergo ego rectè egi. Cœlestè uisionē uocat cœlestè uocationē, et officiū ē cœlo commissū. Sed his qui sunt Damasci primum, & Ierosolymis, et in omni regione Iudeę & gentibus annunciabam.

Exponit, quid significet per uoces non fui incredulus cœlesti uisioni, id est, satis feci meæ uocationi & commissio meo officio. Primum Iudeis prædicauit Paulus, quia salus ex Iudeis: postea & gentibus, ut suæ uocationi ad gentes satisfaceret. prædicauit uerò Iudeis & gentib. ut oñe leret Euangelij doctrinā esse uniuersalem. Ut pœnitentiam agerent, & conuerterantur ad, eum, digna pœnitentię opera facientes.

Sequitur quid Paulus prædicarit, tam Iudeis quàm gentibus

gentibus : nimirum, ut dolerent de peccatis, fide in deū  
 ē peccatis se erigerent, & noua uita testarentur de fide  
 & iusticia accepta. Satisfecit Paulus hac sua prædicati  
 one cōmissio suo officio, sibi à Christo imposito, quo te  
 staretur, ut aperirentur oculi hominum, ut conuerteren  
 tur à tenebris ad lucem &c. Summam Euangelicæ do  
 ctrinæ hic expressam habes, quæ consistit in hoc, ut ho  
 mines pœnitentiam agant, conuertantur ad Deum, &  
 faciant digna pœnitentiæ opera: hoc est, doleant de pec  
 catis, fide erigant se ad remissionem peccatorum, et in  
 cipiant nouam uitam, qua testentur de fide & accepta  
 iusticia . Agere pœnitentiam accipit pro altera pœni  
 tentiæ parte, quam uocamus contritionem. Conuerti ad  
 deum, est quoq; de altera pœnitentiæ parte, de fide : est  
 enim conuerti ad Deum, fide se ē peccatis ad remissio  
 nem peccatorum erigere. Facere digna opera pœniten  
 tiæ, est bonis operibus testari de uera animi contritione  
 de fide, & remissione peccatorum accepta.

Hac ex causa &c.

Quantum in iusta pro Iudeis, pro me autem iusta  
 Comprehenderunt, & conati sunt in  
 terficere.

Conatus impiorum non defunt, ut perdantur pij.

Auxilio autem adiutus dei &c. •



Consolatorium est conatus impiorum non esse semper felices, nec semper sorti felitem euentum. Nota deum in cruce seruare pios. Testificans paruo & magno. In genere omnibus. Est enim Euangelium uniuersalis doctrina pro omnibus. Vult quoque Paulus aperta hac testificatione ostendere, se habere certam et indubiam doctrinam, quia illa non abhorret lucem. Nihil aliud dicens, quam ea, quae prophetae locuti sunt futura esse & Moses.

Doctrina Pauli non est diuersa à doctrina legis & prophetarum, quia lex & prophetae tendunt ad Euangelium. Enthymemat. Cum Euangelio lex & prophetae consentiunt: Ergo Euangelium à lege & prophetis nihil docet alieni. Item. Ego docendo Euangelium non doceo aliena à lege & prophetis: Ergo ego praeter meritum accusor à Iudaeis. **OBIECTIO.**

In quibus autem rebus discordant Iudaei & Paulus? **RESPONSIO.** In intellectu legis & prophetarum uero, qui dirigit se in Euangelium. Locuti sunt futura esse: notat legem & prophetas testatos esse de Euangelio, quod praedicat Paulus Moses: metonymicis pro lege. Quod passurus fuerit Christus, quod primus &c.

• Praecipuas Euangelij partes, ponit pro toto Euangelio

lio. Siquidem in his duabus partibus consistit totum Euangelium, quod Christus passus sit & resurrexerit: Passus, propter peccata nostra. Resurrexit, propter iustitiam & uitam nostram. Quod primus: quia causa resurrectionis nostræ. Lumen annunciaturus fuerit. Euangelium, quod lumen uocat, quia natura est lumen, deinde quia alios illuminat. Populo & gentibus. Euangelium est uniuersalis doctrina pro omnibus. Et Christus pro omnibus uniuersalis rex est. Hæc loquente eo, & rationē reddente Festus magna uoce, dixit:

Insanis Paule.

Exemplum contemptus & personæ piæ confitentis pietatem, & ipsius pietatis, quam pia persona cōsuetur. Causa huius contemptus offendiculum est ex persona & doctrina, quæ non potest à contemptu aliena esse, uti contemnuntur personæ. Insanis Paule: pij coram mundo spectacula sunt, stulti, imbecilles, contempti & c. 1. ad Cor 4. Multæ te literæ ad insaniam conuertunt.

Id est, in ipsa sapientia planè stultus es & insanus. Verba extremi contemptus.

Et Paulus: non insanio inquit, optime Feste.

Excusa

Excusatio Pauli, qua excusat se insanum et stultum esse, nec loqui insana & stulta. Patientiæ exemplum in Paulo, non acerbius agere cum contemptore Festo.

Sed ueritatis & sobrietatis  
uerba loquor.

Id est, ex sobrietate loquor ueritatem. Sobrietatem opponit insaniam. Scitenim de his rex.

Confirmat testimonio regis Agrippæ, se non loqui insaniam aut mendacio, sed ex sobrietate ueritatem.

Apud quem & liberè loquor

Enthymema. Rex scit de his:

Ergo coram rege liberè loquor.

Latere enim eum nihil horū arbitror.

Aetiologia, cur rex sciat de his, & cur Paulus liberè loquatur coram rege: sumpta ab aperta doctrina.

Nep̄ enim in angulo quicquam.

Aetiologia regem ea latere non posse, que prædicauit Paulus: sumpta ab apertis rebus gestis, & ab aperta doctrina.

Credis rex Agrippa prophetis? scio quod credis?

Interrogatio, quam corrigit Paulus. Vult autè inferre. Si credis prophetis, qua de re non dubito: ergo & Evangelio credes, de quo testati sunt prophetae.

Agrippa

Agrippa autem ad Paulum ait: Modica ex parte persuades mihi, ut christianus fiam.

*verba carnalis adfectus, et hominis carnaliter securi: imò hypocrite.* Et Paulus: Opto apud deum votum pro salute omnium, id quod charitatis effectus est.

Qui me audiunt hodie, Id est, Euangelio, quod ego prædico, credunt.

Fieri tales, qualis ego sum

Hoc est, ut meo exemplo credant euangelio.

Exceptis uinculis his. Que nemini opto.

Et exurrexit rex &c.

*Que sequuntur cōmendant nobis innocentiam Pauli.* Et cum secessissent, loquebantur ad inuicem, dicentes, quod nihil morte &c.

*Magna innocentia Pauli, de qua iudices ipsi testimonium perhibent.* Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat &c.

*Prætextus ex hypocrisi.* Nam à prouocatione Paulum absoluerè facile potuissent, si uoluissent.

C A P V T X X V I I.

**S**umma uirtus in dicendo est, ut oratio ex se quasi nasci uideatur, qua uirtute insigniter præditus fuit Lucas noster, cuius historia de peregrinatione

Pauli



Pauli postrema non tantum ex se nascitur, sed ex seipsa tanquam ex fonte diducitur & profluit. In fine precedentis Capituli fecit mentionem appellationis ad Cæsare nunc subiicit, quomodo Paulus ad Cæsarem abierit.

Ut autem decretum est. Cohærentia à circumstantia temporis. Ut nauigaremus in Italiã Romanam Italiæ urbem. Tradiderunt Paulum cum reliquis custodijs.

Impietatis comes est hypocrisis, huius res cognata timor est, unde fit, quod Paulum benè custodiunt, ne auferat. Iulio. Nomen addit propter historie certitudinem. Cohortis Augustæ. Id est, primariæ, fortioris, & præcipuæ. Ascendentes autem nauem Adramytinã. Adrames Aphricæ insula, unde Adramytina nauis, Hieronymo teste.

Perseuerante nobiscum Aristarcho, Exemplum charitatis in Aristarcho, qui sequitur Paulum. De Aristarcho & supra audiuimus, cap. 20.

Sequenti autem die. Cohærentia à circumstantia temporis. Appulimus Sidonem.

Quæ est Phœnicie urbs.

Humanè autem tractans Iulius Paulum Exemplum humanitatis & misericordiæ in Iulio.

Et inde cum soluissemus, nauigauimus prope Cyprum. Quo

IN ACTA APOSTOLORVM. 1049

*Quæ est in Issyco sinu maximo sita circa Ciliciã.*

Propterea. Reddit causam nauigationis propè  
Cyprum, à contrarijs uentis. Et nauigauimus  
pelagus Ciliciæ & Pamphiliæ.

*Regionum Asiæ circa Issycum sinum.*

Venimus Miram, quæ est in Licia,  
*Myra Liciæ urbs, teste ipso Luca.*

Et inueniens Centurio nauem  
Alexandrinam.

*Ab urbe Aegypti sic dicta.*

Et cum multis diebus tardè  
nauigaremus.

*Causa sequetur prohibente nos uento.*

Et uix contra Gnidum perexissemus

*Gnidus insula contra Asiam sita.*

Ad nauigauimus Cretæ iuxta  
Salomonem &c.

*Creta Græciæ insula est. Salmon Cretæ ciuitas.*

Cui uicina erat ciuitas Lasæa.

*Ciuitas littoraria Cretæ insule.*

Multo autem tempore pera-  
cto &c.

Hactenus audiuius de felice Pauli Romam uersus  
nauigatione: nunc audiemus de tempestate supra mo-

*dura*

dum magna, quàm fieri oportuit, ut probaretur fides Pauli, & potentia Dei alijs innotesceret, qui potuit tantam tempestatem ad felicem finem deducere.

**Eò quod ieiunium iam præterisset.**

*Causa non tutæ nauigationis à penuria uictus.*

**Consolabatur eos Paulus.**

*Exemplum charitatis in Paulo, qui etiam suis inimicis bene uult, & consolatur eos in necessitate. Sed hæc charitas in Paulo, singulare donum Dei est, qui efficit in nobis, ut etiã inimicos diligamus. Est Paulus hic propheta, qui ex diuina reuelatione præuidet futura. Paulũ hic præmonere de periculosa nauigatione, referendum est ad prouidentiam Dei, qui de futuris periculis præmonet nauigantes per Paulum. Viri uideo &c.*

*Ex diuina reuelatione, & ex præfenti penuria.*

**Non solum oneris & nauis, sed & animarum nostrarum. Id est, uite nostræ.**

**Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat &c.**

*Exemplum contempti boni consilij in Centurione, qui uilitate personæ Pauli offensus, magis credidit nauclero & gubernatori.*

**Et cum aptus portus non esset ad huiusmodi &c.**

*Alia causa contempti consilij Pauli, ab importunitate loci, qui non erat ad hybernandum aptus.*

**Cū** soluissent uersus Asson, legebant  
Cretam.

*Asson Epyri minoris ciuitas.*

**Non** autem paulo post.

*Sequitur hypotiposis tempestatis.*

**Coortus** est contra nauem uentus.

*Ventum adijcit ut tempestatis causam. Cum at-  
repta esset nauis. Exaggeratio tempestatis.*

**Vix** potuimus obtinere scapham.

*In qua non minima spes sita est nauis.*

**Timentes** ne in Syrtim inciderent.

*Syrtim uocant nauæ, eyn sandt roffen.*

**Valida** autem nobis tempestate &c.

*Singula exaggerant tempestatem. Vsus autem est ex-  
aggerationis huius, ut exaggerato periculo, postea ma-  
gis inclarescat potentia Dei, qui tantam tempestatem  
sine nauigantium periculo abstulit,*

**Et** cum multa inedia esset.

*Tempestati accedit periculum inædiæ.*

**Tunc** stans Paulus in medio eorum,  
dixit.

*Oratio Pauli increpatoria, qua obiurgat nolentes*

Xy. obedire



obedire sano consilio, & temerè se proijcientes in pericula. Postea consolatoria est oratio, qua consolatur nauigantes à futuro Dei præsidio, quod Deus per angelum sibi Paulo addixit. Et nunc adhortor, &c.

*Consolatio contra tempestatem.*

**Amissio enim, &c.** Aetiologia consolationis à felici tempestatum euentu. Astitit enim mihi, &c.

*Aetiologia felicitatis euentus totius tempestatum.*

**Ne timeas Paule, Cæsari oportet te sisti.** Mimesis uerborum angeli. Enthymema.

**Te Paulum oportet sisti Cæsari :** Ergo ne timeas.

**Et ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum.**

*Impij propter pios seruantur, & ne pereant impij: in causa sunt pij, qui à Deo salutem impetrant.*

**Propter quod bono animo estote uiri**

*Epilogus consolationis constans adhortatione.*

**Credo enim Deo.**

*Causa cur bono animo esse debeant, à certitudine promissionis à Deo factæ: uel à certitudine fidei apprehendentis promissionem. Enthymema. Ego credo Deo:*

*Ergo mihi credenti seruabitur promissio: ergo me credentem certò sequetur promissio. Sed postea cõ-*

*Deus sensim ac sensim liberat à periculis: Procrasti-*

*natio liberationis pertinet ad probationem fidei in Paulo & nauigantibus.*

Nauigantibus nobis in Adria, &c.  
*Adriatico mari.*

Qui & submittentes boliden, &c.  
*Hec de bolide addit propter certitudinem historie.*

Nautæ uerò quærentes fugere, &c.

*Exemplum priuatæ utilitatis contra honestū in nauis, qui priuatum utile preponunt honesto.*

Dixitq; Paulus Centurioni & militibus:  
Nisi isti in nauis manserint, &c.

*Præsentia media non sunt contemnenda, interim sperandum est Deo, nec ponenda est spes in illa media.*

Tunc absciderunt milites funes  
scaphæ.

*Ne nautæ possent aufugere.*

Porro donec mutesceret, &c.

*Adhortatur Paulus nauigantes, ut sumant cibum, ne in periculis desperent, aut prorsus abijciant animos.*

Id enim ad salutem uestram pertinet,

*Vt robur & in corpore, & in animo sumatis.*

*Nam non edere & debilitat corpus, & est signum desperati animi.*

Nemo enim uestrum &c.

Egregia consolatio à felici tempestatis euentu.

Cum autem hæc dixisset, accepto  
pane gratias agit &c.

Paulus edit, ut suo exemplo edere faciat alios, & alios  
confortet animo. Erasmus autē uniuersi,

Numerus nauigantium certam reddit historiam.

Satiati autē cibo, nauem alleuiabant.

Quod nos facere possumus facere debemus, & à  
deo expectare præsidium.

Cum autem dies factus esset &c.

Hypotyposis naufragij.

Deus non statim iuuat, sed dum in extrema agimus ne  
cessitate. Militū autē consilium fuit &c.

Inclementiæ exemplum in militibus.

Centurio autem uolens ser-  
uare Paulum.

In Centurione exemplum est clementiæ & miseri-  
cordiæ. Iussitq; ut hi qui natare

possent.

Commendantur præsentia mediæ, & præsentis oca-  
siones. Et sic factum est, ut omnes

euaderent ad terram incolumes.

Felici hoc tempestatis & naufragij euentu, commentu  
datur nobis

datur nobis potentia dei, qui ex tanta tempestate, et naufragio tanto seruare potuit. Item, monemur hic deum suarum promissionum tenacem esse. Postea monemur impios seruari propter pios.

## CAPVT XXVIII.

**H**istoriæ series perpetua est.  
Et cum euasissent.

Euasio effectus est promissionis Pauli à deo factæ per angelū. Quod Melita insula uocabatur.

Melita insula est inter Epyrum & Italian.

Barbari uerò præstabant non modicam humanitatem nobis.

Exemplū humanitatis & hospitalitatis in Melitensibus. Non modicam: exaggeratio humanitatis & hospitalitatis in Melitensibus.

Accensa enim pyra reficiebant nos.

Aetiologia humanitatis ab exhibito beneficio.

Propter præsentem imbrem

Causa quæ inuitauit Melitenses ad humanitatē: sumpta ab imminente necessitate.

Cū congregasset autē Paulus farramentorum aliquantā multitudinem &c.

Exemplum laboris in Paulo, quo monemur otium esse rem malam. Miraculum præsens ad hoc fieri exor-



dinatione dei debuit, ut Paulus per illud confirmaretur de uoluntate dei, & simul potentia dei ueri per illa alijs innotesceret. Ut uerò uiderunt Barbari.

Exemplū peruersi iudicij in Barbaris, qui ex externo euentu iudicant Paulum malum hominem esse & homicidam, cum tamen infœlix euentus sepe homini bono et nō homicidæ accidere potest. Eodem peruerso iudicio laborarunt cognati Hiob, qui propter externā adflictionem iudicarunt eum adflictionē suis peccatis meruisse.

Docemur ne ex externis euentibus infœlicibus iudicemus alios. Enthymemata Barbarorum.

Pauli manū inuasit uipera: Ergo Paulus homicida est.

Item, Paulum manum inuasit uipera: Ergo Paulus à deo punitur & adfligitur.

Nota homicidium etiam Barbaros odisse, quanto magis nos odisse debemus?

Ultio nō sinit eum uiuere. Scilicet diuina.

Ex legibus naturæ sciunt etiam Barbariū, de ulcisci homicidia. Siquidem leges naturæ docent non solum deum esse, sed & illum benefacere bonis, & male facere malis. Et ille quidem excutiens bestiā in ignem nihil mali passus est.

Homini credenti nihil nocet, nec credenti quicquid mali accidere potest Marci. 16. Per nomen meum demonia eijciunt;

ejciēt: linguis loquētur nouis, serpentes tollent: et si quid letale biberint, nō nocebit eis. At illi expectabāt iudicio rationis decepti, quæ sic argumētata est. Pauli manū inuasit uipera: Ergo Paulus incendetur, subito cadet & morietur. Christus contra argumentatur.

Paulus credidit & serpens inuasit manum eius: Ergo Paulo nihil nocebit uipera.

**Diu autem illis expectantibus &c.**

*Ratione illos remorante.*

**Mutata mente dicebant eum deū esse.**

*Causam hic specta deorū in mūdo, quæ præcipua est, in signa et egregia hominū facta: sic Hercules propter egregia & insignia sua facta in numerū deorū relatus: sic Romulus: sic Aeneas: sic & alij multi. Sed de causis in genere omnibus deorū, uide ea quæ supra dixi Ca. 14.*

**In locis autem illis.** Exemplum humanitatis et hospitalitatis in Publico: Obserua deū ubiq; suorū curā agere, et in omnibus locis prouidere pios bonis uiris.

**Contigit autē patrem Publī febris & dysenteria uexatum iacere.**

*Vides deū humanitatis et hospitalitatis beneficia in pios, præmijs recōpensare, etiā in impijs. Monemur deū quoq; hic in terris in impijs uirtutes et honestas actiones corporalib. beneficijs persoluere, Ad piorū humanitatē*

et hospitalitatē Deus magna præmia adtexuit, Mat-  
thæi 6. et 10. Ad quem Paulus intrauit.

Exemplum gratitudinis et charitatis in Paulo.

Et cum orasset, & imposuisset ei ma-  
nus, sanauit eum. Oratio aliena efficax est pro  
alijs, et alijs sanitatē impetrare potest. Impositio ma-  
nus signum est certò securæ sanitatis. Sanitas effectus  
est fidei, quæ orans et imponens manus, credidit Pau-  
lus, sanitatē secururā, et sicut credidit, sic cōtiguit quoq;  
ei. Quo factò, & reliqui in insula, &c.

Non tã fide, quàm præcedentibus beneficijs in Pub-  
lij patrem collatis, moti. Et curabantur.

Curatio cõmendat potentiã uerbi et fidei in Paulo.

Qui etiã multis honoribus nos hono-  
rarunt, & inde soluentibus imposue-  
runt, quæ necessaria erunt,

Exaggeratio humanitatis et hospitalitatis in Meli-  
tensibus. Probabile est Melitenses fide suscepisse Euang-  
gelium, et inde benè operatos fuisse.

Post menses autem tres, &c.

Cohærentia ex circumstantia temporis.

Cui erant Castor & Pollux insigne,

Nam gentes olim suis nauibus præfigebant diuos,  
quomodò nos hodie sanctos nostris nauibus præfi-  
gimus. Et cū appulisset in Syraculas.

Syracusa metropolis Siciliae est.

Deuenimus regium. Regium ciuitas Siciliae est. Puteolos, Puteolis ciuitas colonia Campaniae. Vbi inuentis fratribus. Deus ubiq; habet suam ecclesiã, nec est ecclesia certo alicui loco adligata Rogati sumus manere apud eos dies septem. Humanitatis & hospitalitatis exemplũ in fratribus. Et sic uenimus Romam.

παρασχευη, generalis ad aduentũ, quò postea Romam peruenerunt. Nam à Puteoli non statim uenerunt Romam, sed prius ad Appij forum & tres Tabernas, & ab his Romam. Vide D. Roterodami Annotationes Et inde cũ audissent fratres de nobis, &c. Exemplũ humanitatis, & hospitalitatis in his fratribus, qui occurrunt Paulo, nec cruce Pauli offenduntur, id quod fidei est. Ad Appij forum &c.

Forum Appij oppidum longius à Roma, quàm Aricia. Tres Tabernae locus proprius est.

Gratias agens deo. Quod Roma adhuc tot fratres & pios haberet &c. Concepit fiduciam. Se consolatus est uel solatium accepit ex uisis fratribus

Cum autem uenissemus Romam. Relicto Appij foro, & tribus tabernis. Centurio tradidit, Fidelitatis exemplum in ministro.



**Et promissum est Paulo &c.**

*Deus suorum ubiq; curam agit, etiam apud impios.*

**Post tertium autem diem,**

*Cohærentia ex circumstantijs temporis.*

**Conuocauit primos Iudæorum.**

*Exemplum charitatis in Paulo pro suis secundū carnē cognatis, ut eos lucretur Euangelio.*

**Cūq; uenissent. Humanitatis est in Iudæis uenire ad uinctum Paulum. Dicebat eis.**

*Oratio Pauli apologetica, qua & defendit se, et redit causas sui aduentus, et cur Iudæos ad se uocârit, quò hac ratione lucretur Iudæos Christo. Viri fratres*

*Insinuat se fratrum appellatione.*

**Nihil aduersus populum factens.**

*Commendat suam innocentiam, ne Iudæi aliquid mali de uinculis Pauli suspicentur.*

**Qui cum examinassent me &c.**

*Ex his suam innocentiam commendat Paulus.*

**Contradicientibus autem Iudæis &c.**

*Causam aduentus sui his explicat Paulus.*

**Propter hanc igitur causam uocaui uos &c.**

*Vt me coram uobis excusarem, & meam innocentiam uobis exponerem: deinde, ut instituerem uos de spe Israël*

*Propter*

Propter spem enim Israël hac catena circumdatus sum.

*Aetiologia præcipua uocationis Iudeorū. Enthymema. Ego catena circumdatus sum propter spem Israël:*

*Ergo ego uocaui uos. Propter spem: alludit ad promissionem de Messia factam, quam quia prædicat Paulus à Deo præstitam esse: igitur persecutionem patitur. At illi dixerunt ad eum: Nos neq; literas &c.*

*Magnum testimonium innocentie Pauli, quod etiã Romani Iudæi perhibent.*

**Volamus autē à te audire quæ sentis.**

*Clementie & iusticie exemplum in his Iudæis est, qui prius audire Paulum uolunt, antequam damnent illum.*

**Nam de secta hac notū est nobis, quod ei ubiq; contradicatur.**

*Aetiologia cur audire uelint: sumpta à contradictione, quia doctrinæ Pauli ubiq; contradicatur.*

*Obseruã Euangelium esse doctrinam, cui ubiq; contradicatur. Et Simeon de Christo dixit, Lucæ. 2. Et postus est hic in ruinam & resurrectionē multorum in Israël, & in signum cui contradicatur.*

Tum

Cum constituissent autē illi diem, uenerunt ad eum in hospitium plurimi.

Maiores pars sine dubio ex curiositate, sicut fieri plerumque solet. Quibus exponebat testificans regnum dei.

Prædicans illis Euangelium, quod regnum dei uocat, quia nos regere facit in omnes spirituales hostes, in diaboli &c. Suadens eis de Iesu ex lege Mosi & prophetis.

Id est, confirmans testimonijs legis & prophetarū. Iesum quamquam contemptam et uilem personam, tamen esse uerum Messiam, et filium dei, ad salutem omni credendo ti. Disce Euangelium non esse nudè prædicandum, sed legis & prophetarum testimonijs confirmandum.

A mane usque ad uesperam  
Specta diligentiam & sedulitatem Pauli.

Et quidam credebant his &c.

Euangelium alijs prædicatur in odorem uitæ, alijs in odorem mortis, 2. ad Corinth. 2.

Cumque inuicem non essent consentientes.

Verum hic fit, Euangelium tollere pacem & concordiam, non ex sua natura aut ex se, sed quia impij nolunt illud acceptare.

Dicente

Dicente Paulo unum uerbum.

Id est, adijciente prædictis.

Quod benè spiritus sanctus locutus est  
per prophetam Esaiam, &c.

Causam subiicit Paulus incredulitatis Iudæorū: erga  
Euangelium, ab induratione & caligine, qua deus per-  
misit indurari et caliginosos fieri Iudæos post q̄ credere  
Euangelio noluerint. Vade ad populū istū.

Tam durum difficile, & incredulum.

Aure audietis. Pœna incredulitatis erga Euan-  
gelium, excoecatio est. Hunc locum Esaiæ multis à me  
explicatum, inuenies in meis Scholijs decimi tertij Capi-  
Matthæi. In crassatū enim est cor populi  
huius. Id est postq̄ hic populus noluit credere Euan-  
gelio, permisi illum incrassari, & cœcum fieri. Incrassa-  
tio cordis pœna impietatis et incredulitatis est. Sic deus  
peccatum peccato punit, ad Roma. 1.

Notum ergo sit uobis.

Epilogus orationis Pauli, cuius summa est, Euan-  
gelium propter ingratitude Iudæorum, iusto dei iudi-  
cio, ad gentes abiisse. Matthæi 21. Lapidem quem re-  
probauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli.  
A domino factum est hoc, & est mirabile in oculis no-  
stris, Ideò dico uobis, auferetur à uobis regnum, dei &  
dabitur



dabitur genti facienti fructus eius. Vide & ibi parabolas de translatione regni Dei à Iudæis ad gentes.

Hoc salutare dei, Euangelium salutare uocat, quia natura est salus, & alios saluos facit. Vel uocat salutare Dei Christum, sicut Simëon, Luc. e. 2. Quoniam uiderunt oculi mei salutare tuum.

Et cum hæc dixisset: exierunt ab eo Iudæi, multam habentes inter se disceptationem.

Effectus prædicati Euangelij est disceptatio apud impios ac incredulos.

Manfit autem biennio toto in suo conducto, in ædibus quas conduxerat.

Et suscipiebat omnes, Ecce Philanthropians Pauli, Omnes: sine respectu personarum.

Prædicans regnum dei.

Nuntians Euangelium, quod facit nos subditos in regno Dei, & facit nos reges in diabolum &c. Regnã Dei: in genere.

Et docens quæ sunt de domino Iesu, De persona & officijs Iesu.

Cum omni fiducia.

Sine timore, & sicut aliàs dicit Paulus cum apertione oris.


IN ACTA APOSTOLORVM. 1064

Sine prohibitione.

Nemine illum prohibente. *Historia abrupta est  
que autem abruptionis fuerint cause, in-  
certum est: interim multas imagi-  
nari licet, quas imaginandas  
relinquo otioso Le-  
ctori.*

FINIS SCHOLIORVM IN

Acta Apostolorum.









... n. e. n. o. u. l. i. p. h. a. c. s. u. r. e. e. t. t. e. r. e. m. e. n. t. i. s.  
 o. r. i. a. m. e. s. t. q. u. o. r. u. m. i. n. t. e. r. i. o. r. u. m. e. x. t. e. r. i. o. r. u. m.  
 t. i. b. i. s. q. u. o. d. e. s. t. n. u. m. b. e. r. a. p. p. e. n. t. i. b. u. s. v. p. a. t. i. p. o. d.  
 e. o. r. u. m. a. c. c. e. l. e. r. a. r. e. m. o. q. u. e. p. a. t. i. e. n. t. i. p. u. m. s. p. n. o.  
 b. l. i. c. u. m. i. n. b. r. o. n. i. u. m. i. n. d. o. r. u. m. i. n. e. h. e. t. f. e. b. r. e. i. d. o. l. o. r. u. m.  
 q. u. o. d. a. e. s. t. s. p. a. c. i. o. n. i. i. p. p. a. t. i. u. e. i. c. a. u. d. i. d. u. s. s. i.  
 c. a. n. t. i. a. a. p. h. a. t. i. s. s. p. n. o. i. a. n. u. b. r. o. i. s. q. u. o. d. u. n. o. i. a.  
 p. a. n. a. u. i. t. i. e. t. i. d. q. u. o. d. e. s. t. i. b. i. m. g. u. e. i. q. u. o. d. e. o. r.  
 n. o. i. a. t. i. p. l. o. r. a. i. p. l. e. n. t. i. e. p. a. t. i. u. i. s. i. p. l. e. n. e. n. t. i.  
 a. p. h. a. e. n. t. i. s. q. u. i. b. u. s. e. o. r. u. m. e. t. n. o. i. a. p. h. a. e. t. n. o. i. a.  
 p. h. a. e. d. i. a. t. a. p. h. a. p. a. n. e. l. e. t. i. c. a. r. b. u. t. i. e. i. p. u. e. n. t.  
 a. u. t. s. i. r. a. i. n. e. n. o. i. a. t. i. u. p. l. e. n. t. i. s. o. i. d. i. n. t. i. e. t. n. e. n. o. i. a.  
 p. h. a. u. e. h. u. i. t. i. d. i. a. b. a. g. m. a. t. o. b. u. t. e. n. i. a. n. e. n. o. i. a.  
 p. h. a. e. n. t. i. m. o. l. l. i. s. i. t. h. a. a. n. n. i. e. t. h. e. t. i. n. r. e. l. i. q. u. e. e. o. r.

**C**ones uo s q mobut loq aut

148

De... ..

...

q. u. o. d. e. s. t. e. t. u. n. a. n. t. i. e. t. e. t. i. n. d. i. l. e. b. i. t. n. e. d. e. i. l. l. o. q. u. o. d. e. s. t.  
 p. a. n. a. u. i. t. i. e. t. i. d. q. u. o. d. e. s. t. i. b. i. m. g. u. e. i. q. u. o. d. e. o. r.  
 n. o. i. a. t. i. p. l. o. r. a. i. p. l. e. n. t. i. e. p. a. t. i. u. i. s. i. p. l. e. n. e. n. t. i.

q. u. o. d. e. s. t. e. t. u. n. a. n. t. i. e. t. e. t. i. n. d. i. l. e. b. i. t. n. e. d. e. i. l. l. o. q. u. o. d. e. s. t.

898

